

ROMAN DOCUMENTS

AND

DECREES.

Edited by Rev. D. DUNFORD.

VOL. I.

(JULY, 1906—JUNE, 1907.)

R. & T. WASHBOURNE, Ltd., 1, 2, & 4, Paternoster Row,
London,

And at 248, Buchanan Street, Glasgow.

BENZIGER BROS.: New York, Cincinnati, and Chicago.

Nihil obstat.

RICARDUS CONWAY,

Censor deputatus.

Imprimi potest.

✠ GULIELMUS,

Episcopus Arindelensis,

Vicarius Generalis.

Westmonasterii.

INDEX.

A.

	PAGE
A Cunctis, The Name of Patron in..	100
Abstinence—	
In Italy Changed	112
Priests (Spanish) Dispensed from..	112
Absolution—	
Special Cases in France. See	
"France."	
And Plen. Indul. on Feasts B.M.V.	103
Absolutions at Grave	27
Abuses. Letter on Certain Abuses in	
Belgium	7
Acolytes' Candles Carried by Religious	
in "Habitu Choral." See	
"Candles."	
Adoption of a Cleric into a Diocese..	86
"Ad Nutum." Re-instatement of a	
Priest. See "Re-instatement."	
Altar—	
The Table of the. See "Table."	
(Fixed). The Title of	97
Alienation of Bonds or Shares. See	
"Bonds."	
Allocation. See "Consistory."	
Alms for Masses. See "Stipendia."	
Annunciation. Transfer of, and Re-	
quiem Mass. See "Requiem."	
Asperges, Concerning the	160
Ash Wednesday. Mass of Requiem.	
See "Mass (Requiem)."	
Atlantio Liners. Special Faculties	
for Spanish Chaplains. See	
"Chaplains."	

B.

Baptismal Vows, Indulgence for Re-	
newing	34
Benediction—	
Ceremonies at	25
The Prayers in	100
Benedict (St.), The Medal of	109
Benedictine Church, Indulgence for	
Visiting	204
Bishop—	
Assisting at Mass	156
Blessing at Communion, "Extra	
Missam." See "Communion."	
Blessed Sacrament—	
Carried by a Deacon. See	
"Deacon."	
(During Processions). A Prayer to	103
A Prayer to Our Lord in	106
Letter on Triduum	202
Blessing of St. Maurus. Power to	
Subdelegate. See "Maurus (St.)"	
Bonds or Shares, Alienation of	42
Bugia (Use of), by a Chapter	197
Bulls	22
Briefs	10

C.

	PAGE
Cappa (Use of) granted to Benedic-	
tine Prelates	72
Catechism—	
Letter Recommending	4
Letter, "De Christiana Catechismi	
Tradenda"	8
Capuchins Third Order Established	36
Candles—	
At Tenebrae. Mode of Extinguish-	
ing. See "Tenebrae."	
(Acolytes') carried by Religious in	
"Habitu Choral"	162
The Quantity of Wax	117
Decree of the English Bishops ..	117
Canons (Honorary), Insignia granted	
to. See "Insignia."	
Cathedraticum	81
C.T.S. (Bavaria) Letter of Praise ..	6
Censure, Whether Incurred by Assist-	
ing at Sales of Church Property,	
(French)	170
Children, Communion for. See "Com-	
munion."	
Children of Mary, Regarding the	
Medals of	149
Chant (Vatican edition). See "Ky-	
riale."	
Christian Dootrine. Archonfraternity	
approved	64
Chanting (Mode of) is Under Direc-	
tion of Precentor. See "Pre-	
centor."	
Chaplains—	
(Spanish) on Atlantio Liners. Spe-	
cial Faculties for	46
To Confraternities. Rights of ..	88
English (Naval and Military) Juris-	
diction of Archbishop of West-	
minster.. .. .	87
(Pontifical) Insignia of. See "In-	
signia."	
Chapter—	
And the Use of the Mitre. See	
"Mitre."	
And the Use of the Bugia, See	
"Bugia."	
Chalice, the Preparation of	162
Chinese Missionaries. Faculties for.	
See "Confessions."	
Choir, Sitting at beginning of Ves-	
pers	99
Cleric—	
In Place of Sub-Deacon at Mass.	
See "Sub-Deacon."	
(Tonsured) Touching the Sacred	
Vessels. See "Vessels."	
Adoption into a Diocese. See	
"Adoption."	
Collegiate Church (Mexico) Erection	
of	181

	PAGE
Collects in Votive Mass of Immaculate Conception	96
Communion—	
In Private Oratories	158
Administered to the Sick	98
"Extra Missam," Bishop's blessing at	156
Frequency of, for children and infirm	73
(Infirm Sick) Non-Fasting	85
(Infirm Sick) Non-Fasting, Extension of the Decree	192
Commemoration at Mass of Ordination	99
Communities (Institution of) with Simple Vows	56
Conference (Essen) Letter at Conclusion of	45
Confessions—	
"In itinere"	180
"In itinere" (Chinese Missionaries)	195
Faculties to Hear Faithful at Sea	130
Confraternities of Our Lady. Two Forms of Consecration	148
Congregatio Super Disciplina, &c., Abolished	14
Consistory, Dec. 6th, 1906, 48; April 15th, 1907, 173; April 17th, 1907	175
Cotta, The Server at Mass. See "Server."	
Cross (Procession of Relic) on Good Friday. See "Good Friday."	
Crowns of Our Lady, Faculty for Blessing	151
Crown of Seven Joys B.M.V., Indulgence for	107
Cum Magnopere	59

D.

Deacon Carrying the Blessed Sacrament	99
Deaf and Dumb, A Prayer for. See "Indulgence."	
Dispensation from Irregularity— (Epilepsy). See "Irregularity."	
"Propter hæresim parentum." See "Irregularity."	
Distributions, Special case referring to	190
Dominicans—	
(in England) may celebrate Requiem twice a week. See "Requiem."	
(Sisters of Third Order), Constitutions approved	139
(in Philippines) may anticipate Matins and Lauds. See "Matins."	
Dominio (St.) Indulgence for Third Order	206
De Profundis to be Omitted after Conventual Mass	200

E.

England (Naval and Military Chaplains) Jurisdiction of Archbishop of Westminster. See "Chaplain."

	PAGE
English Martyrs, Privileges Granted in Favour of	92
England, New Judicial Legislation. See "Cum Magnopere."	
Ejaculations Indulged	81, 150
Elections (National) Letter to Spanish Catholics	5
Encyclical to the Bishops of Italy. See "Italy."	
Epileptic Subdeacon may receive Diaconate. See "Subdeacon."	
Examination (Triennial) of Religions Houses	65
Excardination	84
Excommunication of Mariavists— See "Mariavists."	
Whether incurred by French Mayors and Councils	165
Explanation of (French Mayors, &c.)	166
Exemption of Order of St. John of God	73
Extreme Unction, Short Form for	44
Exultet— Position of Deacon and Servers	161
Encyclicals	15, 18, 50

F.

Faculty—	
For Blessing Crowns of Our Lady. See "Crowns."	
To Hear Confessions at Sea. See "Confessions."	
To Hear Confessions "in itinere." See "Confessions."	
To Hear Confessions "in itinere" (Chinese Missionaries). See "Confessions."	
Feast (Patronal), Regulars must observe	164
Feasts—	
Rites of certain Feasts changed	91
Permission to transfer. See "Transfer."	
Filial Churches may use Indult for Special Feasts	131
Font (Blessing of), Special Case of omitting at Pentecost	187
France—	
Encyclical to the Bishops of	15
Letter to Bishops, Clergy, and People	121
Solutions to various Questions concerning Absolution	137
François Xavier (St.) declared Patron of Propagation of Faith	10
Francis (St.), Votive Mass of	157
Funerals—Rights of Parochus	192

G.

Genuflection—	
(At Mass) coram Sanctissimo	99
At Mass	98
(Subdeacon) at Mass. See "Subdeacon."	
On Thursday and Friday in Holy Week	162
Gospel of St. John, Authorship of	180
Gibbons (Cardinal), Letter to	128

INDEX.

v.

	PAGE
Good Friday—	
Tone of Voice on. See "Voice."	
Procession of Our Lady of Sorrows on	159
Procession of True Cross	159
Gregorian Musio Notes, Letter on the Shape of	154

H.

Heroic Act, may be removed	213
Holy Name—Indulgence extended to all the Faithful. See "Indulgence."	
Holy Week—A certain genuflection on Thursday and Friday. See "Genuflection."	
Holy Water, Emptying the vessels of	161

I.

"Il Rinnovamento," Letter reprehending	186
Immaculate Conception (Votive Mass) granted to certain Congregations. See "Mass."	
Impediment "primi gradus in linea collateral"	192
Impropria, Concerning the	160
Incense on Holy Saturday, To be blessed at "Lumen Christi"	162
Index, Books placed on 24, 43, 129, 179, 185	
Indulgences—	
Ejaculations	32
For various Prayers, Our Lady	140
St. Joseph	143
St. John de la Salle	145
Our Lady, For purity	146
For deaf and dumb	147
Our Lady of the Blessed Sacrament	148
Sacred Heart	206
Incarnate Word	211
Child Jesus	211
Our Lady	211
St. Joseph	211
Veni Sancte Spiritus	213
(Plenary) and Absolution on Feasts B.M.V. See "Absolution."	
(Portiuncula), Applicable to Souls in Purgatory	142
(Rosary), Renewed. See "Rosary."	
(Holy Name), Extended to all Faithful	144
(Seven Joys of Our Lady). See "Seven Joys."	
For visiting Benedictine Church. See "Benedictine."	
For Novena, In honour of Blessed Sacrament. See "Novena."	
For Third Order of St. Dominic. See "Dominio (St.)."	
For Salesians. See "Salesians."	
Indult may be used by Filial Churches. See "Filial."	
Infirm, Communion for. See "Communion."	
Infirm Sick, Non-fasting Communion for. See "Communion."	
Insignia granted to Honorary Canons	88
Insignia of Pontifical Chaplains	200
Invocations coram Sanctissimo	27

	PAGE
Irregularity—	
(Dispensation from) propter haeresim parentum	131
(Dispensation from) for epilepsy	191
Italy, Encyclical to the Bishops	50

J.

Joseph (St.), Indulgent Prayer to. See "Indulgence."	
Juliana (Sisters of St.) Constitutions approved	135
Jurisdiction, Parochial	171
Jus decretalium, Letter on	119
John (St.), Authorship of Gospel. See "Gospel."	

K.

Kisses at Mass	98
Kyriale (Vaticani edition), Letter to Archbishop of Cologne	7

L.

Laity in processions. Their position. See "Procession."	
Lessons of 1st. Nocturn. See "Nocturn."	
Libera me	27
Little Office of Our Lady, The recitation of	150
Little Sisters of Poor. Constitutions approved	196
Liturgy. The use of Slav language. See "Slav."	

M.

Mass—	
(Coram Sanctissimo). Genuflection at "Munda cor meum." See "Munda."	
The kisses at. See "Kisses."	
(Votive) of Immaculate Conception granted to certain Congregations 89, 90	
Permission to celebrate in secondary Oratories of Religious. See "Oratories."	
(Votive) of St. Francis. See "Francis (St.)."	
(Requiem) on Ash Wednesday	93
(Requiem) Days on which it is allowed	95
The genuflections at. See "Genuflections."	
Pro populo	81
(Votive) of Immaculate Conception—The Collects in. See "Collects."	
A Bishop assisting at. See "Bishop."	
(Solemn). The use of the organ at. See "Organ."	
(The Server). As to the cassock and cotta. See "Server."	
(Third) in choir must be celebrated	189
Masses—	
Alms for. See "Stipendia."	
(Stipendia), Concerning the obligation of. See Stipendia."	

	PAGE
Maurus (The Blessing of St.). Power to Subdelegate	153
Marriages (in Germany), Bull on ..	23
Marriage. Nullity Suit. See "Nullity."	
Martyrology. Addition to Benedictine Mass and Servile Work. Dispensation regarding	196
Matins and Lands. Dominicans (in Philippines) may anticipate ..	136
Mariavists Excommunicated	181
Medal (Benedictine) Indulgence for Wearing	204
Mystic Priests (Poland), Suppression of	18
Misalon. Requiem allowed during time of. See "Requiem."	
Missionaries to Chinese. Faculties "in itinere." See "Confessionals."	
Mitre (Use of), by a Chapter	197
Munda cor meum (Genuflection at) coram Santissimo	161
Music (Gregorian) Notes. Letters on the shape of. See "Gregorian."	
Motu Proprio	12, 14, 56, 58

N.

Nocturn (First), The Lessons of ..	93
Novena in Honour of Blessed Sacrament, Indulgence for	214
Nullity of a Marriage	192

O.

Ordination (Excardination). See "Excardination."	
Ordination Mass, The Commemoration in. See "Commemoration."	
Ordo, Which is to be followed ..	99
Orders, Examination of Italian Candidates for	12
Organ (The use of) at High Mass ..	155
Oratories—	
(The Rights of) regarding Titular Feasts. See "Titular."	
(Private) Holy Communion in. See "Communion."	
(Secondary) of Religious. Permission to say Mass in	94
Our Lady—	
(Of Sorrows) Procession on Good Friday. See "Good Friday."	
(Of the Blessed Sacrament) Prayer to. See "Indulgence."	
Faculty for Blessing Crowns of, See "Crowns."	
Indulgence Hymn to. See "Indulgence."	
Prayer for Purity. See "Indulgence."	
Seven Joys of, Indulgence for. See "Seven Joys."	

P.

Palm Sunday, Ceremonies on	160
Parochial Jurisdiction. See "Jurisdiction."	

	PAGE
Parochus (Rights of) Regarding Funerals. See "Funerals."	
Paschal Candle, Position of	161
Patron (Name of) in A Cunctis. See "A Cunctis."	
Patronal Feasts, As to the Recitation of the Creed. See "Symbolum."	
Pentateuch, Authorship of	85
Postulant May Live "Intra Claustra" ..	196
Precentor to Direct Mode of Chanting ..	201
Prelate, Thurifer Genuflecting to. See "Thurifer."	
Prelates (Benedictine), Use of Cappa Granted to. See "Cappa."	
Procession—	
Position of Laity	83
Of Our Lady of Sorrows on Good Friday. See "Good Friday."	
Of Relic of True Cross on Good Friday. See "Good Friday."	
Proscribed Works. See "Index."	
Purification, Ceremonies on	160

Q.

Question Biblique (La) Proscribed ..	24
Quebec (Rosary Confraternity in) not to be Superseded	105

R.

Recitation of Little Office of Our Lady. See "Little Office."	
Regulars Must Observe Patronal Feasts. See "Feast."	
Religious Houses, Triennial Examination of. See "Examination."	
Relics in Altar Sepulchre	27
Requiem—	
Twice a Week Granted to Dominicans in England	138
(One) Allowed During a Mission ..	157
On Annunciation (Transferred) ..	100
Re-instatement of Priest Appointed "Ad Nutum"	187
Restitution—	
By Private Owners of Despoiled Property (French)	169
By French Mayors	168
Rosary Indulgence Renewed	58, 140
Rosary (Confraternity of) Faculty for Receiving New Members	58
"Rorate," The Mass	26
Rita (St.) of Cascia, A Prayer to ..	101
Rites of Feasts Changed. See "Feasts."	

S.

Sacred Heart—	
Indulgence to the Archconfraternity ..	30
Prayer to the	84, 101
(The month of) Indulgence for ..	104
(Annual consecration) Indulgence for	105
Salesians.—Special Indulgence ..	210
Sanatio in Radice	113
Scapular (Mt. Carmel). Certain Priests may enrol	107

	PAGE
Scripture—	
Letter to Card, Cassetta on ..	120
Letter on the Method of Teaching	1
Commission to Benedictines to collect readings	215
Server at Mass. As to cassock and cotta	99
Seven Joys of Our Lady. Indulgence for	177
Shares, Alienation of. See "Bonds."	
Sick, Communion administered to. See "Communion."	
Singing in Church. Schismatic and Catholic girls may join	184
Slav language (the use of) in the Liturgy	152
Stipendia for Masses	43, 193
St. John of God (Order of) declared exempt. See "Exemption."	
Superior, Thurifer genuflecting to. See "Thurifer."	
Subdeacon—	
Cleric in place of	28
At Mass, A genuflection	99
Epileptic may receive the Diaconate	134
Symbolum—	
Whether said on certain Patronal Feasts	96
In Votive Mass of Immaculate Conception	96
 T.	
Table of the Altar	97
Te Deum, Prayer after	161
Tertiaries, some questions concerning	109
Tenebrae, Mode of Extinguishing Candles at	161

	PAGE
Third Orders (Sisters of), as to use of Calendar and participating in Indulgences	201
Thurifer genuflecting to Prelate or Superior	162
Titular Feasts, The Rights of Oratories	96
Title of Fixed Altar. See "Altar."	
Triduum in Honour of Blessed Sacrament. See "Blessed Sacrament."	
Trinitarians (Discalced) Constitutions Approved	135
Transfer Feasts, Permission to	199
 U.	
Ursulines, Provinces arranged	195
 V.	
Vespers, Choir sitting at beginning of. See "Choir."	
Vespers, Closed doors at	189
Vessels (Sacred) may be touched by a tonsured cleric	99
Voice (the tone of) at "Incensum istud" on Good Friday	162
Vows (Simple)—	
Concerning professed with	37
On instituting new Communities with. See "Communities."	
Release from	111
 W.	
Westminster, Jurisdiction of Archbishop. See "Chaplains."	



LETTERS.

Litterae Apostolicae in forma brevis, quibus ratio studiorum S. Scripturae in Seminariis Clericorum servanda praecipitur.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus, horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus** recte decessor Noster illustris edixit: "Prima cura sit, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent." In eandem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario imperianda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum, emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumni copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognititas, praeceptoris erit, peculiare et proprios habere tractatus seu

* Cf. *Acta Leonis XIII. Pontificis Maximi*, vol. xiii., pp. 326-364.

introductiones in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in caeteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviore sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos, exempli causa, interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni, suapte industria, reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tamquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione, meminerit: suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumnii, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. "Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitatas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab agiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magisteria" (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos

Sacrae Scripturae gradus comparentur : quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.*

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere : utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget : idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat : denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt ; in quo optimum factu erit, breve aliquod abhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliore explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit ; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant ; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus : ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumni in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Martii anno MDCCCXVI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MACCHI.

* Cf. *Acta Pontificia*, vol. ii., pp. 201-203.

I.—Epistola Pii PP. ad Emum Archiepiscopum Parisiensem commendans “Opus a Catechismis.”

Dilecto Filio Nostro Francisco S. R. E. Presbytero Cardinali Richard, Archiepiscopo Parisiensi.—Lutetiam Parisiorum.

PIUS PP. X.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Opus a catechismis sollerti et actiosa egregiarum feminarum pietate apud vos ante annos octodecim institutum in gratiam puerorum, qui nihil iam de doctrina religionis in scholis publicis audirent, rogasti tu quidem nuper, ut voluntatis Nostrae significatione aliqua ornaremus. Nos vero ea legentes quae perscribenda curasti de ortu, progressionem, fructibus istius operis, magnam scito cepisse animo voluptatem, praesertim quum in hoc etiam facto videremus divinae praesentiam bonitatis, tempestiva suggerentis et consilia et auxilia bonis ad communem salutem. Ac mirum non est, si hanc tam opportunam de regno Christi ac de proximis bene merendi rationem Decessor Noster illustris probavit admodum, et pontificalis indulgentiae muneribus ditavit; quum eadem celeberrimo civitatis iudicio, ut accepimus, in genere operum humanae societati utilium primas tulerit. Hinc dicere vix attinet, eam Nobis, non secus ac Decessori Nostro, caram acceptamque esse: eo magis quod ipsius nunquam fortasse tanta fuit, quanta est hodie non modo opportunitas sed necessitas. Quando enim, ut usu venire istuc dolemus, eripitur aut coangustatur sacro ordini nativum ius docendi publice, omnino res postulat ut sacerdotum ministerio navitas opituletur laicorum quo puerilis saltem aetas fidei morumque principia incorrupta imbibat. Quare pias feminas saluberrimo deditas operi, de quo loquimur, cum pro merito dilaudamus, tum hortamur vehementer, velint nova quotidie alacritate studioque propositum persequi: simul oramus enixe Deum, ut earum fortunet labores, augeat numerum. Auspicem caelestium donorum ac singularis benevolentiae Nostrae testem habent Apostolicam Benedictionem, quam tibi primum, dilecte Fili Noster, atque etiam clero populoque tuo universo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die viii Decembris MDCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

**Epistola ad Archiepiscopum Valentini-
orum qua Summus Pontifex
Officium Catholicorum in Hispania
concurrendi ad Electiones
Politicas et Administrativas inculcat.**

**Venerabili Fratri Victoriano Episcopo Matritensium, Valentini-
orum
Archiepiscopo Praeconizato Matritum.**

PIUS PP. X.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Inter catholicos Hispaniae concertationes quasdam novimus esse ortas quae veteres partium discordias haud parum postremis hisce mensibus acuerunt. Concertationum autem occasio studiose quaesita est ex binis scriptionibus quae in commentario *Razón y Fe* prodierunt de officio catholicorum adeundi comitia ad eligendos qui publicam rem administrent deque ratione in competentium electionibus habenda. Equidem scriptiones hasce cognosci ambas volumus: nihilque in illis occurrit quod non a plerisque nunc de re morum doctoribus tradatur; Ecclesia non damnante nec contradicente. Nulla igitur subest ratio cur animi adeo exardescant: quamobrem optamus ac volumus ut orti dissensus diuque nimium nutriti penitus tollantur.

Quod profecto eo vel magis desideramus quod, si alias unquam, nunc certe maxima opus est catholicorum concordia. Meminerint omnes periclitante religione aut republica nemini licere esse otioso. Iam vero qui rem sacram seu civilem evertere nituntur eo maxime spectant, ut si detur, capessant rem publicam legibusque ferendis designentur. Catholicos igitur periculum omni industria cavere oportet: atque ideo, partium studiis depositis, pro incolumitate religionis et patriae operari strenue; illud praecipue adnitendo, ut tum civitatum, tum regni comitia illi adeant quae attentis electionis uniuscuiusque adiunctis nec non temporum locorumque circumstantiis, prout in memorati commentarii scriptionibus probe consulitur, religionis ac patriae utilitatibus in publica re gerenda prospecturi melius videantur.

Haec te, Venerabilis Frater, haec ceteros Hispaniae Episcopos monere populum atque hortari cupimus, atque eiusmodi inter catholicos concertationes in posterum cohibere prudenter. Auspicem vero divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem apostolicam benedictionem universis amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xx Februarii, anno MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

Epistola Pii PP. X ad Cl. R. Franck, Praesidem Coetus Scriptis Catholicis per Bavariam Edendis.

PIUS PP. X.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem,

Praestito Nobis a te atque a collegis tuis e spectabili coetu scriptis catholicis per Bavariam edendis, nihil possit esse obsequio jucundius. Eos enim agnoscimus officia Nobis observantiae deferre, a quibus, sodalitatis vinculo coniunctis, quasi aptissimo augendarum virium praesidio, tam multa exspectamus in tuitionem sacrarum Bavariae rationum emolumenta. Quae vobis saluberrimi condendi coetus exstiterint initia, compertum id quidem est; illata scilicet per adversas partes in catholicam professionem arma, ingesta tamen, ut est aetatis ingenio congruum, per eas maxime vias, quae ab omni litterarum genere praesto esse possint. At si decertandum bonis est sive ad custodiendam civitatem Dei sive ad eius amplificandam vim; si, etiam non illud praetereundum dimicantibus bonis est artes artibus esse obiiiciendas easdem, haec omnia fuere potissimum curae vobis, qui studio tuendae religionis acti, praeclarumque secuti exemplum virorum e sacro ordine, in unum generose coivistis, illas allaturi patriae utilitates, unde laetari Nobis libet in praesens. Magnis propterea laudibus, quemadmodum illustria merita postulant, ornamus cetum, teque imprimis industrium fortemque praesidem, eosque una simul omnes, quos scimus adlaborare animose tecum, immemores sui, memores autem Ecclesiae, cuius certe profectus cum civitatis bono coniungitur. Commoda autem et incrementa Sodalitatis quum cordi Nobis sint, illud Bavariae universae commendamus, quod quidem plurimi in re gravissima refert, ut non modo sacrorum administri, verum etiam, praecipueque, *laici* nomen operi alacritatemque dedant. Omnes namque quotquot catholica fide glorianitur, huic oportet fidei sive protegendae sive honorandae dare operam, et quando aptum prae ceteris opportunumque praesidium in sodalitate vestra est, eidem sese sodales addere. Quoniam vero nullum putandum est litterarum scriptorumque genus ab industria coetus alienum, id equidem expedire omnino atque adeo necesse esse existimamus, ut non ad labores solum, sed ad impendia quoque ferenda, quae sane pergrandia esse non ambigimus, singuli gerant paratissimum animum, ea nimirum erecti atque excitati spe, quae per eos suppeditentur id genus subsidia, perinde ac lectissima pietatis opera ad religionem referri, et ad comparandam animorum salutem conducere. Nostram demum ut operi voluntatem testimur, tibi, sodalibus cunctis, atque iis, qui nomine operave coetui favebunt, auspicem coeles-

tium gratiarum Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvi Aprilis anno mcmvi, Pontificatus Nostri tertio.

Epistola ad Emum. Card. Fisher, qua Vaticana Kyrialis Editio Authentica et Omnibus Ecclesiis Adhibenda Declaratur.

Eme. ac Revme. Domine Mi Obsme,

Vaticana Kyrialis editio multas, ut Eminentiae Tuae compertum est, disceptationes, apud editores ceteros praesertim, commovit, ita quidem ut pronum sit credere minus justas de ejus indole opiniones fuisse diffusas. Hisce ut occurreret, illud Beatissimus Pater jussit me declarare Tibi, Vaticanam editionem Kyrialis non quidem esse emissam ut ad tempus tantummodo inserviret, sed esse vere et proprie authenticam ita ut hic et nunc in usum deveniat apud omnes ecclesias. Hujusmodi autem authenticitatis character, communisque pro praesenti tempore usus nihil obstare dicendi sunt quominus si quando, Sanctae Sedis judicio, mutationes aliquae afferendae esse videantur, eadem induci in laudatum Kyriale, non proximo tamen tempore, possint. Interim Pontifex Summus non dubitat quin recentibus sacrorum concentuum formis Germania omnis obsecundet, eo vel magis quod eadem in natione, id est Argentorati, habita est non multo ante congressio de sacro gregoriano cantu, qua quidem congressione Beatissimus Pater jucunde est affectus.

Dum haec, Suae Sanctitatis mandato, pro Tua atque Archidioecesis notitia Tibi significo, peculiaris erga Te extimationis sensa profiteor, quibus manus Tibi humillime deosculor ac per maneo.

Eminentiae Tuae, humillimus et addictissimus vere fam.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Romae, die XXVI Januarii, a. 1906.

Dno. Cardinali Antonio Fisher, Archiepiscopo Coloniensi. Coloniam Agrippinam.

Epistola Emi Secretar Status ad Emum. Card. Goossens de Auctoritate Suprema Sanctae Sedis Abusive non Invocanda.

Eminence Révérendissime,

Il a été porté à la connaissance du Saint-Siège que les deux prêtres Belges, Daens et Fonteyne, condamnés justement par leurs évêques pour cause d'insubordination et pour avoir fomenté la discorde parmi les fidèles, se permettent constamment d'invo-

quer l'autorité du Souverain Pontife dans leurs discours et dans les journaux qu'ils rédigent, sans avoir obtenu l'autorisation requise, comme si eux et leurs partisans agissaient en conformité des doctrines et des enseignements du Saint-Siège, et comme si les évêques Belges, interprétant mal ces doctrines et ces enseignements, avaient réprouvé et continuaient à réprouver à tort leur manière d'agir.

Le Saint Père, ayant eu connaissance de tout cela, a jugé, dans sa grande sagesse et sa prudence, qu'il est opportun de mettre fin à un état de choses qui pourrait nuire gravement aux intérêts de la religion catholique en Belgique. Il est en effet facile de comprendre que si l'on continue à tolérer certains agissements, un certain nombre de catholiques de bonne foi pourraient être induits en erreur, et qu'ainsi, parmi les fidèles, se perpétuerait le germe de la discorde qu'il importe souverainement de faire disparaître.

Le Saint Père veut donc que Votre Eminence sache et fasse savoir en même temps aux évêques et aux catholiques Belges qu'il condamne cette façon d'agir des prêtres mentionnés, qui invoquent abusivement l'autorité suprême du Saint-Siège.

Je profite de l'occasion pour vous redire les sentiments de profonde vénération avec lesquels, etc.

Rome, 27 Février 1905.

R. Card. MERRY DEL VAL.

I.

De Christiana Catechesi Tradenda,

Eme ac Revme Domine mi Observantissime.

Communes litteras Episcoporum Borussiae, quibus pro Magnoducatu Hassiae Episcopus Moguntinus accessit, Beatissimus Pater accepit, eaque qua par erat diligentia perlegit. Iamvero iucundum Sanctitati Suae est idemque multae erga vos causa gratulationis, quod per receptas istic consuetudines et per piam sacerdotum optimorumque laicorum sedulitatem abunde satisfiat postulatis quorum mentio ac iussio in encyclicis litteris *Acerbo nimis* habetur. Equidem si quid summopere Sanctitas Sua exoptabat ac praecipiebat, id erat procul dubio ut christiana catechesis omni ex parte et cum omnimoda fidelium utilitate traderetur. Quoniam vero haec tanta commoda iam sunt apud vos comparata ac provisa, hisce certe contentus Beatissimus Pater est, qui ea omnia unde melius et opportunius praeceptis eius obsecundetur, conscientiae et iudicio vestris committit.

Dum Eminentiam Tuam ac Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Coloniensem ceterosque in Episcopatu Borussico

et Hassiae collegas de eiusmodi Pontificis Summi mente certiores officio, altissimae existimationis sensus tibi aperio ac manus tuas humillime deosculatus, permaneo.

Eminentiae Tuae, humillimus et addictissimus vere famulus.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Romae, die 21 Augusti 1905.

II.

Pius X. laudat et probat Archisodalitatem cui nomen Opus a Catechismis, Parisiis erectam.

Ex audientia SS.mi, die 29 Novembris a. 1905.

Beatissimus Pater, libentissimo animo attendens florere in urbe Parisiensi egregiam Sodalitatem, cui nomen Opus a catechismis a S. M. Leone XIII, Decessore, probatam, et Archiconfraternitatis titulo ac privilegiis ornatam, talemque Sodalitatem cohaerere intelligens cum sensu ac spiritu legis quartae litterarum Encyclicarum *Acerbo nimis*, Archiconfraternitatem eadem laude et probatione sua augere dignatus est, eamque in omnibus privilegiis ac iuribus ipsi antea collatis benigna voluntate confirmavit, ita quidem ut qui nomen eidem Sodalitio dederint, praescriptis laudatae Epistolae Encyclicae plenissime satisfacere censeantur.

Datum e Secretario Status, die, mense et anno supradictis.

R. Card. MERRY DEL VAL.

BRIEF.

**Breve quo Operi Propagationis Fidei Patronus Caelestis datur
S. Franciscus Xaverius huiusque solemne ad Ritum Dupli-
cem Maiorem evehitur.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In Apostolicum sublecti munus, atque in ipso christiani sacerdotii vertice divinae clementiae dono collocati, longe maiorem profecto sollicitudinem sustinendam suscepimus, quam quae Romani vigilantia gregis contineatur. Excessurus enim e terris Christus Apostolos iussit, et in his Petrum praecipue, quem non modo dignitate, sed etiam caelestis gloriae studio praelucere ceteris voluit, gentes edocere universas, salubremque doctrinae novae praedicationem ad remotissimas quasque aut immanissimas orbis partes afferre. Porro divinis praeceptis obsequentes Decessorumque Nostrorum clarissima exempla sectantes, nihil esse magis officio Nostro consentaneum arbitramur, quam ut, si quae ad patefaciendum Evangelii lumen atque ad proferendos Ecclesiae terminos videantur conducere, iis voluntatem omnem gratiamque impertiamus. Inter haec autem utilitate atque overa praestat opus illud, summa laude dignum, quod a *Fidei propagatione*, nobile nomen accepit. Huius origo operis divino plane instinctu in medios homines profecta videtur. Nam fidelis Ecclesiae populus, quum non in praedicanda Christi doctrina haberet sibi demandatam provinciam, consultum Dei providentia est ut stipe ac subsidiis Evangelii praecones iuvaret. Suasit hac de causa caritas, qua in Redemptorem Christum optimorum hominum pectora urgebantur, fideles ex omni gente ac natione coalescere in unum, conferre ex opibus aliquid in expeditiones sacras submittendum, sociata etiam prece administris sacrorum succurrere, atque ita id assequi quod votorum summa esset, divini nempe regni in terris incrementum. Compertum autem apud omnes est id genus sodalitatem praeclare de propaganda christiana fide meruisse. Quod enim suppeteret unde catholicae doctrinae nuntii ad dissita ac barbara loca contenderent, beneficia illuc Religionis nostrae humanique cultus allaturi, tam nobilis coetus tribui largitati debet. Hinc initia salutis innumeris populis parta; hinc fructus animarum comparati tanti,

quantos nemo aestimet rite, nisi qui effusi per Christum sanguinis virtutem pernorit, hinc, contra quam expectari a disiunctis hominum viribus posset, Evangelii evulgandi legi mire obtemperatum. Haec Nobiscum sodalitatis promerita reputantes, nullo non tempore sensimus in coetum insignem Nos studio ferri, nec vero illi pro tenui adiumenti parte defuimus, maiora tamen animo spectantes, si facultas, Deo propitio, daretur, iam quoniam id Nobis Omnipotentis Dei benignitas dedit, ut ex hac Petri Cathedra spiritualia fidelibus commoda dispertire possemus, praetermittere nolumus, ut quem supra laudavimus coetum peculiari quodam benevolentia argumento honestemus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibos Nostrae hae Literae favent, a quibusvis, excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, ut cum externis Sodalitatis praesidiis tutela quoque et gratia de superis congruat, Sanctum Franciscum Xavierum caelestem eidem Patronum eligimus, damus, eique volumus omnes honorificentias tribui coelestibus Patronis, competentes; huiusque diem festum, ut ad amplificandam ipsius celebritatem humanae quoque observantiae ampliorisque liturgiae accessio ne desit. Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes ad ritum Duplicem Maiorem, servatis rubricis, apud universam Ecclesiam provehimus. Est huic Coeliti cum Opere *Fidei Propagandae* ratio quaedam singularis et propria. Etenim cum vitam Franciscus ageret, tanto animum studio talique cum eventu ad imbuendos christiana veritate populos appulit, ut instrumentum Numinis electum in eo reviviscere non secus atque in ipsis Apostolis videretur. Qua propter spes Nos bona tenet, coetum hunc nobilissimum maiora in dies incrementa, deprecatore Francisco, fore suscepturum, atque etiam ubertate fructuum, numero Sodalium omniumque, qui stipem conferant liberalitate ac diligentia eo deventurum brevi, ut hanc eminentem atque apparentem rem praestet, sicut a Christo est Ecclesia condita, in qua salus credenti omni paretur, ita *Sodalitatem Fidei Propagandae* esse divino consilio excitatam, ut nondum credenti Evangelii lumen affulgeat. Quam quidem ad rem multum procul dubio proficient Catholicorum voluntates, etsi disiuncte ac privatim liberales se praebebunt ad munera: verum nihil erit ad utilitatem praestantius quam si decuriati Catholici viri conferant quemadmodum est prudentia summa provisum. Scilicet quae minus inter se vires cohaerent, minus valent ad causam; valent vero quamplurimum coniuncta et colligata ordine studia. Illas recte facere dicemus, ista etiam rite. Servator autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propa-

gando nomini coetus incumbit, tegat gratia praesidioque opus : qui enim non auro vel argento, sed pretioso Filii Dei sanguine redempti vivimus, divinam imprimis spem contendere cum magna prece debemus. Haec mandamus, praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, efficaces existere et fore, suoque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, qua adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv. Martii MDCCCIV., Pontificatu Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

MOTU PROPRIO.

Litterae Apostolicae quibus Summus Pontifex decernit ut in Italia Insulisque Adiacentibus quicumque sive de Saeculari sive de Regulari Clero ad Sacros Ordine sint promovendi non ante promoveantur quam ab Episcopo Loci Diligenti Doctrinae Examine probati sint Idonei; Sublato quocumque Contrario Privilegio.

PIUS PP. X.

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugifera. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV Novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut "professi tum

votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo." Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus afferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroquin sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII Cap. VII de Reform. haec habet generatim: "Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinet;" nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: "Regulares nonsine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis." Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis Iulii Motu proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.¹

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrium decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemorali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

¹ Cf. *Acta Pontificia*, vol. iii., pag. 127.

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS.

Sacrae Congregationes super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum abolentur.

PIUS PP. X.

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiissancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus*, Congregationem instituit *super Disciplina Regulari*; quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici concilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum*, quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis*.

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expédiantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvi Maii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

ENCYCLICAL.

**Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X
Epistola Encyclica**

Ad Archiepiscopos et Episcopos Galliae.

Venerabilibus Fratribus Galliae Archiepiscopis et Episcopis.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam Benedictionem,

Gravissimo officii munere defungimur, eoque iamdudum vobis debito, quibus post latam legem de Gallicae Reipublicae Ecclesiaeque discidio edicturos Nos tempori significavimus, quid ad tuendam conservandamque istic religionem facto opus esse arbitramur. Equidem exspectationem desiderii vestri ut produceremus usque adhuc, non modo magnitudo et gravitas huius causae fecit, sed illa etiam singularis caritas, qua vos vestraque omnia, pro immortalibus nationis in Ecclesiam meritis prosequimur. Damnata igitur, ut debuimus, improba lege, id considerare diligentissime coepimus, ullamne demum eiusdem praescripta legis relinquerent Nobis facultatem ita ordinandae in Gallia religiosae rei, ut sacrosancta principia quibus Ecclesia nititur, nihil detrimenti caperent. In quo visum Nobis est, vos etiam Galliae Episcopos adhibere in consilium universos; indicitoque vestro omnium conventu, hoc ipsum vobis maxime, de quo consultaretis mandavimus. Nunc autem, cognitis consultis vestris, exquisitis complurium Cardinalium sententiis, re diu et multum Nobiscum meditata, magnisque precibus implorato *Patre luminum*, omnino videmus faciendum, ut quod ipsi fere ad unum omnes censuistis, idem Nos Apostolica auctoritate confirmemus. Itaque de consociationibus civium, quales, divini cultus exercendi causâ, lex constitui iubet, sic decernimus, nullo eas pacto conflari posse, quin sanctissima iura, quae ad vitam ipsam Ecclesiae pertinent, violentur. Dimissis vero consociationibus istis, quas probare Nos quidem conscientia officii prohibemur, opportunum videri potest experiri, an liceat, earum loco, aliquod aliud institui consociationum genus, quod simul legitimum sit et canonicum, atque ita laboriosissima, quae imminet tempora, catholicis Gallis defendere. Profecto tam sollicitos atque anxios ista Nos tenent, ut nihil magis; atque utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos,

divino salvo iure, id inire experimenti ut dilectos filios tantorum malorum metu liberemus. At quoniam, hac manente lege, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum consociationum tentare genus, negamus fas esse, usque dum legitime certoque non constiterit, divinam Ecclesiae constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa, potestatem, incolumnia per consociationes easdem et tuta semper fore : contrarium velle Nos, nisi religionem officii deserendo, atque interitum Ecclesiae Gallicae conficiendo, non possumus.

Restat, Venerabiles Fratres, ut vos, omni utentus ope, quacumque vos iura civitatis uti siverint, disponendo instruendoque religioso cultui operam detis. Nec vero hac tanta in re tamque ardua passuri sumus Nostras desiderari partes. Utique licet absentes corpore, cogitatione tamen atque animo vobiscum erimus, vosque consilio atque auctoritate opportune iuvabimus. Quapropter animose suscipite, quod, suadento Ecclesiae patriaeque vestrae amore, imponimus vobis onus : ceterum conquiescite in bonitate providentis Dei, cuius tempestivum auxilium non defuturum Galliae, omnino confidimus.

Iamvero quibus criminationibus religionis hostes decreta haec mandataque Nostra sint excepturi, non difficile est prospicere. Contendent persuadere ponendo ; nequaquam Nos Ecclesiae Gallicae salutem spectasse tantum ; aliud etiam, alienum religione, habuisse propositum : invisam Nobis esse in Gallia formam Reipublicae, eiusque evertendae Nos gratiâ velificari studiis partium : ea Nos abnuisse Gallis, quae non invite Apostolica Sedes aliis concessisset. Ista Nos et similia, quae, ut licet e certis quibusdam indiciis cernere, late ad irritandos animos spargentur in vulgus, iam nunc indignando denuntiamus esse falsissima, vestrumque, Venerabiles Fratres, et bonorum omnium erit redarguere, ne scilicet imperitos ignarosque decipiant. Nominatim vero quod ad illud attinet, faciliorem se alibi Ecclesiam impertivisse in causa simili, monstretis oportet, hoc eam fecisse, quum diversa prorsus verterentur momenta rerum, quumque praesertim divinis Hierarchiae rationibus aliquo saltem modo consultum esset. Quod si quaequam civitas ita ab se segregavit Ecclesiam, ut plenam ei communis libertatis copiam fecerit, liberumque in propria bona arbitrium reliquerit, non uno quidem nomine iniuste se gessit, sed tamen in conditione Ecclesiam collocasse dicenda est non omnino intolerabili. Verum multo secus agitur hodie res in Gallia : ubi iniustae huius legis conditores instrumentum sibi comparasse non tam ad separandam a Republica Ecclesiam, quam ad opprimendam videntur. Ita, studia pacis professi, concordiamque polliciti, inferunt religioni patriae bellum atrox, iniectisque acerrimarum contentionum

facibus, cives cum civibus committunt, quanta cum pernicie ipsius reipublicae, nemo non videt. Studebunt profecto certaminis huius et eorum quae secutura sunt, malorum in Nos transferre culpam. Sed quisquis facta sincero iudicio aestimaverit, quae Ipsi etiam in Litteris Encyclicis *Vehementer Nos* attigimus, diiudicabit, utrum Nos reprehendendi simus qui, alias ex aliis perpassi iniurias toleranter, dilectae nationis causâ, ad ultimum coacti sanctissimos Apostolici officii transire terminos, negavimus posse; an potius tota in eis culpa resideat, qui catholici nominis invidiâ ad haec usque extrema provecti sunt.

At enim catholici ex Gallia homines, si vere suum Nobis obsequium studiumque praestare volent, ita pro Ecclesia contendunt, quemadmodum eos monuimus, constanter nimirum ac fortiter, nihil tamen seditiose violenterque faciendo. Non vi, sed constantia, tamquam in arce iustitiae collocati, frangent aliquando inimicorum contumaciam: intelligant vero, quod diximus iam iterumque est dicendum, ad hanc se victoriam nisuros frustra, nisi summa inter se coniunctione in tutelam religionis conspirarint. Nostram habent de nefastae legis usu sententiam; sequantur, ut oportet, volentibus animis; et, quidquid quisque de hac ipsa re adhuc disputando tenuit, caveant, obsecramus, ne quis quem propterea offendant, quod melius viderit. Quid consentientium voluntatum connexarumque virium contentio possit, mature capiant ex adversariis documentum; et quo pacto his licuit nequissimam civitati imponere atque inurere legem, eodem nostris tollere eam licebit et exstinguere. In tanto Galliae discrimine, si quidem universi omnes, quotquot maximum patriae bonum summa sibi ope tuendum putant, Nobiscum et cum Episcopis suis et inter se coniuncti, pro religione, quo modo opus est, elaborabunt, non solum non desperanda Ecclesiae Gallicae salus est, sed sperandum brevi fore, ut ad dignitatem prosperitatemque pristinam resurgat. Nos, quin Nostris satisfacturi sint praescriptionibus et votis, minime dubitamus: interea divinam benignitatem conciliare vobis omnibus, patrocinio confisi MARIAE IMMACULATAE, impense studebimus.

Auspiciem caelestium munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, Vobis, Venerabiles Fratres, universaeque Gallorum genti Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die X Augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

Litterae Encyclicae SS. D. N. Pii PP. X, Quibus Consociario "Mariavitarum" seu Sacerdotum Mysticorum reprobatur ac supprimitur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Varsaviensi atque Episcopos Plocensi et Lublinensi apud Polonos.

PIUS PP. X.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tribus circiter abhinc annis huic Apostolicae Sedi rite delatum, est nonnullos diocesium vestrarum, praesertim e iuniori clero, sacerdotes, consociationem quamdam pseudo-monasticam, sub nomine *Mariavitarum* seu *sacerdotum mysticorum* absque ulla legitimorum Praesulum licentia, instituisse, cuius sodales sensim a recta via debitaque Episcopis subiectione "quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei" deflectere et in suas evanescere cogitationes visi sunt.

Hi enim cuidam mulieri, quam sanctissimam, supernis donis mire cumulata, plura divino lumine edoctam ac novissimis temporibus in perituri mundi salutem divinitus datam dictitabant sese totos tanquam pietatis et conscientiae magistrae committere ab eiusque nutibus pendere haud veriti sunt.

Hinc, de praetenso Dei mandato, creberrima devotionis inter plebem exercitia (ceteroquin, si rite fiant, maxime commendanda) praecipue SSmi. Sacramenti adorationem ac frequentissimas Communiones, proprio Marte et indiscriminatim promovere quotquot autem e sacerdotibus aut Praesulibus de eiusdem feminae sanctitate divinaque electione tantisper dubios existimarent, vel *Mariavitarum*, quam vocant, consociationi minus amicos, eos criminationibus gravissimis impetere non dubitarunt ita ut, metus esset ne fideles haud pauci, misere decepti, a legitimis pastoribus recessuri forent.

Quapropter, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decretum de memorata sacerdotum sodalitate omnino supprimenda, ac de communicatione quavis cum supradicta muliere penitus abrumpenda, die 4 mensis Sept., an. 1904, prout Vobis notum est, edi mandavimus. At vero memorati sacerdotes, etsi documentum scripto dederint de sua erga Episcoporum auctoritatem subiectione, etsi forte cum eadem muliere necessitudines partim, ut asserunt, abruperint; nihilominus ab incoepto molimine haudquaquam destiterunt, nec reprobatae suae consociationi sincero animo renuntiarunt; adeo ut non solum adhortationes et inhibitiones vestras despexerint; non solum, effroni quadam declaratione a pluribus ipsorum subscripta, communionem cum suis Episcopis respuerint; non solum seductam plebem haud

uno loco concitarint ut legitimos propellerent pastores; sed etiam perduellium more, Ecclesiam asseruerint a veritate iustitiaeque defecisse, ac proinde a Spiritu Sancto esse derelictam, sibiue solis, sacerdotibus *Mariavitis*, divinitus datum esse populum fidelem veram pietatem edocere.

Nec satis, paucis abhinc hebdomadibus, in Urbem venerunt duo ex huiusmodi sacerdotibus, alter Romanus Prochniewski, alter Ioannes Kowalski quem Praepositum suum vi cuiusdam delegationis memoratae mulieris, sodales omnes agnoscunt. Hi ambo, supplici libello, de expresse Domini Nostri Iesu Christi mandato, ut aiebant, conscripto, requirebant ut Supremus Ecclesiae Pastor, vel, ipsius nomine, Congregatio S. Officii documentum traderet his verbis expressum: "Mariam Franciscam (id est praedictam mulierem) factam a Deo sanctissimam, esse matrem misericordiae pro omnibus hominibus a Deo ad salutem vocatis et electis hisce ultimis temporibus mundi; omnibus vero sacerdotibus *Mariavitis* esse a Deo praeceptum cultum SSmi. Sacramenti et Beatissimae Virginis Mariae de Perpetuo Succursu, in toto orbe terrarum, propagare, sine ullis limitationibus neque a iure ecclesiastico, neque a legibus humanis, neque a consuetudinibus, neque a quacumque potestate ecclesiastica vel humana."

Quibus ex verbis conicere volumus sacerdotes illos, non tam forte conscia superbia quam inscitia et fallaci rerum specie obcoecatos, sicut falsi illi prophetae de quibus Ezechiel: "Vident vana et divinant mendacium dicentes: Ait, Dominus, cum Dominus non miserit eos; et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: Ait, Dominus; cum ego non sim locutus."* Hos igitur misericorditer exceptos adhortati sumus ut, posthabitis vanarum revelationum fallaciis, seipsos suaque opera salutifero Praesulum suorum regimini sincere subderent, et Christifideles ad tutam obedientiae ac reverentiae erga pastores suos viam reducere festinarent; ac denique Sedis Apostolicae aliorumque, ad quos pertinet, vigilantiae curam remitterent eas confirmandi devotionis consuetudines quae, pluribus in paroeciis dioecesium vestrarum, Venerabiles Fratres, vitae christianae plenius fovendae viderentur aptiores, et vicissim eos, si qui forte essent, sacerdotes corrigendi, qui pietatis exercitia et devotionis formas in Ecclesia probatas detrectare vel parvipendere reperti forent. Haud sine animi solatio conspeximus eos, paterna Nostra benignitate commotos, ad pedes procumbere obtestariue firmam voluntatem votis Nostris filiorum devotione obsequendi. Deinde iidem scripto† declarationem Nobis porrigendam curarunt, quae spem augebat

* Ezechiel xiii. 6, 7.

† Die 20 Febr. an. curr.

fore ut decepti hi filii sincero animo praeteritas ludificationes abiicere ad rectumque tramitem vellent redire.

“Nos semper (en verba) ad voluntatem Dei adimplendam, quae modo per Vicarium Eius tam clare nobis patuit, parati, sincerrime et laetissimo animo revocamus hanc nostram epistolam, quam die 1 Febr. a. c. ad Archiepiscopum Varsavien. dedimus, et in qua declaravimus nos separari ab eo. Insuper sincerrime et cum gaudio maximo profitemur nos semper cum Episcopis nostris, in specie autem cum Episcopo Varsaviensi unitos esse volumus, quoadusque Sanctitas Vestra id nobis iubebit. Praeterea, cum nos nomine omnium Mariavitarum modo agamus, hanc nostram professionem omnimodae obedientiae et subiectionis, nomine omnium non solum Mariavitarum sed universi coetus Adoratorum SSmi. Sacramenti, facimus. Specialiter autem facimus hanc professionem nomine Mariavitarum Plocensium qui propter causam eandem, uti Mariaviae Varsavienses, suo Episcopo declarationem porrexerunt se ab eo separari. Ideo omnes sine exceptione ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, iterum iterumque amorem nostrum et obedientiam erga Sanctam Sedem et specialissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitentes, humillime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos paterno corde Vestro dolorem attulerit. Denique declaramus nos statim omnibus viribus adlaboraturos ut pax populi cum Episcopis quamprimum restituatur. Immo affirmare etiam possumus pacem hanc revera brevi secuturam.”

Quapropter periucundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condonatos, vix in Poloniam reversos, operam daturus, ut ea quae promiserant, re quamprimum praestarent. Atque id circo Vos, Venerabiles Fratres, festine volumus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectionem profitentes, pari misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenirent, conditionem pro muneribus sacerdotalibus exercendis, ad iuris tramitem, restitueretis.

At spem fefellit eventus; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelationibus rursus aperuisse, et in Poloniam receptos non solum obsequii ac subiectionis testimonium quod polliciti fuerant, nondum Vobis Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quamdam dedisse epistolam, veritati ac genuinae obedientiae minime consentaneam.

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non disistunt suorum Antistitum auctoritatem infringere. Etenim “Ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima (prout legitur in epistola diei 17 mensis Decembris 1888 s. m. Leonis XIII. Decessoris Nostri

ad Turonensem Archiepiscopum) quae nimirum docet ac regit homines iure divino; ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audiens esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit. . . . Contra, inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem Maximum, quippe cui Christus non agnos modo sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur."

Inanis pariter et subdola sacerdotis Joannis Kowalski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta perdurent atque audaces mandatorum episcopaliū violationes.

Quamobrem, ne Christifideles ut quotquot ex sic dictis *Mariavitis* sacerdotibus in bona fide perstiterunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Joannis Kowalski diutius decipiantur, decretum iterum confirmamus, quo *Mariaviatarum* consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobataque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudentia, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna charitate amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si, spretis adhortationibus vestris in sua contumacia perseveraverint—quod Deus avertat—muneris erit Nostri severius in eos animadvertendi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis; atque in dioecesibus vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedis Apostolicae documentis iamdiu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietatis exempla aemulari valent.

Interea, coelestium beneficiorum auspicem, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur Pontificatus Nostri anno tertio.

Datum Romae apud S. Petrum die v Aprilis MDCCCXVI,
Pontificatus Nostri anno tertio. PIUS PP. X.

BULLA.

Bulla Apostolica qua Omnia Matrimonia Catholica, in Germania, Decreto “Tametsi” subiciuntur; excipiuntur Vero Matrimonia Mixta et Protestantium.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina¹ clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coepit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudiciis quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantias minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII. benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur.

¹ Sess. xxiv. cap. i., *De reform. matr.*

Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem, sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (id est a die decima quinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti, omnes catholicos, etiam huiusque immunes a forma Tridentina servanda ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parochi et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica, datis integre, formiter, utrumque legitimis cautionibus, per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parochi ac duobus vel tribus testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. Ut autem iudicibus ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in

posterum contrahendis ; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanarum aliosque opportuniore modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fidei communicent.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Januarii MDCCCXVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

PROCLAMATION.

PROSCRIBITUR IN URBE LIBER "LA QUESTION BIBLIQUE AU XX^e SIÈCLE," PAR A. HOUTIN.

Cum Nobis constet de consilio proxime evulgandi in hac Urbe Roma librum cui titulus *La question biblique au XX^e siècle* par *Albert Houtin*, Paris, Librairie E. Nourry, 14, Rue N.-D. De Lorette 1906.

Audita sententia aliquorum doctorum virorum, praedictum librum, auctoritate Nostra ordinaria, proscribimus atque proscriptum declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae iurisdictioni subiecto librum proscriptum aut vendere aut legere vel retinere liceat sub culpa lethali.

PETRUS RESPIGHI, *Card. Vicarius.*

L. ✠ S.

FRANCISCUS *Can. FABERI, Secretarius.*

DECREES.

CONGREGATION OF RITES.

DUBIA LITURGICA CIRCA EXPOSITIONEM ET REPOSITIONEM SS. SACRAMENTI.

Quum circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione ac repositione SSmi Eucharistiae Sacramenti dissideant probati S. Liturgiae interpretes, hodiernus Rmus. Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione, humillime subiecit; nimirum:

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), flectioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis?

II. Cum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid factururus? Videlicet: (1) Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus qui nobis sub Sacramento*, etc., debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? (2) Idem quaeritur de Celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum; (3) De celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat; (4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum; (5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

IV. Celebrans postquam, Benedictione impertita, ab altari descendit et genua flexit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

V. More apud Subalpinos recepto, secundo thus imponitur post cantatam orationem *Deus qui nobis*, etc. Iam quaeritur: (1) an mos servari possit? Et quatenus affirmative, quaeritur: (2) an sacerdos, cantata oratione, debeat impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem?

VI. Utrum sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit thus impositurus, debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII, c II. § III. n. 5?

VII. Iuxta Caeremoniale Episcoporum dum Celebrans canit orationem *Deus qui nobis*, etc., ministri librum sustinent genuflexi: contra Liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id eis permittunt. Quaeritur qua norma utendum?

VIII. An Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare nequeant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono, dalmatica et tunicella indutis, adiungi queant duo vel quatuor clerici induti pluviali?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.*

Ad II. *Nulla reverentia facienda est.*

Ad III. *Quoad 1^{um}. Nullam reverentiam debet facere; quoad 2^{um}. Inclinationem mediocrem faciant; quoad 3^{um}, 4^{um}, et 5^{um}. Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare, genuflectat in medio.*

Ad IV. *Nulla reverentia facienda est.*

Ad V. *Quoad 1^{um}. Negative Quoad 2^{um}. Provisum in praecedenti.*

Ad VI. *Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in thuribulo.*

Ad VII. *Ministri genuflexi maneat, librum sustinendo iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II. cap XXXIII., n. 27.*

Ad VIII. *Quoad 1^{um}. Affirmative, si Benedictio cum SSmo Sacramento fiat immediate post Vesperas sollemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab altari: dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat SSmmum Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat. Quoad 2^{um}. Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

DUBIA VARIA LITURGICA.

Hodiernus Rmus. Dnus. Episcopus Vilmensis a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime petit; videlicet:

I. Pro dioecesi Vilmensi habetur Decretum, quo permittitur

Missa votiva cantata dicta *Rorate* tempore Adventus. Missa ista, quae celebratur cum magna solemnitate magnoque concursu populi, cantatur, vi antiquissimae consuetudinis, cum *Gloria* et *Credo*. Quaeritur, utrum haec consuetudo possit servari, cum in Decreto supradicto nihil de modo cantandi tales Missas dicatur?

II. In eadem dioecesi solent cantari, post Missam solemnem, invocationes *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, etc. coram Sanctissimo Eucaristiae Sacramento exposito in Pyxide. Quaeritur utrum expositio haec fieri possit per expositionem Pyxidis in superiori parte Tabernaculi, eo fine ut Pyxis possit a frequenti populo bene videri, an Sanctissimum Sacramentum non possit e Tabernaculo tolli?

III. Quaeritur, utrum pro valida consecratione altaris fixi vel portatilis sufficiat, ut in Sepulchro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel utrum unius solummodo Martyris; an sit omnino necessarium, ut in Sepulchro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Iuxta Decreta*, Missa *RORATE* cantari potest in casu, cum *GLORIA* et *CREDO* solummodo in Novendiali ante festum Nativitatis Domini ratione consuetudinis et concursus populi; in praecedentibus vero diebus Adventus cantari debet sine *GLORIA* (praeterquam in Sabbatis et infra Octavam festi B. Mariae Virginis) et sine *CREDO*.

Ad II. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem quoad utrumque; negative ad secundam.*

Atqua ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secretarius.

E S. CONGREGATIONE RITUUM.

I.

De absoluteione ad tumulum, et de cantu Responsorii

“ Libera me ” post Missas de die.

Hodiernus R^{mus}. Episcopus Samogitiensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter expetivit, ut, ad devotionem populi pro animabus defunctorum fovendam et secundum antiquam ac vigentem in dioecesi Samogitiensi consuetudinem, licite possit post Missas de die et non de Requie, cantatas vel lectas, in

medio ecclesiae extendi pannus niger, et, posito prope et extra illum crucifixo, cantari a sacerdote induto pluviali nigro et a cantoribus *Libera* cum aspersionibus et incensationibus, quae fieri solent ad tumulum.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Servetur Decretum n. 3780 *Romana* 12 Iulii 1892 ad VIII ; et si dicatur Officium defunctorum, fiat in casu Absolutio immediate post ipsum et ante Missam.

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secr.*

DE CLERICO, LOCO SUBDIACONI VEL CAPPELLANI, IN MISSA
MINISTRANTE.

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur haec statuenda et in posterum observanda decrevit :

1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni, nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.

2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia, quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant, rite expleat hisce tamen exceptis : (a) aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit ; (b) calicem ipsum infra actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat ; (c) post ablutionem, calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alio Sacerdoti in Missa solemni sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest quae in Caeremoniali Episcoporum Lib. I., cap. XXIX. dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper : (a) calicem ante Offer-

torium non abstergat; (b) nec vinum nec aquam in eo infundat; (c) nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu, calix velatus ante Missam, ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 1 Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X., per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fidei relationi, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

II.

Additio Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserenda quinto Idus Iulias (die 12).

In Rhaetiae superioris monasterio Disertinensi, Sanctorum Fundatorum Sigisberti Hiberni, primi eiusdem Coenobii Abbatis, et Placidi Martyris, nobilis Rhaeti et primi ipsius discipuli: qui vitae sanctitate et miraculorum gloria monasticam disciplinam et Ecclesiam Dei illustrarunt: quorum cultum ex sacrorum Rituum Congregationis consulto Pius Papa X ratum habuit et confirmavit.

Romae, beati Pii etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto.

suprascriptam Additionem rite revisam Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserendam, instantibus Rev^{mls.} DD. Benedicto Prevost Abbate Disertinensi, et Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate totius Ordinis Benedictini, benigne approbare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secr.*

CONGREGATION OF INDULGENCES.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

I.

Indulg. copceduntur Archiconfr. a Corde Iesu Eucharistico.

Beatissime Pater :

Mathias Raus, Congregationis SS. Redemptoris Superior generalis, nec non Archisodalitatis SS^{mls.} Cordis Iesu Eucharistici supremus Moderator, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, suppliciter petit, ut Christifidelibus eidem Archisodalitati addictis, sequentes plenarias indulgentias, defunctis quoque applicabiles, Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur, nempe :

I. Quo die SS. Sacramentum in tabernaculo reclusum, in ecclesia Archisodalitatis vel in ecclesiis seu oratoriis ubi aliqua sodalitas Archisodalitati legitime aggregata reperitur, saltem per dimidium horae adoraverint.

II. Prima dominica vel prima feria quinta cuiusvis mensis.

III. In festis et diebus infra descriptis, scilicet : 1, Epiphaniae Domini N. Iesu Christi ; 2, Die anniversaria erectionis primae sodalitatis (22 Ian.) ; 3, S. Tarcisii Mart. (27 Ian.) 4, Purificationis B. M. V. (2 Febr.) ; 5, S. Thomae Aquinatis (7 Mart.) ; 6, S. Ioseph, Sponsi B. M. V. (19 Mart.) ; 7, S. Benedicti J. Labre (16 April) ; 8, S. Paschalis Baylon (16 Maii) ; 9, S. Antonii Patavini (13 Iunii) ; 10, B.M.V. de Perpetuo Succursu (dominica ante festum S. Ioannis Bapt.) ; 11, Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Ch. (dominica prima mensis Iulii) ; 12, SS^{mls.} Redemptoris (dominica tertia mensis Iulii) ; 13, S. Alphonsi M. de Ligorio (2 Aug.) ; 14, S. Ioachim, patris B. M. V. (dominica infra octavam Assumptionis) ; 15, Nativitatis B. M. V. (8 Sept.) ; 16, S. Theresiae Virg. (15 Oct.) ; 17, S. Gerardi Majella (16 Oct.) ; 18, Omnium Sanctorum ; 19, Commemorationis Fidelium defunctorum ; 20, Immaculae Conceptionis B. M. V. (8 Dec.) ; 21, S. Ioannis Ap. et Evang. (27 Dec.)

Dummodo praefatis diebus iidem sodales confessi ac sacra

Synaxi refecti ecclesiam Sodalitatis devote visitaverint, et inibi ad mentem Sanctitatis Vestrae pias preces fuderint.

Et Deus, etc.

Ex audientia SS^{mi}. diei 22 Novembris 1905.

SS^{mus}. D^{nus}. Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, in perpetuum, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 29 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, Praef.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secr.

Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus quandam precem ad S. Joachim.

Beatissime Pater,

Joseph Masquillier, Sacerdos Congregationis SS^{mi} Redemptoris, Director Annalium Sancti Joachim, ad Sanctitatio Vestrae pedes provolutus, humillime petit Indulgentiam pro sequente liturgica oratione.

“O Joachim sancte, conjux Annae, pater Almae Virginis, hic famulis confer salutis opem.”

Recitantibus hanc precem semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar a SS. D. N. die 28 Maii 1906. Manu propria signatum, exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secretaria ejusdem S. C. die 16 Junii 1906.

✠ D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secret.

L. ✠ S.

Beatissime Pater,

Cardinalis Episcopus Barcinonensis S. V. humiliter quae sequuntur exposit :

1. Apud Monialium Monasteria haud lucentur Indulgentiae invocationi “Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis” concessae, eo quod post Missam Conventualem dictae preces minime recitantur. Optaret igitur Cardinalis orator, ut Sanctimoniales Indulgentias praedictae invocationi adnexas lucrarentur, eam recitantes post Antiphonam “Angelus Domini” quae ter in die exorari solet.

2. Non ita pridem, S.V. benigne concessit, nonnullas Indulgentias pie recitantibus “Domina nostra Sanctissimi Sacramenti,

ora pro nobis," coram SSmo. Sacramento solemniter exposito; sed plura extant Monialium Monasteria in quibus nonnisi raro Augustissimum Sacramentum solemniter expositur. Optandum ergo esset ut Illud in Tabernaculo asservatum, pro iis Indulgentiis sufficiens conditio habeatur.

3. Ad devotionem in Jesum, Mariam et Joseph magis magisque fovendam, implorat orator, ut fidelibus Eorum Nomina conjunctim invocantibus, prouti frequentissimum in Hispania, concedatur toties quoties Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum; necnon Plenaria semel in mense lucranda, pro rite confessis ac Communionem refectis, qui dictam invocationem quotidie recitare consueverint.

Et Deus, etc.

JUXTA PRECES, IN DOMINO, QUOAD OMNIA.

DIE 8 JUNII 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorem fidem, etc.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 16 Junii 1906.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen. Secret.*

L. ✠ S.

Indulgentiae conceduntur fidelibus quasdam invocationes seu preces recitantibus.

I.

Beatissime Pater,

Nicolaus Joseph Camelli, Archiepiscopus Episcopus Jassien. ad S. Pedes osculum provolutus, Sanctitatem Vestram suppliciter exorat, ut quandam indulgentiam concedere dignetur, defunctis quoque applicabilem, omnibus fidelibus, quoties devote sequentem invocationem recitaverint.

Quod Deus, etc.

"Nos, Jesu, Maria et Joseph bone
Benedicite nunc et in mortis agone."

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, DIEI 9 JUNII 1906.

SSmus. D.N. Pius PP. X. universis christifidelibus, quoties praefatam invocationem corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentia quinquaginta dierum, defunctis quoque applicabilem benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 9 Junii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

II.

Beatissime Pater,

P. Josephus Angelucci, Ord. Servorum B.M.V. parochus S. Marcelli in Urbe, ad pedes S.V. provolutus, humiliter supplicat, ut quandam Indulgentiam concedere dignetur omnibus qui recitant jaculatoriam precem :

“Maria perdolens, Mater omnium christianorum, ora pro nobis.” Potissimum ut conversio Ecclesiarum dissidentium obtineatur.

Et Deus, etc.

EX AUDIENTIA SSMI. DIE 4 JUNII 1906.

SSmus. auditis expositis, omnibus christifidelibus, qui corde saltem contrito, praefatam precem devote recitaverint, quoties id egerint, Indulgentiam tercentum dierum aminabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem, etc.

CASIMIRUS, *Card. Gennari.*

L. ✠ S.

Praesentis Rescripti exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S.C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 27 Junii 1906.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

L. ✠ S.

Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus infrascriptam jaculatoriam.

Cunctis invocantibus B^{mam} Virginem per jaculatoriam “ Our Lady of Good Studies, pray for us,” semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

DIE 16 MAII, 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S.C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem :

Datum Romae, ex eadem Secretariae, die 22 Maii, 1906.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

Indulgentia Plenaria conceditur fidelibus renovantibus promissiones in suscipiendo Baptismate emissas.

URBIS ET ORBIS.

SSmus. D. N. Pius PP. X., humillimas preces R. P. Francisci Xavierii ab Immaculata Conceptione, Provincialis Provinciae S. Joseph Ordinis SSmae Trinitatis, clementer excipiens, quo magis christifideles ad servandas promissiones in susceptione Baptismatis ab ipsis emissas excitentur, Plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit, ab omnibus lucranda, qui, die festo Augustissimae Trinitatis, alicui piae caerimoniae in parochialibus aliisque ecclesiis, de Ordinariorum licentia et juxta eorum normas, peragenda, in qua solemniter praefatae promissiones denuo nuncupentur, devote adstiterint, simulque sacramentali confessione expiati et S. Synaxi relecti ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congnis. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. Kalendis Junii an. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen. Secret.*

PRAYER TO THE SACRED HEART OF JESUS.

Cor Jesu Sanctissimum, large, quaesumus, effunde tuas benedictiones super Sanctam Ecclesiam, super Summum Pontificem, et super omnem clerum; da justis perseverantiam, converte peccatores, illumina infideles, benedic nostros propinquos, amicos et benefactores, assiste morti proximos, libera animas in Purgatorio degentes, et super omnium corda dulce imperium tui amoris extende. Amen.

EX AUDIENTIA SSMI. DIEI 15 JUNII 1906.

SSmus. D.N. Pius PP. X., omnibus christifidelibus corde saltem contrito ac devote supracitatum precem recitantibus tercentorum dierum Indulgentiam, semel in die lucranda, benigne concessit; iis vero qui per integrum mensem, quotidie eandem recitaverint, quo die confessi ad S. Synaxim accesserint, atque ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenariam elargitus est. Quas Indulgentias Sanctitas Sua ad animas quoque in Purgatorio detentas applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria ejusdem S. Cóngregationis, die 16 Junii 1906.

A. Card. TREPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

BIBLICAL COMMISSION.

E Commissione Pontificia de re Biblica.

DE MOSAICA AUTHENTIA PENTATEUCHI.

Propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur :

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos ?

Resp. Negative.

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur ?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicæ authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit aequè ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit ?

Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu

nonnullae ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translata; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.

Die autem 27 Junii an. 1906, in audientia R. mis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa adprobavit ac publici juris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX, P.S.S.

P. LAURENTIUS JANSSENS, O.S.B.

Consultores ab Actis.

CONGREGATION OF BISHOPS AND REGULARS.

**Indulgetur Ministro Generali O. FF. Minorum Capuccinorum
Facultas Aggregandi Communitate Tertiariorum Regularium.**

Beatissime Pater,

Infrascriptus Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis prostratus humiliter exponit, quod ipsi interdum a congregationibus Tertiariorum S. Francisci in communitate viventium et vota simplicia emittentium porriguntur preces eo tendentes ut primo et secundo Ordini ab ipso dependenti aggregentur, et sic vi decreti Apostolici* sub die 28 Augusti anni 1903 editi a S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, indulgentiarum et spiritualium gratiarum eiusdem primi et secundi Ordinis, quantum concedere fas est, participes efficiantur. Porro inter has congregationes inveniuntur etiam tales, quae non dicti primi et secundi Ordinis habitum, nec nomen Capuccinorum mutantur, licet tamen, uti relatum fuit, ad magnam Familiam Franciscanam pertineant. Quapropter idem Minister Generalis ad obsecundandum piis enunciatarum congregationum votis, ad praecavendas invalidas Tertiariorum regularium aggregationes et etiam ad sui Ordinis bonum spirituale promovendum, Sanctitati Vestrae humiliter supplicatur pro gratia:

1^o Ut tam ipse quam sui successores, congregationes Tertiariorum et Tertiariorum Tertii Ordinis S. Francisci regulam a Leone XIII approbatam quoad substantiam profitentium, in communitate viventium et vota simplicia emittentium, sive primi et secundi Ordinis habitum et vota simplicia emittentium, sive primi et secundi Ordinis habitum et nomen mutantur, sive non, eidem primo et secundo Ordini aggregare possint et valeant.

* Cf. *Acta Pontificia*, vol. i., pag. 270.

2º Ut earumdem congregationum sodales, si id petant, ut quandoque evenit, participes reddere valeant omnium bonorum operum, quae in dicto primo et secundo Ordine a singulis membris peraguntur, utque vicissim primiet secundi Ordinis membra participare possint omnibus bonis operibus quae a sodalibus congregationum ut supra aggregatarum perficiuntur.

Vigore specialium facultatum a SSmo. Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum. et Rmorum. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus P. Ministri Generalis pro gratia, dummodo enunciatae Societates sint rite Tertio Ordini Franciscali addictae, nec alterius Familiae Franciscalis seu Fratrum Minorum vel Fratrum Minorum Conventualium directioni subiaceant. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✕ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

Monialis simpliciter professa potest cum sola moderatricis gen. licentia, mutare dispositionem reddituum.

Beatissime Pater,

Sanctimonialis N . . . praemisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis redditibus disposuit, iuxta normam proprio Ordini assignatam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium 12 Iulii 1896, quae in Collectanea Andrea Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo *quod votum paupertatis*, ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet.

Iamvero frater nunc, ob auctas necessitates, maiori subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat :—

I. An iuxta normas a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, die 28 Iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem reddituum mutare ?

II. Et quatenus negative, ut S. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur.

Prc qua gratia . . .

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Romae, 2 Iunii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✕ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

THEATINA. IURIUM CAPELLANORUM CONFRATERNITATUM.

Nonnullis in locis Theatinae Archidioeceseos, cum praeter parochum et capellanum confraternitatis ibidem erectae nulli sacerdotes reperirentur, Pro-vicarius generalis, ex mandato sui Archiepiscopi, in libello S. Rituum Cong. oblato exposuit saepe contingere ut capellanus, aetate plerumque iunior, ad fere omnes functiones sacras in ecclesia confraternitatis peragendas adnatus, dum parochus continenter ex eo refragatur, quod nil vel admodum parum adventitiorum emolumentorum ipsi cedat. In his adiunctis ut certa norma ad controversias huiusmodi dirimendas habeatur, Pro-vicarius trium dubiorum solutionem humiliter expostulavit.

Quum vero Sacra Rituum Congregatio, audita Commissione liturgica, quae exquisito voto R. Consultoris inhaesit, rem H.S.C. remisisset, quaestio hodie resolvenda proponitur.

En autem quibus verbis facta dubia sunt proposita : quaesitum scilicet est :—

“ 1° Se la risposta al quesito 10° del decreto emanato da cotesta S. C. in data 12 Gennaio 1704, intorno ai diritti dei parroci e delle confraternite riguarda soltanto le masse parate, quelle cioè che si celebrano con l'assistenza dei ministri, come pare doversi dedurre dall'aggettivo *soleenne* aggiunto a Messa, o anche le Messe cantate semplici, come pretendono i parroci.

“ 2° Se la risposta al quesito 20° dello stesso decreto si riferisca indistintamente a tutti i sudditi del parroco, o solamente a quelli che sono ascritti alle confraternite.

“ 3° Se i cappellani possono liberamente celebrare tridui e novene nelle chiese delle confraternite, anche nei giorni non contemplati negli statuti.”

Ex his dubiis, uti patet, duo priora ad interpretationem sese referunt responsionum quae sunt in celebri decreto S. RR. C. “ Urbis et orbis,” n. 2123, dato sub die 10 mensis Decembris a. 1703, et a Clemente Papa XI die 12 Januarii 1704 approbato ; postremum vero dubium versatur circa triduanas et novendiales preces, de quibus in decreto specialis mentio non habetur.

Interim notandum est Consultorem a S. RR. C. de sententia apposite rogatum, votum hisce verbis conclusisse :

“ Ad questiones propositas solvendas, prius notandum est sequens decretum S. C. Concilii diei 13 Januarii 1844 (apud Thesaur. resolut. S. C. Concilii, tom. 104, pag. 8-13), *Reatina*, ss. functionum.”

Quaesitum est : Dub. I. “ *An liceat capellano novenas, triduos et alias functiones cum expositione et benedictione SSmi. Sacra-*

menti explere in oratoria S. Dominici independenter a paracho in casu."

Dub. II. "*An liceat eidem capellano missas solemniter canere independenter a paracho in casu ?*" Et S. Cong. Concilii respondit : "*Ad I^{um} et II^{um} Affirmative in omnibus ad formam decretorum Urbis et Orbis S. Congr. Rituum diei 10 Decem. 1703 (scil. num. 2123), salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi populum solemniter cum SSmo. Sacramento prout de iure."*

"*Itaque ad I^{am} quaest. respondeo Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad II^{am} quaest. Affirmative ad primam, Negative ad secundam partem. Ad III^{am} quaest. Affirmative, salvo tamen, etc., ut supra."*

Nunc, ut nonnulla attingamus, quae propius ad rem faciant et aliqua rationum momenta hinc inde adducamus, notandum est primum quod proponitur dubium, verti super responso dato ad 10^{um} in praefato decreto a. 1703. Cum nempe tunc quaesitum esset : "*10^o An celebratio missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus.*" responsum fuit : "*Negative, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii, ut in Brundusina, sub die 1 Iunii 1601."*

Quae responsio ex parte capellanorum videretur tantummodo respicere missas quae cum ministrorum adistentia cantantur cum ipsa responsio se quidem referat ad dubium ita tunc concinnatum : "*An celebratio missarum solemnium per annum . . . sit de dictis iuribus parochialibus.*" Iamvero ipse "*ritus servandus in celebratione missae*" qui Missali Romano praemittitur, supponere videtur solemnem missam esse quae cantetur cum ministris.

Quod si ad solemnitatem non opus est concursu populi et apparatu extrinseco, necessarium tamen videtur ut missa cum diacono et subdiacono canantur.

Atque heic animadverti etiam posset quod ex responsione ad 10^{um} videretur celebrationem ipsarum missarum solemnium non esse per se de parochialibus iuribus, quia ad interrogationem hac in re respondetur "*Negative per se prout iacet ;*" eo minus igitur dicenda erit de parochialibus iuribus missa quae cum cantu ab uno sacerdote celebratur.

In quam sententiam et Curia Theatina inclinare videtur, dubio ita confecto : "*Se la risposta . . . riguarda soltanto le messe parate, quelle cioè che si celebrano con l'assistenza, dei ministri, come pare doversi dedurre dall' aggettivo solenne, aggiunto a messa, o anche le messe semplici, come pretendono i parroci."*

In specie vero quoad missas de requie cum cantu adest dilucidum decretum S.R.R.C. diei 10 Maii 1879 : "*An liceat in aliena*

Ecclesia et apud regulares cantare missam de requie, quam fideles celebrari petunt pro parentibus vel amicis defunctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint, etiamsi missa exequialis in ecclesia parochiali non celebratur." Resp. "*Affirmative, servatis tamen rubricarum regulis.*"

E contra ex parochorum parte videretur responsum ad 10^m quambilet missam cum cantu respicere, quia secus ipsius responsionis finis frustraretur, qui fuit confratribus limites hac in re imponere, adhibitis hisce verbis: "licere confratribus dumtaxat in festivitatis solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii."

Praeterea dum missa cum adistentia diaconi et subdiaconi, quia maiores expensas exigit, fit rarior, quibusdam in locis frequens est usus ut sacerdos sine ministris sacrum cum cantu conficiat, quo in casu eleemosyna ipsi celebranti fere integra cedit. Cum vero parochi onus animarum curae persentiant, congruum iustitiae non esset frequentioribus emolumentis ipsos privare.

Parochi autem argumentum adducunt eis taxas super lucris adventitiis a fisco imponi, utpote Curia Theatina exponit: 'Gli arcipreti reclamano continuamente, non solo perchè ritengono spettare a loro esclusivamente i diritti di stola bianca e nera, ma anche perchè l'agente fiscal, senza tener conto della rivela fatta per la liquidazione del supplemento di congrua, aumenta incessantemente la tasa di ricchezza mobile su gl'incerti.'

Quod si etiam stricto iure missa cum cantu confraternitatibus non fuerit praefato decreto interdicta, tamen id ex aequitate inducendum videretur adiunctis saltem inspectis dioecesis de qua agitur.

Secundum autem dubium est circa responsum ad 20 eiusdem decreti a. 1703. Cum enim quaesitum esset sub n. 20^o: *An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum,* responsum fuit '*Affirmative, quando tumulandus est subiectus parochi intra cuius fines est ecclesia vel oratorium.*' Nunc vero proponitur dubium: "*Se la risposta al quesito 20^o dello stesso decreto si riferisca indistintamente a tutti i suddetti del parroco, o solamente a quelli che sono ascritti alle confraternite.*"

Quoad nempe eos qui confraternitati sint adscripti propatula sunt verba decreti, iusta quae ius peragendi funus in ipsa confraternitatis ecclesia competit parochi, intra cuius paroeciae fines est ecclesia confraternitatis, si tumulandus eidem parochi est subiectus; quod in aliis decisionibus SS. CC. confirmatum fuit, si vero tumulandus non est subditus parochi intra cuius paroeciae limites est ecclesia confraternitatis, tunc ius funerandi pertinet ad capellanum, ut ex pluribus decisionibus desumitur.

At ex adverso quod spectat ad ipsam formam qua proponitur dubium, adnotandum videtur si responsio ad 20, valet quoad confratres e vita functos, eo magis valere quoad reliquos parochi subditos. Contrario quidem ordine servato, alia proposita fuerunt huiusmodi dubia ad H. S. C. et responsum hoc in sensu prodiit, ut in *Aprutina* 28 Ianuarii 1893, Iuris funerandi, in qua ad dubia: "1. *An confraternitates, de quibus supra, exemptae sint, a parochiali iurisdictione, et ius habeant funerandi super cadaveribus illorum qui ad eorum ecclesiam pro funere exponi elegerunt et ab ipsis deferri ad coemeterium voluerunt, salva tamen parochi quarta funeraria in casu.* 2. *An confraternitates quae ordinibus religiosis non successerunt ius habeant funerandi independenter a parochi solummodo super cadaveribus confratrum, salva semper eidem quarta funeraria in casu,*" rescriptum fuit: Ad 1^{um} et 2^{um} *Negative et amplius.*

Et hoc eruitur ex ipsa parochiali iurisdictione.

Quoad denique tertium dubium, ex parte parochorum dene-gandum videretur capellanos triduanas et novendiales preces caeterasque functiones sacras in ecclesiis confraternitatum libere exercere posse. Et parochorum rationes communi iure nituntur, qua ipsi auctoritatem in omnibus ecclesiis et oratoriis habent, ex eo quod in solo et ambitu paroeciae continentur, cap. *Dilectus*, 2 de *cappellis monachorum*; quum e contra confraternitates non ad hoc sint institutae, ut ecclesiasticas functiones obeant et hierarchicum ordinem in Ecclesia perturbent, sed ut, sociatis viribus, actus poenitentiae ac misericordiae opera impendant. Quod eo magis patet, si quis consideret quam caute Apostolica Sedes privilegia regularibus concesserit, quorum merita a laicorum sodalitiis longissime absunt.

Adde quod sacras functiones a digniori peragi convenit, et quidem ab eo qui ex officio vocatur, non vero a mercenario et conductio operario, qui auctoritatem suam a laicis recipit et non raro rebus novis studere solet.

Et si decretum S. RR. C. a. 1703 edixerit functiones quasdam ex iuribus stricte parochialibus non esse, non ideo eruendum est eas cuilibet sacerdoti competere.

Neque in casu praetereunda est Pro-vicarii generalis relatio quoad ne honestas quidem artes, quibus capellani ad suas ecclesias functiones trahunt, et quoad frequentia nec parva emolumenta quae ita auferunt parochis.

At ex parte capellanorum videretur triduanas et novendiales preces ceterasque functiones sacras in suis ecclesiis libere peragere posse etiam diebus quae in statutis non adnumerantur; quoad enim functiones quae a statutis praescribuntur, nulla quaestio esse potest, cum statuta confirmata fuerint superiori auctoritate.

Revera ex cap. ult. de officio archidiaconi iam eruitur ecclesias

positas intra limites parochialis ecclesiae subesse ei tantum in parochialibus iuribus, non quoad alia nisi paroecia causus et rationes suae petitiones afferat, ut argumentatur Benedictus XIV. *loc. cit.*, num. 108; non apparet autem qua de causa triduanæ et novendiales preces parochialibus iuribus pertineant.

Plures decisiones autem SS. CC. huic thesi pro capellanis adstipulantur. Neque decisiones quae prodire ante decretum a. 1703 attendi debent, sed potius responsiones quae ex tunc datae fuerunt seu post praefatum decretum et in quo sit sequendum indicarunt.

Quibus decisionibus in praesentiarum addi etiam posset urgent nequitia temporum, nulli medio parcendum esse ut foveatur pietas laicorum, praesertim in pia sodalitia coeuntium promotione inter ipsos ss. functionum.

His utrinque adnotatis sueta sapientia et prudentia EE. PP. proposita dimiserunt dubia, respondentes :

Ad I^{am} "*Per se et generatim loquendo, affirmative ad 1^{am} partem, negative ad 2^{am} et ad mentem quae est, ut quoties missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco missae solemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc verum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepat.*"

Ad II^{am} "*Affirmative ad 1^{am} partem ; negative ad 2^{am}.*"

Ad III^{am} "*Affirmative sub dependentia Episcopi.*"

DE ALIENATIONE PUBLICARUM VERSURARUM.

ROMANA ET ALIARUM.

A S. C. C. quaesitum fuit :

1. An pro alienationibus publicarum versurarum (vulgo titoli publici di credito al portatore), ad entia ecclesiastica vel ad pias causas tutelae ecclesiasticae subjectas pertinentium, necessarium sit Apostolicum beneplacitum sicuti pro alienationibus bonorum immobilium ac rerum pretiosarum ?

2. An eadem facultas requiratur pro earumdem permutatione in alias publicas versuras vel valores etiam immobiles ?

3. An venditores et acquirentes subjaceant poenis ecclesiasticis, statutis a Conc. Tridentino, cap. XI., Sess. XXII. de reform. ab Extrav. *Ambitiosae* et Constitutione *Apostolicae Sedis* ?

Emⁱ. Patres S. C. Concilii praepositi, tribus praefatis dubiis, die 17 Feb. 1906, respondendum censuerunt :

Ad. 1. Affirmative.

Ad. 2. Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adjunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis.

Ad. 3. Affirmative, quoad poenas in Extravaganti *Ambitiosae* et Constitutione *Apostolicae Sedis* statutas.

SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM.

ANNICIEN.

Rescripto H.S.C. diei 9 Iunii 1903 Episcopus Anniciensis prorogam obtinuit facultatem, ut cum parochis suae dioecesis super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis suppressis, pro suo arbitrio et conscientia, gratis dispensare possit et valeat; ad effectum, accedente eorumdem parochorum consensu, deponendi et erogandi in sustentationem minorum Seminariorum dioecesis, eleemosynas ex enunciatis Missis obventuras. Nunc idem Episcopus supplici oblato libello duplex petit resolvi dubium, videlicet:

1. Quando parochi diebus festis suppressis celebrant Missam cantatam, sive manualementem sive fundatam, quae in Dominica praecedenti praenuntiata fuerit cum indictione diei et horae, licetne ipsis ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium Missae lectae juxta taxam dioecesanam, an debent tradere integram stipendium pro constitutiones, an dioecesanis pro hujusmodi Missis praestitutum?

2. Si Missam exequialem cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciuntne suae obligationi, mittendo stipendium Missae lectae communis juxta taxam dioecesanam, an debent mittere stipendium Missae cantatae juxta praedictum taxam, salvis juribus stolae?

S. Cong. Concilii, duobus propositis dubiis rite perpensis, die 24 Martii 1906, rescribendum censuit:

Ad utrumque, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob majorem laborem vel incommodum, ad quae aliunde parochus obligatus non sit.

CONGREGATION OF THE INDEX.

S. CONGREGATIO INDICIS.

FERIA V DIE 6 APRILIS 1905.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Aprilis 1906, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in

Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

PAUL VIOLLET, *L'Infallibilité du Pape et le Syllabus..* Etude historique et théologique. Besancon, Paris, 1904.

L. LABERTHONNIÈRE, *Essais de Philosophie religieuse.* Paris, s. d. *Le Réalisme chrétien et l'Idéalisme grec.* Paris, s. d.

ANTONIO FOGAZZARO, *Il Santo.* Romanzo, Milano, 1905.

NICOLAUS JOZZELLI Decreto S. Congregationis, edito die 12 Decembris 1905, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X. per me infrascriptum Secretarium relatis. Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae die 5 Aprilis 1906.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Fr. THOMAS ESSER, *Ord. Praed. a Secretis.*

Die 6 Aprilis 1906, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

CONGREGATION OF THE INQUISITION.

Brevis forma determinatur pro administranda Extrema Unctione in casu necessitatis.

FERIA IV. DIE 25 APRILIS, 1906.

Cum huic Supremae Congregationi quaesitum fuerit ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminens, Em^l et Rev^{ml}. Patres Generales Inquisitores, maturime re perpensa, praehabitoque R^{morum}. Consultorum voto, decreverunt :

In casu verae necessitatis sufficere formam : Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.

Sequenti vero feria V. die 26 ejusdem mensis et anni, in audientia a SS^{mo}. D.N. Pio. div. providentia PP. X. R.P.D. Adessori impertita, SS^{mus}. D.N. decretum E^{morum}. et R^{morum}. Patrum adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI S.R. et U.I. Notarius.

L. ✠ S.

EPISTOLA.

**Qua Plus X laetatur de felici exitu conventus catholicorum
Germaniae nuper Essendiae celebrati.**

Dilecto Filio Nostro.

Antonio Tit. SS. Nerei et Achillei.

S. R. E. Presbytero Cardinali Fischer.

Coloniensium Archiepiscopo.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod felices exitus sortitus fuerit catholicorum Germaniae conventus Essendiae habitus superiori Sextili mense, id non una tantum ex parte comperimus, ac in primis ex iis quae coram diserteque retulit Ven. Frater Noster Praenestinus Episcopus, zelum et actuosam Germanorum sollertiam testatus. Opinionem, quae firma iamdiu Nostro inerat animo de gravitate filiorum qui Germaniam incolunt, firmiorem adhuc reddidit notitia disputationum, quae in Essendiensi conventu habitae sunt. Haud tamen minor delectatio fuit quam hausimus ex proposito iterum iterumque prolato, quo actionem religiosam Apostolicae Sedis auctoritati obnoxiam velle catholici e Germania orti declararunt. Haec quidem obedientia, uti diuturna experientia constat, peramplam et integram, licet aliter nonnulli oblatraverint rei veritatis ignari, cuique relinquit libertatem quoad ea quae religionem non attingunt, ideoque eam gignit singulorum animorum concordiam quae, a singulis ad societatem progrediens, sociale firmat bonum duplici coalescens elemento, religioso scilicet ac civili. Hoc valde probari visum est Augustissimo Imperatori ac Regi, qui grati et benevolentis animi sensa professus est erga eos qui, ortu ipsi religione autem Nobis subditi, statim ac Essendiam convenissent quum ipsum tum Nos obsequio prosecuti sunt. Laetitiam igitur, quam ex Essendiensi conventu profitemur haustam, tibi, dilecte Fili Noster, testatam volumus, ac per te clero populoque Archidioeceseos tuae cunctisque Nostris e Germania filiis qui ad participandos praefati congressus labores multiplici sane modo confluerunt. Grati insuper animi praecipuaeque benevolentiae Nostrae testis sit tibi ac illis Apostolica benedictio, quam caelestium munerum auspiciem vobis impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxx Octobris mcmvi,
Pontificatus Nostri anno quarto.

PIUS PP. X.

EX SECRETARIA STATUS.

Speciales facultates conceduntur Societati Hispanicae pro Navigatione Transatlantica.

Beatissime Pater,

Claudius Lopez Brù, Marchio de Comillas, Praeses Societatis Hispanicae pro Navigatione Transatlantica, ad pedes S. V. humiliter provolutus implorat prorogationem et quamdam necessariam ampliationem nonnullarum facultatum ipsi Societati iam pridem ad decennium concessarum, nempe:

I.—Pro eiusdem Societatis presbyteris cappellanis.

1°. Celebrandi per mare Missam, cum adistentia tamen, si fieri possit, alterius sacerdotis superpelliceo induti, dummodo mare sit tranquillum et nullum adsit periculum irreverentiae; facta etiam potestate iis qui Missae adstiterint accedendi ad Sacram Synaxim.

2°. Celebrandi item per mare Missam, cum potestate admit-tendi fideles ibi adstantes ad Sacram Communionem, etiam in adimplementum praecepti Paschalis, Feria V in Coena Domini.

3°. Administrandi pueris Sacramentum Baptismatis, *non tamen solemniter*, cauto semper obligationi dandi quamprimum baptizati parentum parrocho collati Baptismatis testimonium.

4°. Administrandi infirmis Sacramentum Extremae Unionis, atque etiam Communionis in forma Viatici, statim post Missam, cum particula in eodem Missae Sacrificio consecrata, ac servatis servandis.

5°. Impertiendi iis qui in navi fuerint in articulo mortis constituti, Apostolicam benedictionem cum Indulgentia Plenaria, dummodo iidem vere poenitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem contriti, ore si potuerint, sin minus corde, SS. Nomen Iesu invocaverint, iuxta formam in Ecclesia consuetam.

6°. Benedicendi coronas precatorias, cruces, parvas statuas et sacra numismata eisque applicandi Indulgentias quae continentur in elencho a S. C. de Propaganda Fide typis edito.

7°. Concionandi atque sacras fidelium confessiones in navibus excipiendi, dummodo sacerdotes a proprio Ordinario ad confessiones sint approbati; et quoad confessionem mulierum, dummodo opportuna adhibeatur craticula.

8°. Utendi omnium praedictarum facultatum non tantum per mare ac durante itinere, sed etiam dum naves in portu vel in sicco adsunt prout aliquando contigit.

II.—*Pro cappellanis, viatoribus ac vectoribus necnon ceteris omnibus navium servitio addictis vel inibi quomodocumque adstantibus.*

1°. Vescendi carnibus, ovis ac lacticiniis singulis anni diebus etiam ieiunio consecratis, facta quoque exemptione a lege ieiunii, et adiecta facultate permiscendi carnes cum piscibus.

2°. Lucrandi Indulgentiam Plenariam benedictioni Apostolicae adnexam in articulo mortis, etiam si naufragio vel alia quavis causa sacerdos absens fuerit; dummodo vere poenitentes et contriti, ore si potuerint, sin minus corde SS. Nomen Iesu invocaverint.

3°. Adimplendi in navi Praecepto Communionis Paschalis, si diebus Paschatis iter agere eis contigerit; et pro vectoribus aliisque navium servitio addictis, etiam si naves praedicto tempore firmæ in statione steterint.

4°. Peragendi Sacramentalem Confessionem apud quemcumque sacerdotem saecularem vel regularem, dummodo a proprio Ordinario ad Confessiones sit approbatus.

5°. Satisfaciendi Praecepto in diebus festis pro iis omnibus qui in navi Missam audiunt, quamvis non in cappella fixa, sed in altare portatili Sacrum celebretur.

Et Deus, etc.

Ex Audientia SSmi. die 20 Martii anno 1906.

Beatissimus Pater benigne excipiens preces quae supra scriptae sunt, a clarissimo Marchione de Comillas oblatas, omnes ac singulas gratias quae iisdem precibus implorantur, concedere dignatus est *ad decennium*, ea non excepta quae est de permiscendis, in comestionibus Quadragesimalis temporis, carnibus cum piscibus: qua tamen posteriore gratia uti non licebit sextis feriis Quadragesimae aliisque diebus, quibus abstinere ab eadem permixtione iubetur exercitus Hispaniae.

Datum a Secretaria Status die, mense et anno supradictis.

R. Card. MERRY DEL VAL.

L. ✠ S.

ALLOCUTIO.

Quam Pius PP. X habuit in Consistorio diei 6 Decembris 1906, de
mira Episcoporum concordia cum S. Sede deque eadem
exoptanda fidelium cum Episcopis concordia.

Venerabiles Fratres,

Nobis cum animo reputantibus quid hodie potius cum amplissimo coetu vestro communicaremus, nihil occurrit, quod sollicitos magis habeat, nisi ea acerbior in dies rerum atque hominum calamitosa procella, qua catholicum nomen miserrime affigitur. Equidem hoc maxime tempore Ecclesia sancta naviculae illi est verissime comparanda, quae in medio mari operiebatur fluctibus. Attamen minime nutat fides Nostra; quin imo firmissime persuasum est, nunc quoque nobis adesse Christum, qui maturo opitulandi momento, surgens imperet ventis et mari, atque optata fiat tranquillitas magna. Interea, Venerabiles Fratres, tametsi magnis premimur aerumnis, solatium non deest Nobis, grande illud quidem planeque mirandum, quodque vel ipsi stupent catholicarum partium osores. Concordiam inquam singularem, qua universus coalescit Episcoporum ordo, atque Nobiscum est coniunctissimus. Una enim omnium est conspiratio, unus consensus cum Pastore summo, Christi in terris Vicario; ut nemo sit illorum, qui insigne illud Augustini verbum iterare non gaudeat: *Roma loquuta est causa finita est*. Sicubi vero turbulentis inimicorum ausibus sacrorum Antistites acrius vexantur; eo ceterorum Episcoporum videmus oculos animosque converti addereque fratres fratribus solatia afflictis, ut scilicet malis ne cedant, sed stent fortiores tortoribus.—Pater sancte, qui illos posuisti regere Ecclesiam tuam, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis eorum!

Utinam porro ad praeclarissimum hoc Episcoporum suorum exemplum catholicus etiam populus componatur ubique! Id utique toto Nos pectore exoptamus, id toto nisu hortamur, ut fideles suis omnino consentiant pastoribus, nihilque antiquius habeant, quam illorum nutu duci suasuque moveri. Postulat hoc quidem christiani nominis officium; sed postulat modo impensius religionis bonum; ut videlicet, ubi christianae rei oppugnatio iam premit, constanti fortitudine superetur; ubi vero parantur religioni infesta, catholici, partium studiis animorumque dissensionibus generose depositis, quidquid leges sinunt nec christiana conscientia prohibet, id totum audeant ut ea feliciter avertantur.

Haec ad commune solatium atque ad animos excitandos visum est significare; nunc vero officium exigit, Venerabiles Fratres, ut nonnullarum viduitati ecclesiarum, imprimisque inclitae Sedi Patriarchali Hierosolymitanae latinae, quae per obitum Ven. Fratris Ludovici Piavi vacat, provideamus. Ad quam, re mature perpensa, Ven. Fratrem Philippum Camassei Archiepiscopum Naxiensem destinare placuit.—Quae huius Antistitis in Apostolicam Sedem sit voluntas, quae sint multarum ornamenta virtutum fusius prosequi non opus est. Curiae Vicarii Pontificis Maximi in Urbe primum navavit operam, matrimoniiis fidelium rite ordinandis praefectus. Tum vero, per annos quindecim, Collegio Urbaniano Rector cum laude praefuit, inter Pontificiae Domus Antistites merito cooptatus. Illum demum, ante annos duos, Archiepiscopatu Naxiensi, Nos ipsi auximus. In quo administrando quoniam egregie se probavit; de eo ad latinum Hierosolymitanum Patriarchatum evehendo cogitavimus. Quae auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, electionem facimus de persona praedicti Philippi Camassei, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiae Naxiensi, ac transferimus ad Patriarchalem ecclesiam latinam Hierosolymitanam, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali ecclesiae latinorum, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimitur; contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris ☩ et Filii ☩ et Spiritus ☩ Sancti. Amen.

EPISTOLA ENCYCLICA.

SS. D. F. Pil div. prov. Papae X ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae, de inobedientiae ac independentiae spiritu in clericis reprimendo.

AI VENERABILI FRATELLI

ARCIVESCOVI E VESCOVI D'ITALIA

PIO PP. X

Venerabili Fratelli, salute ed Apostolica benedizione,

Pieni l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al Principe dei pastori Gesù Cristo a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì Nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta di presente l'umana società. Teniamo perciò come detta a Noi la parola del Profeta: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*;* e non manchiamo, ora di viva voce ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando soprattutto lo zelo dei Nostri Fratelli nell' episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell'ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

Il motivo, che Ci spinge a levare di nuovo la voce, è del più grave momento. Trattasi di richiamare tutta l'attenzione del vostro spirito e tutta l'energia del nostro pastorale ministero contro un disordine, di cui già si provano i funesti effetti: e, se con mano forte non si svelle dalle più ime radici, conseguenze ancor più fatali si proveranno coll'andare degli anni.—Abbiamo infatti sott'occhi le lettere di non pochi fra voi. O Venerabili Fratelli; lettere piene di tristezza e di lagrime, le quali deplo-
rano lo spirito *d'insubordinazione* e *d'indipendenza*, che si manifesta qua e là in mezzo al clero.—Purtroppo un'atmosfera di veleno corrompe largamente gli animi ai nostri giorni; e gli effetti mortiferi sono quelli che già descrisse l'apostolo S. Giuda. *Hi car-
nem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant*; † oltre cioè alla più degradante corruzione dei costumi, il disprezzo aperto di ogni autorità e di coloro che la esercitano. Ma che tale spirito penetri comeccchessia fino nel santuario ed infetti coloro, ai quali più propriamente convenir dovrebbe la parola dell' Ecclesiastico: *Natio illorum, obedientia et*

* Is. LVIII, 1,

† Iud., 8.

dilectio;* è cosa questa che Ci ricolma l'animo d'immenso dolore.—Ed è soprattutto fra i giovani sacerdoti che sì funesto spirito va menando guasto, spargendosi in mezzo ad essi nuove e riprovevoli teorie intorno alla natura stessa dell'obbedienza. E, ciò ch'è più grave, quasi ad acquistar per tempo nuove reclute al nascente stuolo dei ribelli, di tali massime si va facendo propaganda più o meno occulta fra i giovani, che nei recinti dei Seminari si preparano al sacerdozio.

Pertanto, O Venerabili Fratelli, sentiamo il dovere di fare appello alla vostra coscienza, perchè, deposta ogni esitazione, con animo vigoroso e con pari costanza diate opera a distruggere questo mal seme, fecondo di esicialissime conseguenze. Rammentate ognora che lo Spirito Santo vi ha posti a reggere. Rammentate il precetto di S. Paolo a Tito: *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat*.† Esigete severamente dai sacerdoti e da chierici quella obbedienza, che, se per tutti i fedeli è assolutamente obbligatoria, pei sacerdoti costituisce parte precipua del loro sacro dovere.

A prevenire però di lunga mano il moltiplicarsi di questi animi riottosi, giovera assaissimo, Venerabili Fratelli, l'aver sempre presente l'alto ammonimento dell'Apostola a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris*.‡ E la facilita infatti nell'ammettere alle sacre ordinazioni quella, che apre naturalmente la via ad *um moltiplicarsi di gente* nel santuario, che poi *non accresse letizia*.—Sappiamo esservi città e diocesi, ove, lungi dal potersi lamentare scarsità nel clero, il numero dei sacerdoti è di gran lunga superiore alla necessità dei fedeli. Deh! qual motivo, O Venerabili Fratelli, di rendere così frequente la imposizione delle mani? Se la scarsità del clero non può essere ragione bastevole a precipitare in negozio di tanta gravità; là dove il clero sovrabbonda al bisogno, nulla è che scusi dalle più sottili cautele e da somma severità nella scelta di coloro, che debbano assumersi all'onore sacerdotale. Nè l'insistenza degli aspiranti può menomare la colpa di siffatta facilità. Il sacerdozio, istituito da Gesù Cristo per la salvezza eterna delle anime, non è per fermo un mestiere od un ufficio umano qualsiasi, al quale ognun che il voglia e per qualunque ragione abbia diritto di liberamente dedicarsi. Promuovano adunque i Vescovi, non secondo le brame o le pretese di chi aspira, ma, come prescrive il Tridentino, secondo la necessità delle diocesi; e nel promuovere di tal guisa, potranno scegliere solamente coloro che sono veramente idonei, rimandando quelli che mostrassero inclinazioni contrarie alla vocazione sacerdotale, precipua fra esse la indisciplinatezza e ciò che la genera, l'orgoglio della mente.

* Iud. III, 1.

† Iud. II, 15.

‡ I Timoth. V, 22.

Perchè poi non manchino i giovani che porgano in sè attitudine per essere assunti al sacro ministero, torniamo, Venerabili Fratelli, ad insistere con più premura su ciò che già più volte raccomandammo: sull'obbligo cioè che vi corre, gravissimo dinanzi a Dio, di vigilare e promuovere con ogni sollecitudine il retto andamento dei vostri Seminari. Tali avrete i sacerdoti, quali vio li avrete educati.—Gravissima è su ciò la lettera che vi dicesse, in data 8 Dicembre 1902, il Nostro sapientissimo Predecessore, quasi testamento del suo diuturno pontificato. Nulla Noi vogliamo aggiungervi di nuovo: richiamiamo solo alla vostra memoria le prescrizioni in essa contenute; e raccomandiamo vivamente, che al più presto sieno messi in esecuzione i Nostri ordini, emanati per organo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, sulla concentrazione dei Seminari, specialmente per gli studi della Filosofia e della Teologia, a fine di ottenere così il grande vantaggio derivante dalla separazione dei Seminari piccoli dai Seminari maggiori, e l'altro non meno rilevante della necessaria istruzione del clero.

I Seminari siano gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano *esclusivamente* destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all'alta missione di ministri di Cristo.—Gli studi di Filosofia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano, tenendosi alle pontificie prescrizioni, e allo studio di S. Tommaso, tante volte raccomandato dal venerato Nostro Predecessore e da Noi nelle Lettere Apostoliche del 23 Gennaio 1904. I Vescovi poi esercitino la più scrupolosa vigilanza sui maestri e sulle loro dottrine, richiamaudo al dovere coloro, che corressero dietro a certe novità pericolose, ed allontanando senza riguardo dall'insegnamento quanti non approfittassero delle ricevute ammonizioni.—Il frequentare le pubbliche Università non sia permesso ai giovani chierici se non per molto gravi ragioni e con le maggiori cautele per parte dei Vescovi. Sia onninamente impedito che dagli alunni dei Seminari si prenda parte comechessia ad agitazioni esterne; e perciò interdiciamo loro la lettura di giornali e di periodici, salvo per questi ultimi, e per eccezione, qualcuno di sodi principi, stimato dal Vescovo opportuno allo studio degli alunni.—Si mantenga con sempre maggior vigore e vigilanza l'ordinamento disciplinare.—Non manchi da ultimo in verun Seminario il direttore di spirito, uomo di prudenza non ordinaria ed esperto nelle vie della perfezione cristiana, il quale, con cure indefesse, coltivi i giovani in quella soda pietà, ch'è il primo fondamento della vita sacerdotale.—Queste norme, O Venerabili Fratelli, ove sieno da voi coscienziosamente e costantemente seguite, vi porgono sicuro affidamento di vedervi crescere intorno un clero, il quale sia vostro gaudio e corona vostra.

Se non che il disordine d' insubordinazione e d' indipendenza, finora da noi lamentato, in taluni del giovane clero va assai più oltre, con danni di gran lunga maggiori. Imperocchè non mancano di coloro, i quali sono talmente invasi da sì reprobò spirito, che, abusando del sacro ministero della predicazione, se ne fanno apertamente, con rovina e scandalo dei fedeli, propugnatori ed apostoli.

Fin dal 31 Luglio 1894 il Nostro Antecessore, per mezzo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, richiamò l'attenzione degli Ordinari su questa grave materia. Le disposizioni e le norme date in quel pontificio documento Noi le manteniamo e rinnoviamo, onerando su di esse la coscienza dei Vescovi, perchè non abbiano ad avverarsi mai in veruno di loro le parole di Nahum profeta: *Dormitaverunt pastores tui.**—Nessuno può avere facoltà di predicare, *nisi prius de vita et scientia et moribus probatas fuerit.†* I sacerdoti di altre diocesi non debbono ammettersi a predicare senza le lettere testimoniali del proprio Vescovo. —La materia della predicazione sia quella indicata dal divin Redentore, là doue disse: *Praedicate evangelium.‡* . . . *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.§* Ossia, come commenta il Concilio di Trento: *Annunciantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant.||*—Quindi si bandiscano del tutto dal pulpito gli argomenti più acconci alla palestra giornalistica ed alle aule accademiche che al luogo santo; si antepongano le prediche morali a conferenze, il men chè possa dirsi, infruttifere; si parli *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.¶* Perciò la fonte precipua della predicazione devono essere le Sacre Scritture, intese, non già secondo i privati giudizi di menti il più delle volte offuscate dalle passioni, ma secondo la tradizione della Chiesa, le interpretazioni dei Santi Padri e dei Concilii.

Conformemente a queste norme, Venerabili Fratelli, egli è duopo che voi giudichiate di coloro, ai quali vien da voi commesso il ministero della divina parola. E qualora troviate che talun di essi, più cupido degli interessi propri che di quelli di Gesù Cristo, più sollecito di plauso mondano che del bene delle anime, se ne allontani; e voi ammonitelo, correggetelo; e se ciò non basti, rimovetelo inesorabilmente da un ufficio, di cui si manifesta affatto indegno.—La quale vigilanza e severità tanto più dovete voi adoperare, perchè il ministero della predicazione è tutto proprio di voi ed è parte precipua dell'ufficio episcopale;

* Cfr. *Acta S. Sedis*, III. 18.

† Conc. Trid., Sess. v, cap. 2, *de Reform.*

‡ Marc. xvi, 15.

§ Matth. xxviii, 20.

|| Loc. cit.

¶ I Cor. ii, 4.

e chiunque oltre di voi lo esercita, lo esercita in nome vostro ed in vostro luogo; ond'è che restra sempre a voi il rispondere innanzi a Dio del modo col quale viene dispensato ai fedeli il pane della parola divina.—Noi, per declinare da parte Nostra ogni responsabilità, intimiamo ed ingiungiamo a tutti gli Ordinari di rifiutare o di sospendere, dopo le caritatevoli ammonizioni, anche durante la predicazione qualsivoglia predicatore, sia del clero secolare sia del regolare, il quale non ottemperi pienamente alle ingiunzioni della precitata Istruzione emanata dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari. Meglio è che i fedeli si contentino della semplice omelia e della spiegazione del Catechismo fatta dai loro parroci, anzichè dover assistere a prediche che producono più male che bene.

Un altro campo, dove tra il giovane clero si va trovando pur troppo ansa ed eccitamento a professare e propugnare la esenzione da ogni giogo di legittima autorità è quello della così detta azione popolare cristiana. Non già, o Venerabili Fratelli, perchè questa azione sia in sè riprovevole o porti di sua natura al disprezzo dell'autorità; ma perchè non pochi, fraintendendone la natura, si sono volontariamente allontanati dalle norme che a rettamente promuoverla furono prescritte dal Predecessore Nostro d'immortale memoria.

Parliamo, ben l'intendete, della Istruzione, che circa l'azione popolare cristiana emanò, per ordine di Leone XIII, la Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, il 27 Gennaio 1902, e che fu trasmessa a ciascun di voi, perchè nelle rispettive diocesi ne curaste l'esecuzione.—Questa Istruzione altresì Noi manteniamo, e colla pienezza di Nostra potestà ne rinnoviamo tutte e singole le prescrizioni; come pure confermiamo e rinnoviamo tutte le altre da Noi stessi all'uopo emanate nel *Motu proprio* del 18 Dicembre 1903 *De popolari actione christiana moderanda*, e nella Lettera circolare del diletto figlio Nostro il Cardinale Segretario di Stato, in data 28 Luglio 1904.

In ordine alla fondazione e direzione di fogli e periodici, il clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto nel l'art. 42 della Costituzione Apostolica "*Officiorum*"*: *Viri e clero. . . prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria et folia periodica moderanda suscipiant.*—Parimente, senza il previo assenso dell'Ordinario, niuno del clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere meramente tecnico. Nelle fondazioni di circoli e società, gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall'Ordinario.—Le conferenze sull'azione popolare

* 25 Gennaio 1897.

cristiana o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza il permesso dell'Ordinario del luogo.—Ogni linguaggio, che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori, è e deve ritenersi affatto contrario al vero spirito di carità cristiana.—È similmente da riprovare nelle pubblicazioni cattoliche ogni parlare, che, ispirandosi a novità malsana, derida la pietà dei fedeli ed accenni a *nuovi orientamenti della vita cristiana, nuove direzioni della Chiesa, nuove aspirazioni dell' anima moderna, nuova vocazione sociale del clero*, nuova civiltà cristiana, e simili.—I sacerdoti, specialmente i giovani, benchè sia lodevole che vadano al popolo, debbono nondimeno procedere in ciò col dovuto ossequio all' autorità e ai comandi dei Superiori ecclesiastici. E pure occupandosi, con la detta subordinazione, dell'azione popolare cristiana, deve essere loro nobile compito “di togliere i figli del popolo alla ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli ad un vivere onesto e virtuoso; riaffermare gli adulti nella fede dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla pratica della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle istituzioni, che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra tutto i principi di giustizia e carità evangelica, ne' quali trovano equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil convivenza. . . . Ma abbiano sempre presente, che anche in mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto a capo dei fratelli *animarum causa* : * qualsivoglia maniera di occuparsi del popolo, a scapito della dignità sacerdotale, con danno dei doveri e della disciplina ecclesiastica, non potrebbe essere che altamente riprovata.”†

Del resto, Venerabili Fratelli, a porre un argine efficace a questo fuorviare d'idee ed a questo dilatarsi di spirito d'indipendenza, colla Nostra autorità proibiamo d' oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi. In modo poi più speciale, e nominatamente, proibiamo ai medesimi, sotto pena pei chierici d'invalidità agli Ordini sacri e pei sacerdoti di sospensione *ipso facto a divinis*, di ascrivere alla *Lega democratica nazionale*, il cui Programma fu da Roma-Torrette li 20 Ottobre 1903, e lo Statuto, pur Senza nome dell'autore, fu nell'anno stesso stampato a Bologna presso la Commissione Provvisoria.

Sono queste le prescrizioni, che, avuto riguardo alle condizioni presenti del Clero d'Italia, ed in materia di tanta importanza, esigeva da Noi la sollecitudine dell' Apostolico ufficio.—Ora

* S. Greg. M., *Regul. Past.*, pars II, c. VII. † Ep. Encycl. 8 Dec. 1902.

altro non Ci resta, che aggiungere nuovi stimoli al vostro zelo, Venerabili Fratelli, affinchè tali disposizioni e prescrizioni Nostre abbiano pronta e piena esecuzione nelle vostre diocesi. Prevenite il male dove fortunatamente ancor non si mostra; estinguetelo con pontezza dov'è sul nascere; e dove per isventura sia già adulto, estirpatelo con mano energica e risoluta. Di ciò gravando la vostra coscienza, vi imploriamo da Dio lo spirito di prudenza e forza necessaria. Ed a tal fine vi impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica Benedizione.

Dato a Roma presso S. Pietro, il 28 Luglio 1906, anno terzo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO.

De religiosorum sodalitatibus nisi consulta Apostolica Sede non instituendis.

PIUS PP. X.

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causâ in variis religionis aut misericordiae operibus exercent. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam: hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus quod illae reliquum fecerint. Verumtamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc advertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis con-

sultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum nonnulla praescipsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequanda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus:

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quanam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem continetur: an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstat, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutare licebit.

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen, dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri constitutione *Conditae* sanctum est.

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvi Iulii anno mcmvi, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

Tribuitur Magistro gen. O. P. facultas delegandi sacerdotes ad recipiendos Christifideles in Societatem SS. Rosarii.

Beattissime Pater,

Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, ab Ea humiliter petit sibi suisque Successoribus fieri facultatum delegandi ubique locorum Sacerdotes, sive Regulares sive Saeculares, ad hoc ut Christifideles utriusque sexus in Societatem SS. Rosarii recipere, eorumque Rosaria, Rosas et candelas benedicere valeant, cum applicatione Indulgentiarum a Summis Pontificibus eidem Rosarii Confraternitati concessarum, firmo remanente onere mittendi, data opportunitate, adscriptorum nomina ad aliquam Confraternitatem canonice erectam.

Et Deus.

Iuxta preces, die 31 Iulii anno 1906.

PIUS PP. X.

Iam abrogata centum annorum totidemque quadragenarum indulgentia fratribus ac sororibus societatis a SS. Rosario, ipsius Rosarii signa devote deferentibus, semel in die lucranda, rursus conceditur.

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus exponit quod Innocentius VIII., in Bulla "*Splendor paternae gloriae*," diei 26 Febr. 1491, ita edixerat :

"Nos cupientes ut ipsi Confratres et Consorores sedulius Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant... quo ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus et Auctoritate Apostolica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tempore existentibus, Rosarium deferentibus centum annos et totidem quadragenas Indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis, misericorditer in Domino indulgenus.

"Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis."

Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in Catalogo Indulgentiarum, die 29 Aug. 1899, a fel. rec. Leone XIII approbato, quo edicitur "quascumque alias Indulgentias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas, seu revocatas esse censendas," praedictus Magister Generalis, suo

et omnium SS. Rosarii Confratrum et Consororum nomine, humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat ut praedictam centum annorem et totidem quadragenarum Indulgentiam, semel in die lucranda ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

Et Deus.

Iuxta preces in Domino, die 31 Iulii anno 1906.

PIUS PP. X.

INSTRUCTIO 1880.

Instructio S. C. de Prop. Fide.

De modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus Clericorum in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis.

Cum Magnopere hujus S. Consilii intersit in ecclesiasticis judiciis eam methodum servari quae et temporum circumstantiis opportune respondeat, et regulari justitiae administrationi nec non Praelatorum auctoritati tuendae querelisque reorum praecavendis par omnino sit, placuit iterum ad examen revocari ea omnia quae in hac re pro ecclesiis Foederatorum Americae Septentrionalis Statuum in Instructione diei 26 Iulii anni 1878, nec non in responsione ad dubia circa eamdem posterius proposita continebantur. Itaque S. C. omnibus mature perpensis, SSmo. D. N. Leone PP. XIII. approbante, haec quae sequuntur observanda decrevit, praecedenti Instructione ac successiva declaratione abrogata, iis exceptis quae in hac continentur.

I. Ordinarius pro suo pastorali munere tenetur disciplinam correptionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta sive praecavendis sive tollendis abusibus in clerum aliquando irrepentibus provide adhibeat.

II. Haec vero remedia alia praeventiva sunt, alia repressiva. Illa quidem ad praepedienda mala, scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Haec vero eum in finem constituta sunt, ut delinquentes ad bonam frugem revocentur, ac culparum consecutaria e medio tollantur.

III. Conscientiae Ordinarii remittitur cujusque remedii appli-

[“ Within the last few years the Instruction S.C.P.F. ‘Cum Magnopere’ has been also extended to England except in the cases of the smaller dioceses.”
—(The Law of the Church, Taunton, p. 209.)]

catio canonicis praescriptionibus servatis pro casuum ac circumstantiarum gravitate.

IV. Praeventiva remedia sunt praecipue spiritualia exercitia, monitiones, praecepta.

V. Antequam vero ea adhibeantur, summaria factorum cognitio praecedat oportet; cujus notitiam Ordinarius servari curet ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat.

VI. Canonicae monitiones vel secreto fiunt (etiam per epistolam vel per interpositam personam) ad modum paternae corptionis, vel servata forma legali adhibentur, ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat.

VII. Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius jubet, per curiam delinquenti analogum praeceptum intimari ita, ut in hoc explicetur quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione quam si praeceptum transgrediatur, incurret.

VIII. Praeceptum delinquenti a curiae cancellario coram vicario generali iungitur, aut etiam coram duobus testibus ecclesiasticis vel laicis spectatae probitatis.

1^o. Actus injunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delincente etiam, si velit.

2^o. Vicarius generalis iusjurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur.

IX. Quod vero pertinent ad remedia repressiva seu poenas, animadvertant Ordinarii in suo pleno vigore manere remedium extrajudiciale ex informata conscientia pro occultis reatibus a S. Concilio Tridentino constitutum Sess. XIV., Cap I. de Reform.

X. In actione criminali vel ob praecepti inobservantiam, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem processus summarie et sine strepitu iudicii servatis semper in tota sua substantia iustitiae regulis conficiatur.

XI. Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad curiam perlato, et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetur.

XII. Ubi curiae iam constitutae sunt, compilatio processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat actuarius.

XIII. In qualibet curia episcopali procurator fiscalis constituetur, ut iustitiae et legi satisfiat.

XIV. Pro intimationibus vel notificationibus, si apparitores

curiae desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata quae eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiore reddat: vel etiam a curia per publicos tabellarios commendatae (quibus locis hoc systema vigeat) transmittantur, exquisita fide exhibitionibus atque acceptionis vel repudii. *Intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant.*

XV. Delicti fundamentum erui potest ex ipsa expositione habita in processu, quae authenticis informationibus vel confessione extrajudiciali, vel testium depositionibus confirmetur: transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis ad normam art. VII. et VIII. factae deducitur.

XVI. Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur quocumque rationabili dubio oppositi remoto.

XVII. Personae quae examini subiiciendae sunt, separatim audiuntur.

XVIII. Testes ad probationem sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur praestito juramento de veritate dicenda, et si res postulet, etiam de secreto servando.

XIX. Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena dioecesi degunt, mediante auctoritate ecclesiastica loci in quo manent examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur: quae quidem auctoritas in responsione normas in hac Instructione contentas observabit.

XX. Si indicentur testes qui de factis vel circumstantiis ad meritum causae substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non *licet aut* decet eos citare in iudicium, vel quia rogati adesse recusent, necesse est id in actis commemorare, eorumque deficientia suppletur testimoniis aliorum qui vel de relato vel aliter rem de qua quaeritur, noverint.

XXI. Ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet absolutum fuerit, impunitus *intimatione scripta* ad examen vocatur.

XXII. In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra reum perlatae per extensum referuntur, ut ad responsionem se praeparare possit.

XXIII. Quod si ob accusationum qualitatem vel alia de causa haud expediat ut in intimatione exprimantur, in hac satis erit innuere ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat.

XXIV. Si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse judicandum: quam intima-

tionem si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habeatur.

XXV. Verum si ad examen accedat, audiatur: et ubi inductiones alicuius valoris exhibeat, eae quantum fieri potest accurate discutiantur.

XXVI. Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum, quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur et in poenas canonicas incurrisse censeatur.

XXVII. Inquisitus, ubi ex his noverit quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac si velit utetur jure defensionis a seipso *in scriptis* peragendae.

XXVIII. Potest etiam, si postulet, obtinere ut terminus ad defensionem scripto exhibendam praefigatur: maxime si ob ea quae art. xxiii indicata sunt, responsionem ad accusationes contra se latas parare non potuerit.

XXIX. Absoluto processu redactor actorum summarium praecipuorum argumentorum, quae ex ipso elucet, conficiat.

XXX. Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine *in scriptis* exhibendi. *Quod si idoneum non reperiat*, laicum catholicum adhibere potest. Quisque autem ex iis ab Ordinario approbandus est.

XXXI. Si vero reus defensorem deputare recuset, Ordinarius illum ex officio designabit.

XXXII. Defensor debitis sub cautelis in cancellaria curiae processum ejusque summarium inspiciet, ut reum tueatur; ac defensionem ante causae ipsius propositionem scripto *exhibebit*. Ipse quoque ad juramentum de secreto servando tenetur, quando iudex indolem causae id postulare censuerit.

XXXIII. Processus ejusque summarium ad procuratorem fiscalem mittitur, ut officio suo fungi possit. *Postquam procurator fiscalis suas conclusiones ediderit, eadem defensori rei communicandae sunt ut ad easdem si placuerit in scriptis respondeat*; tum omnia ad ordinarium remittuntur qui, ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet in qua sententia dicenda sit.

XXXIV. Praestituta die, ab *Episcopo vel* vicario generali praesente procuratore fiscali et defensore sententia pronuntiatur, ejusque pars dispositiva cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur.

XXXV. Sententia reo intimetur, qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere.

XXXVI. In appellatione observentur normae expressae in constit. s. m. Benedicti XIV. *Ad militantis* diei 30 Martii 1742, ac ceterae indictae a S. C. Ep. et RR. decreto diei 18 Decembris 1835, et epistola circulari diei 1 Aug. 1851.

XXXVII. Intra terminum decem dierum a notificatione sententiae interpositio appellationis fieri debet, quo elapso tempore sententiae executio locum habet.

XXXVIII. Appellatione interposita, continuo curia ad auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis auto graphis, id est processum, ejus summarium, defensionem ac sententiam mittit.

XXXIX. Haec porro superioris instantiae auctoritas appellatione cognita appellanti injungit, ut intra *triginta* dies defensionem deputet, qui ab ipsa approbandus est.

XL. Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasset, quam propterea judex gradus superioris peremptam declarat.

XLI. In appellatione a sententia curiae episcopalis ad metropolitana Archiepiscopus in causa cognoscenda ac definienda eadem procidendi methodo utetur, quae in hac instructione indicatur.

XLII. Si clericus ob communes reatus a civili potestate privilegio fori non obstante processui ac judicio subjiciatur, Ordinarius summariam informationem criminis assumit, ac inquit num ad normam sacrorum canonum infamiae, irregularitati, vel alii ecclesiasticae sanctioni locus esse possit.

1°. Pendente judicio vel imputato in carcere detento prudens consilium erit, ut Ordinarius ordinationes mere provisorias adhibeat.

2°. Judicio absoluto, si liber accusatus remittatur, curia episcopalis juxta informationes ut supra assumptas ea ratione procedet, quae in hac instructione constituitur.

XLIII. In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

Ex. aud. SSmi. diei 11 Junii 1880.

SSmus. Dnus. Noster LEO div. prov. PP. XIII., audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sac. Congreg. Episcoporum et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra.

I. CARD. FERRIERI, *Praef.*

I. B. AGNOZZI, *Secretarius.*

[XLIV. Haud ita facile curiae episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, judex apellationis a talibus damnationibus abstineat, cum ea indicia sufficiant ut in judice, qui antea processit, ea vera et propria calumnia excludatur, quae ad hujusmodi damnationem requiritur.

XLV. Concilii Plenarii Baltimorensis II. decreta n. 125 quoad naturam missionum, et nn. 77, 108 quoad juridicos effectus remotionis missionariorum ab officio, nullatenus innovata seu infirmata intelliguntur, salvis iis quae recentius de parochis seu rectoribus inamovibilibus constituta sunt.]

EX VICARIATU URBIS.

Decretum quo approbantur leges Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christianae.

Quam provide studio SSmus. D. N. Pius PP. X curaverit, ut, in tanta rerum divinarum ignoratione christianae doctrinae praeeptio vigeat, aut sicubi fuerit neglecta restituatur, plane declarant Encyclicae Litterae ad sacros universi terrarum orbis Antistites datae die xv mensis Aprilis an. MDCCCcv., quibus initium *Acerbo nimis*. In iis inter alia praescriptum est, ut "in omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice constituatur, cui vulgo nomen *Congregatio Doctrinae Christianae*." Huiusmodi autem sodalitatem principem a sa. me. Paulo V. in Urbe institutam temperare novisque rerum adiunctis aptare volens idem SSmus. D. N. Pius Constitutiones edidit eiusdem Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christianae a se reformatas et approbatas Apostolicis Litteris in forma Brevis diei v mensis Decembris an. MDCCCcv. In iis Constitutionibus, tit. III., n. XXIII. haec leguntur: "Ad efficacius exequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum, lex ab Archisodalitate proponetur, vim habitura postquam Cardinali vice sacra Urbis Antistiti fuerit probata." Nos itaque supremae Pontificis voluntati morem gerentes, uti decet, nihilque magis pensi habentes, quam ut per ordinatum regimen Venerabilis Archisodalitatis romanae, ceterae id genus minores consociationes incrementa et robur accipiant, exarandas leges virorum coetui commisimus, qui ipsi Archisodalitati praeest. Quas leges iudicio Nostro subiectas ac diligenter expensas quum proposito fini congruere censuerimus, propositam eam totam Regulam vi. titulis ac LXXIX. capitibus distinctam et comprehensam, auctoritate Nostra ordinaria approbamus, edicentes ut singula eius legis praescripta ab omnibus, ad quos pertinerint, integre sancteque serventur.

Datum Romae ex aedibus Vicariatus, die vii Novembris MDCCCVI.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

FRANCISCUS FABERI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

DECREES.

ACTA ROM. CONGREGATIONUM.

EX. S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM

Quo per elenchum quaestionum praescribitur modus et ratio conficiendi triennem relationem Institutorum vota simplicia profitentium.

In approbandis seu commendandis novis Institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderaribus seu moderatricibus generalibus tertio quoque anno ad S. Sedem Apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico propriae cuiusque congregationis. Huiusmodi enim relatione singula Instituta, quorum domus in variis extant dioecibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem S. Sedi; quae idcirco continua providentia ea prosequi, et si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuatur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet; hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

Itaque haec S. Congregatio negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum, quibus distincte indicantur ea omnia, quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario Emorum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus generalibus Institutorum, per modum *instructionis*, cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

His autem relatis SSmo. Dno. Nostro Pio Divina Providentia PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali eiusdem S. Congregationis Praefecto die 17 Iunii 1906, *Sanctitas Sua* rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam S. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus Institutorum vota simplicia profitentium Apostolica Auctoritate mandari, prout praesentis decreti tenore mandatur, ut in triennali

relatione proprii cuiusque Instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab *Eadem Sanctitate Sua* approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussum respondeant: contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis, die 16 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

INSTRUCTIO

SEU

ELENCHUS QUAESTIONUM

ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in Relatione ad S. Sedem tertio quoque anno transmittenda.

PRAEMITTENDA.

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando Institutum a S. Sede obtinuerit.
2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.
3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quam auctoritate.
4. *Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.
5. *Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore novitatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi*.
6. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

I. DE PERSONIS.

a) *De admissis.*

7. Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.
8. Num omnes praescripta testimonia exhibuerint.
9. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituti dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sunt.
10. (*In Institutis religiosorum*). Num litterae testimoniales per

* Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatum hanc instructionem, relatione respondendum erit.

Decretum *Romani Pontificis* praescriptae in singulis casibus ex-petitae fuerint.

11. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.

12. In quam domo et quanto tempore Postulantes seu candidati commorati fuerint.

b) *De Novitiis.*

13. Quot sint domus Novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

14. Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.

15. Quot nunc in Novitiatu degant.

16. Num Novitii a Professis rite separati existant.

17. Num omnes habeant integrum exemplar Constitutionum.

18. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo Novitiatus sub cura magistri degerint.

19. Num, quantum et qua auctoritate, tempus Novitiatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel immi-nutum fuerit.

20. Utrum Novitii primo novitiatus anno vacaverint tantum-modo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.

21. Num durante secundo anno Novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint.

22. (*In Institutis Sororum*). Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem Episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituerit.

c) *De Professis.*

23. Quot nunc sint in Instituto sodales a) votorum tempo-raneorum, b) votorum perpetuorum.

24. Num vota temporanea semper tempore debito fuerint re-novata.

25. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.

26. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

d) *De egressis et dimissis.*

27. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint a) ex novitiis, b) ex professis temporaneis, c) ex professis perpetuis.

28. Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint normae in Constitutionibus praescriptae.

29. Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.

30. (*In Institutis Sororum*). Num in casibus dimissionis pro-fessarum in perpetuum accesserit confirmatio apostolica.

31. (*In Institutis virorum*). Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum *Auctis admodum*; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in Ordine sacro, Moderatores Instituti.

a) praemiserint trinam monitionem;

b) admiserint, concessio congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint;

c) an, quoties et qua facultate processerint summario modo.

32. (*In Institutis Sororum*). Num egressis quacumque de causa dos, quomolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum suppellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiatur.

33. Num iis quae propriis bonis destitutae erant, in casu egressus ex Instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.

II. DE REBUS.

a) *De domibus.*

34. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesis: an et quot habeat provincias.

35. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

36. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exercentur) quibusnam operibus addicti sint.

37. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

38. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

39. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus additus sit.

40. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubacula sufficientia, ut decet, a communitate religiosa separata.

41. (*In Institutis Sororum*). Num habitatio Capellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

b) *De bonis.*

42. Quinam fuerint ab ultima relatione annui redditus et expensae a) tum Instituti in communi, b) tum uniuscuiusque domus.

43. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

44. Num pecuniam semper utili foenore et honesto ac tuto collocaverint.

45. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.

46. Num et quae bona sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.

47. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.

48. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

49. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quae-
nam, et qua auctoritate.

50. Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a Superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.

51. Num Procuratores, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.

52. Num lites de bonis habeant.

53. Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.

54. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.

55. (*In Institutis Sororum*). Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an et qua earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.

56. Num et quaenam legata pia seu foundationes in Instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.

57. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.

58. Num pecunia, qua huiusmodi foundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibilibet administrata fuerit.

59. Num Episcopo iuxta Constitutionem *Conditae* de huiusmodi foundationibus ratio reddita fuerit.

60. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.

61. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.

62. An superiorissa vel oeconomia habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

III. DE DISCIPLINA.

a) *De vita religiosa.*

63. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis

diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.

64. Num omnes sodales quotidie missae sacrificio assistant.

65. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

66. Num observetur Decretum *Quemadmodum* a) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam, b) quoad sacramentalem confessionem : num pariter servetur decretum *Sacra Tridentina* circa communionem eucharisticam ; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.

67. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessorius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

68. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

69. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

70. Num Religiosis e domo egredientibus semper a Superioribus socius addatur.

71. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piaae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

72. Num scripta circa pietatem, religionem, etc. etiam ad usum Instituti tantam, typis edantur absque Episcopi licentia.

73. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

b) *De observantia quarundam specialium legum.*

74. Num omnia circa Capitulum Generale praescripta diligenter observata fuerint : a) quoad litteras convocatorias ; b) quoad electionem delegatorum : c) quoad electionem scrutatorum et secretarii ; d) quoad electionem Moderatoris generalis ; e) quoad electionem Consiliariorum, Oeconomii et Secretarii generalium.

75. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

76. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

77. Num Moderator Generalis et Superiores Provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

78. Num Moderator Generalis et Superiores sive Provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent,

ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive Provinciae sive domus.

79. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

80. Oum in Consilio Generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

81. Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet caritate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

82. An alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

83. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate sublevantur.

84. (*In Institutis Clericorum*). Quot annis clerici vacent studiis a) litterarum humaniorum, b) philosophiae, et c) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes :

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint ;

b) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium decretum *Auctis admodum* respective praescripta rite perfecerint ;

c) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

86. Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

c) *De operibus Instituti.*

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. (*Pro institutis quae stipem ostiatim colligunt*).

a) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi ;

b) Num decretum *Singulari* d. d. 27 Mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit ;

c) num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus ; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. Num Sorores opera quaedam caritatis exercent (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. Num Sorores, qua infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. (*Pro Institutis Religiosorum*). Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibi quae aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quam auctoritate.

96. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quam auctoritate.

97. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. Num querelae vel difficultates existant a) cum Ordinariis locorum, b) cum confessariis, c) cum capellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis seu assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

DECRETUM.

Quo conceditur usus Cappae Magnae Praesulibus Congregationum Ordinis S. Benedicti.

Romani Pontifices non semel Religiosorum Ordines bene de Ecclesia et civili societate meritos, laudibus, honoribus privilegiisque honestarunt. Quod in primis erga Monachorum Nigrorum S. Benedicti Ordinem factum est, quippe qui, historia testante, in his occidentalibus oris, non modo totius monasticae vitae semen, sed etiam bonarum artium eximius vindex et cultor

extiterit. Cum igitur Hildebrandus de Hemptinne Abbas Primas totius Ordinis S. Benedicti SSmo. D. N. Pio PP. X postulaverit, ut usus Cappae Magnae, quo ex S. Sedis privilegio, nonnulli Praesules dicti Ordinis fruuntur omnibus Capitibus Congregationum Monachorum Nigrorum Confoederationi suae adscriptarum extenderetur, Eadem Sanctitas Sua Predecessorum suorum vestigiis inhaerens, peculiarisque suae benevolentiae pignus praefato inclito Ordini dare volens, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 Iulii 1906, benigne concessit, prout praesentis Decreti tenore concedit, usum Cappae Magnae omnibus Praesulibus Congregationum eidem Ordini adscriptarum, ipsis Praesulibus indulgens, ut ea uti valeant non modo in propriis ecclesiis, verum etiam in ecclesiis totius Congregationis, cui praesunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 30 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

De plena exemptione Ordinis S. Joannis de Deo a jurisdictione Ordinarii dioecesanii.
Dubium.

An Religiosus Ordinis S. Joannis de Deo a suo superiore deputatus uti cappellanus in domo hospitali Massiliensi S. Bartholomaei eidem Ordini credito, possit absque Ordinarii facultate excipere confessiones personarum ibi receptarum in casu.

Emi. Patres S. Cong. EE. et. RR., praehibita matura deliberatione, die 3 Augusti 1906 responderunt; Affirmative et ad mentem.

EX S. CONG : CONCILII.

Romana et Aliarum.

DUBIORUM CIRCA SACRAM COMMUNIONEM.

De SS. Communionem puerorum nuper ad S. Synaxim admissorum, necnon infirmorum morbo chronico laborantium et naturale ieiunium servare non valentium.

Die 30 Decembris 1905 SSmus. D. N. Pius PP. X ex S. H. C. consulto Decretum edidit *De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione*, quo "omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis" summopere commendatur "Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima; ita

ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit."

Inibi praeterea sub n. 7 statuitur: "Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur...; quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio, item in aliis christianis omne genus ephebeis."

Quin imo ut laudabilis ac valde Deo acceptus Communionis quotidianae usus efficacius in dies ubicumque propagetur, atque uberiores fructus edat, Sanctitas Sua nedum die 30 Maii 1905 omnibus christifidelibus, qui devote recitaverint orationem pro pii usus quotidianae Communionis propagatione, indulgentias tribuit, verum etiam per Decretum *Urbis et Orbis* diei 14 Februarii 1906 a Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita datum, benigne elargitus est ut per quotidianam Communionem lucrari possint omnes indulgentiae, absque onere confessionis hebdomadariae.

Quanto cum obsequio universim, et quam laetanter apud plures exceptae sint benignae S. Sedis dispositiones et declarationes hac de re, probant litterae quamplures Episcoporum, ac Superiorum Ordinum religiosorum ad S. C. directae, nec non ephemerides non paucae quae de Decreto diei 20 Decembris 1905 egerunt.

At una simul dubia et postulationes ad S. C. exhiberi coeperunt, inter quae duo potissimum peculiarem considerationem merentur, quae nempe respiciunt iuvenes nuper ad S. Mensam admissos et infirmos chronico morbo laborantes.

En quae ad rem scribebat religiosus vir e Belgio :

"D'abord, les pauvres *malades* resteront-ils seuls exclus des faveurs du Saint-Siège? Ceux qu'une infirmité chronique ou prolongée empêche d'observer dans toute sa rigueur le jeûne eucharistique n'obtiendront-ils pas quelque adoucissement, de manière à n'être pas privés, durant de longues semaines, du Pain de Vie. Actuellement la plupart des prêtres ne croient pas pouvoir accorder la Communion, sauf à ceux qui ont reçu les sacrements des mourants, et dans la période où le danger persiste.

"Un autre vœu concerne les *enfants*. Le Décret du Saint-Père, quoique reçu avec la plus entière soumission, ne détruit pas subitement l'effet de longs préjugés, puisés dans l'étude et accrûs par la pratique. Pour ce motif, des prêtres sages et pieux redoutent qu'on ne se montre encore hésitant et sévère pour accorder la Communion quotidienne aux jeunes enfants. Leur crainte s'augmente de ce que le mot *ephebeis* du Décret, pourrait être restreint, par des esprits prévenus, aux seuls adolescents. Il est pourtant certain, et par la raison et par l'expérience, qu'il

importe *avant tout* de faire communier les plus jeunes enfants, afin qu'ils s'imprègnent de la grâce de Notre Seigneur—*inbuantur Christo*—avant que les passions n'aient ravagé leurs cœurs. Hélas ! trop souvent maintenant c'est le contraire, et la difficulté grossit doublement et de faire accepter un remède aussi nécessaire, et de détruire les effets déjà si profonds, dans l'esprit, dans le corps et dans la volonté, des passions mauvaises aux quelles les enfants sont plus exposés que jamais. Les prêtres qui pensent ainsi vous offrent leurs humbles et instantes prières pour que Sa Sainteté daigne redire avec autorité à tous les prêtres la parole de Jésus-Christ : *Sinite parvulos venire ad me !* Leurs vœux seraient complés si en même temps l'exemple de Cottolengo, de Dom. Bosco, et d'autres apôtres, si saints et si éclairés, de l'enfance, était publiquement loué et proposé à l'imitation."

Sciendum est enim in pluribus dioecesibus mos hucusque fuisse quod pueri et puellae ad primam Communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare ; imo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae Mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe solemni functione primae Communionis.

Unde clarissimus vir rogavit SSmum. D. N. ut dignaretur duo haec dubia resolvere :

I. *Quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderi ne debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem ?*

II. *Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne Pane eucharistico tam longo tempore priventur ?*

Cum autem Sanctitas Sua huius negotii examen ad S. H. O. remiserit, nonnulla de more hinc inde quoad utrumque dubium adnotabo.

— Et quoad primum rationes quae militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione ita plerumque exponuntur.

Ipsi enim non ea adhuc discretionis mente praediti apparent, quae requiritur ad hoc ut digne et efficaciter sumere frequenter valeant SS. Corpus Christi. Quum praeterea a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahantur, atque facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertantur, saepe saepius absque debita praeparatione et gratiarum actione ad S. Eucharistiam accedere solent, sacramentum periculo irreverentiae ita exponentes.

Iamvero, uti docet Card. Bellarminus (*De sacram. Euchar. lib. 4, cap. 23*), "ex duobus malis semper est eligendum minus malum : est autem minus malum ut homines aliqui careant bono non necessario quam ut sacramentum Dei evidenter periculo irre-

verentiae exponatur." In casu igitur cum pueri quotidiana Communionem non necessario indigeant, nec sine irreverentia eis dari possit, consultius eisdem deneganda esse videtur.

Accedit quod per nimiam Communionis quotidianae commendationem maior in pueris foveri potest hypocrisis, qui proinde vi etiam metus reverentialis in maiora quoque sacrilegia prolabantur. Unde Tarino (*Il libro del buon pastore*), quamvis moneat rectorem clericorum in Seminariis degentium, ut in genere frequentiam sacramentorum, praesertim vero Communionis, indiget, addit tamen: "Ma ti guarda assai dal dire a qualcheduno che si accosti più di frequente alla Comunione, perchè le tue parole potrebbero essere causa di sacrilegio e d' ipocrisia."

Quinimo Innocentius XI in Bulla *Cum aures* diei 12 Februarii 1679, normam tradens Communionis quotidianae concedendae, eam dimetiendam esse docet "ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu, et ad pietatem profectu." Quae omnia difficulter verificantur in pueris, qui, utpote a vehementibus passionibus moti, conscientiae anxietatibus agitantur, in peccata saltem venialia prolabantur, atque parum vel nihil pietatis augmenti ostendunt.

Demum in ipso Decreto H. S. C. sub n. 7 edicitur ut haec Communio "quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis..., item in aliis christianis omne genus ephebeis." Quapropter non satis patet Communionem in casu aliis pueris, qui extra dicta loca seu in medio saeculi versantur, suaderi. Insuper *ephebus* idem est ac pubes, qui, iuxta ius romanum et canonicum, iam ad annos 14 pro maribus, et 12 pro feminis pervenerit, et apud Graecos, teste Forcellini, qui decimum sextum aetatis annum attigerit. Ideoque pueri exclusi videntur.

At ex adverso non minora stant pro frequenti puerorum Communionem. Atque in primis suffragatur vetus plurium ecclesiarum disciplina, vi cuius sacramentum Eucharistiae parvulis quoque concessum fuit, ut late probat Card. Bona (*Rerum liturg., lib. 2, cap. 12, n. 2*). Tunc temporis in usu erat ut quicumque baptizabantur, sive adulti sive infantes, una simul Pane eucharistico reficerentur. Quae quidem praxis, quamvis tractu temporis abolita fuerit, tamen minime reprobanda est, quum et ipsum Conc. Trid. (*Sess. 21, cap. 4, de Comm.*) dicat: "Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit." Et merito; nam, ut habet Bellarminus (*loc. cit., lib. 1, c. 7*), "infantes in baptismo ius acquirunt ad Eucharistiam percipiendam."

Quocirca factum est ut primis Ecclesiae saeculis pueri ante mensam assisterent, atque primi post clericos communicarent; item si multae particulae Corporis Christi superessent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent, quemad-

modum idem Card. Bona (*loc. cit.*) ex pluribus testimoniis refert. Nulla igitur habetur ratio cur haec frequens, imo et quotidiana Communio hodierno tempore non sit pueris maxime consulenda.

Idque eo vel magis quia necesse omnino est ut pueri, antequam passionibus praeveniantur, Christo imbuantur, et ita maiori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorumque internorum et externorum hostium. Ad rem in aureo libro *De imitatione Christi* (lib. 4, cap. 3) haec leguntur: "Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad peiora.... Retrahit ergo sancta Communio a malo et confortat in bono." Eucharistia enim sacramentis novae legis accensetur, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato*, quandocumque obicem in suscipiente non repellant. Nec plus aliquid obicis in pueris quam in adultis expectandum est *ex opere operantis*, quia, praeterquamquod ignorantia in pueris ab innocentia compensaretur, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est.

Unde De Segur (*La SS. Comunione*) haec inter alia habet: "I giovanetti, al pari degli adulti, possono e debbono comunicarsi spesso. Nostro Signore non richiede da loro, se non quel che son capaci di dargli; ed egli conosce meglio di noi questa leggerezza che ci spaventa; ma egli sa altresì, e molto meglio di noi, che l'innocenza è il più prezioso di tutti i tesori, che il demonio vuol rapirla ad essi per tempo, e che la sola Comunione può difenderli dalle astuzie del nemico.... Per ben comunicarsi basta ricevere il Salvatore con buona volontà. Ciò si avvera tanto nei fanciulli che negli adulti; e l'esperienza fa conoscere che nella buona volontà di un fanciullo, che ha fatta la sua prima Comunione, si trova la sincerità più schietta. Egli ama Gesù Cristo, egli lo desidera; e perchè non darglielo? Bene spesso egli è degno di riceverlo più di noi altri, che non apprezziamo la di lui pietà.... La leggerezza non fa ostacolo alla santa Comunione, se non quando è volontaria.... I ragazzi son leggeri. Sì, ma son buoni ed affettuosi; e perciò al bisogno che hanno di amare, fa d'uopo dare il suo vero alimento. Bisogna far loro amare Gesù Cristo, e a tal fine metterli spesso in intimo rapporto con lui. I loro difetti, per quanto sieno reali, hanno poca consistenza; ed è appunto la pietà quella che impedisce a questi difetti di diventar vizi."

Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum*. Regnum autem coelorum in terris non nisi Eucharistia est, quae instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

Quaenam praeterea sit hac de re mens Ecclesiae, hodiernis praesertim temporibus, luculenter apparet ex litteris, quibus Card. Antonelli, Secretarius Status S. S., de speciali Pii IX mandato, die 12 Martii 1866 plurium Episcoporum Galliae attentionem et sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam, pueros ad sacramentorum frequentiam admittentes. Scribit enim: "...Que même après les avant admis (*nempe infantes*) pour la première fois à la table eucharistique, on a coutume de les en tenir éloignés pendant long-temps, leur défendant, dans certains endroits, de communier au temps de Pâques, l'année qui suit leur première Communion. Qu'enfin il y a même des séminaires où règne l'usage d'éloigner pour plusieurs mois les jeunes élèves du sacrement de l'Autel, sous prétexte d'attendre une plus mûre préparation. Sachant combien la fréquentation des sacrements de pénitence et d'eucharistie importe à la garde et à la conservation de l'innocence dans les enfants; sachant que cet usage fréquent des sacrements contribue admirablement à alimenter et fortifier la piété naissante dans les jeunes cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur les pratiques de notre sainte religion...; le Saint-Père, désireux de voir modifier un système si mal entendu et si préjudiciable aux intérêts spirituels des jeunes enfants, m'a chargé d'appeler sur cet abus l'attention de V. S.... afin de parvenir à réformer, dans un sens plus conforme à l'esprit, et à la discipline de l'Eglise, ce défectueux système de soins spirituels à l'égard des enfants."

Hoc idem eruitur ex Decreto ab hac S. C. die 20 Decembris 1905 edito, in quo *omnibus christifidelibus* commendatur frequens ac quotidiana Communio; necnon ex duobus aliis superius recensitis Decretis S. C. Ind. et SS. Rel., quibus hac de causa speciales indulgentiae ac privilegia *omnibus* indiscriminatim *fidelibus* conceduntur. Inter quos proinde etiam pueros, qui usum rationis adepti sunt, quique primam perceperunt Communionem, non est dubium recensendos esse. Haec S. C. mandavit quidem, ut in clericorum Seminariis aliisque christianis omne genus *ephebeis* quam maxime foveatur quotidiana Communio, sed praeterquamquod heic sermo est de peculiari commendatione Seminariis ac *ephebeis* facta, quin alii fideles excludantur, vox *ephebeorum* lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia Instituta, in quibus etiam pueri instruuntur atque educuntur.

Ex quibus omnibus non immerito infertur quotidianam Eucharistiae sumptionem non solum adultis sed etiam pueris summopere suadendam esse.

— Quoad alterum quaestionis punctum, notum Emis. Patribus est, S. C. S. Officii concedere solere, nostro aevo largius ac

benignius quam olim, ut senio aut chronica infirmitate laborantes, et naturale ieiunium servare non valentes, semel in hebdomada vel etiam pluries, si agatur de monialibus aut piis ac religiosis viris, ad S. Mensam accedere possint, aliquid prius per modum potus quamvis sumpserint.

Verum occasione arrepta Decreti diei 20 Decembris 1905, aliquid amplius postulari videtur, et super hoc sententia EE. PP. requiritur, an scilicet et quaenam nova disciplina hac de re possit opportune induci.

Uti patet, heic sermo non est de infirmis graviter aegrotantibus atque in proximo mortis periculo versantibus, qui etsi non ieiuni, ad Eucharistiam per modum Viatici sumendam admitti possunt ac debent. Rituale enim Romanum (*tit. 4, cap. 4, n. 3, et 4*) ad rem statuit: "Pro Viatico autem ministrabit (*parochus*) cum probabile est, quod (*infirmus*) eam amplius sumere non poterit.... Poterit quidem Viaticum brevi morituris dare non ieiunis." Consuetudo autem Ecclesiae, ut habet Reuter (*Neo-confessarius, part. 3, cap. 6, n. 3*) "videtur absolute a praecepto ieiunii eximere periculose infirmos, si commode non possint manere ieiuni."

Aliqua dumtaxat extat dissensio inter doctores in praefiniendo temporis spatio, quod intercedere deberet ad hoc ut infirmo periculoso, intra eandem infirmitatem, iterum dari possit Viaticum. Sunt enim qui cum Navarro, putant multum temporis inter unam alteramve Communionem intercedere debere; alii unum mensem; alii decem, octo aut etiam tres dies; alii denique cum Laymann (*Summ., lib. 5, tract. 4, cap. 6, n. 20*) toties quoties devotio et dispositio poenitentis hoc suadeat, ac proinde singulis quoque diebus. Cfr. S. Alphonsus (*6, 2, 85, d. 1*), Ferraris (*verb. Infirmitas, n. 21*), De Lugo (*De Sacr. Euch., disp. 15, sect. 3, n. 64*) etc. Practice autem quae vera, quae pia, quae iusta sit doctrina, tradit Benedictus XIV (*De Syn. dioc., lib. 7, cap. 12, n. 4*): "Ne parochi renuant sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam saepius per modum Viatici, cum naturale ieiunium servare nequeunt, percipere cupiunt."

Sed missa quaestione de infirmis graviter decumbentibus, si discussio fiat de infirmis chronicis aliisque diuturno morbo absque discrimine laborantibus, ne vetus disciplina mutetur, stat in primis dispositio Ritualis Romani, quae ita sonat: "Coeteris infirmis qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum."

Accedit quod si a lege generali ieiunii cum infirmis extra mortis periculum dispensaretur, non pauci abusus obrepere possent.

Praetermisso enim parochorum incommodo, quod grave fieri

posset si praesertim plures infirmi chronici in paroecia haberentur; considerandum insuper est, iuxta Rituale Romanum (*loc. cit.*, n. 6, 7 et 8) SS^mum. Sacramentum infirmis deferendum esse manifeste atque honorifice. Et Sacra Rituum Congregatio in *Mantuana* diei 6 Februarii 1875, n. 3337, uti abusum eliminandum decrevit consuetudinem ad infirmos Viaticum deferendi secreto, sine ullo exterioris cultus signo, nisi adsint gravia motiva sic agendi.

Ast si chronici ad Communionem admittantur non ieiuni, et excitentur ad S. Synaxim frequenter suscipiendam, delatio SS^{mae}. Eucharistiae, vel paullo frequentius per vias et in infirmorum aedes deferri oporteret; et id vix aut ne vix quidem cum debita reverentia fieri posset.

Firma autem lege hucusque vigente, et devotioni ac pietati infirmorum succurrendo per opportuna indulta, incommodis hucusque expositis aditus maneret praelectus. Unde nil innovandum videretur.

Ex altera vero parte observari potest legem ecclesiasticam ieiunium naturale etiam aegrotis praescribentem, antequam S. Communionem ipsi sumant, datam esse tum ad praecavendos abusus quorundam qui, potu et escis repleti, ad S. Mensam accedere non verebantur, tum ad reverentiam excolendam erga augustissimum Sacramentum. Atqui cum infirmis chronicis praefati abusus contingere non possunt; nec reverentia erga Sacramentum ob ieiunii defectum in casu infirmitatis detrahitur; nam causa excusans intercedit. Ergo videtur adesse ratio ad legis moderationem inducendam.

Aliunde quum omnibus indiscriminatim christifidelibus consulatur quotidiana vel saltem frequens Communio, nulla adest ratio cur infirmis, qui ieiunium servare non possunt, hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis quod ipsi maiori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi.

Observari insuper posset quod lex ieiunii naturalis sit ecclesiastica: et Concilium Constantiense (*Sess.* 13), quamvis edicat quod "huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis," addit tamen: "nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis."

Lex itaque ieiunii, utpote ecclesiastica, urgenda non nimium videtur; nec unquam ita, ut videatur pugnare cum iure fidelium recipiendi sacramenta. Si enim rigide, ut hucusque consuevit, accipiatur, non raro fidelem ab hoc divino subsidio impediret.

Quoad incommoda vero quae superius indicata sunt, forsan distinctio fieri potest inter eos qui degunt in Seminariis, in monasteriis utriusque sexus, in nosocomiis, aliisque piis Institutis, a ceteris qui in privatis domnibus versantur, nec privilegio oratorii domestici fruuntur.

Liquet autem incommoda superius recensita non posse contingere quoad infirmos prioris conditionis; eo vel magis quia Sacra RR. C. die 7 Februarii 1874, n. 3322, permisit, ut in piis domibus nosocomiisque Eucharistia deferatur modo minus publico et solemniori.

Quoad ceteros vero succurri posset, dando Ordinariis potestatem, ut saltem in maioribus anni festivitibus, eisdem per opportunas dispensationes occurrant.

De cetero prudentia ac sapientia Emorum Patrum ut super, ita etiam in praesenti causa quae iusta, quae aequa sint statuet.

Quare, etc.

Resolutiones. Sacra Congr. Concilii, omnibus rite perpensis die 15 Septembris 1906 decernendum censuit :

Ad I. *Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum Decreti etiam pueris, qui ad sacram Mensam iuxta normas in Catechismo Romano, cap. 4, n. 63, semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente.*

Ad II. *Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo.*

Colliges. 1°. Dispositiones, quae necessario requiruntur ut quis etiam frequenter imo et quotidie ad sacram Synaxim accedere valeat, sunt status gratiae et recta intentio.

2°. Iamvero hae dispositiones potissimum in pueris nuper ad primam Communionem admissis inveniuntur, quorum intellectum nondum mutavit malitia, et quorum anima non est a fictione decepta.

3°. Quapropter frequens ac quotidiana Eucharistiae sumptio praesertim pueris commendanda est, quum optandum sit ut ipsi, antequam passionibus praeveniantur, imbuantur Christo, atque ita corroborentur in innocentia et in pietate.

4°. Haec saluberrima praxis quam maxime foveatur oportet in Seminariis, monasteriis utriusque sexus aliisque piis Institutis, in quibus etiam infantes instruuntur et educantur.

Aquilana.—Cathedratici et Missae pro Populo.

Aquilana urbs saec. XIII. ad urbis fastigium evecta fuit, post Amiterni Furconique excidium, opera finitimorum oppidorum, quorum quodque suum vicum cum ecclesia, platea viisque in nova urbe aedificavit, et parochi, qui prius in antiqua sede extra Urbem morabantur, in Urbe residere coeperunt. Progressu vero temporis, aucto clericorum numero civitatis ecclesiae, prius simpliciter parochiales, ad collegiatae dignitatem evectae fuerunt atque provisum animarum curae in antiqua sede per Vicarium prius amovibilem, postea vero perpetuum.

Haec inter oppida Paganica adnumeratur; atque huc referendum duplicem extitisse Paganicam, quarum altera *ad intra*, altera *ad extra* hodie quoque appellatur.

Anno 1600 Episcopus tunc temporis Vicariam Curatam manua-lem in ecclesia Paganicae ad extra in perpetuam erexit ei assignans congruam ducat. 50, a Capitulo Ecclesiae Collegiatae Paganicae ad intra praestandam, utpote accidit usque ad annum 1799 quo Capitulum vectigalibus gravatum illam amplius praestare non potuit, quare, interesse habentium consensu, statuit Episcopus praebendam vacantem in praedicta Collegiata Ecclesia Vicariae Curatae Paganicae ad extra in congruam portionem unire atque assignare, decernens nullum alium hanc canonicaem praebendam possidere eiusque fructus ac redditus percipere posse, nisi Vicarium Curatum terrae Paganicae omnesque eius in animarum cura successores.

Suppressis Collegiatis ab Italico gubernio, etiam Vicariis Curatis extra civitatem assignata sunt congrua paroecialis expensaeque pro cultu.

Odiernus Ordinarius nunc, cum comperuisset quosdam ex praedictis Vicariis Curatis nec Cathedriticum solvere, nec missam applicare pro populo, ratus omnes ad utrumque teneri illos admonuit ut utrique satisfacerent oneri, sed unus, D. Henricus Juvenitti Vicarius Curatus S. Mariae de Paganica ei refragatus est asserans se ad neutrum teneri, unde huius controversiae origo.

Ad rectam quaestionis intelligentiam recolendum est, cathedriticum seu pensionem Episcopo annuatim praestandam in signum subiectionis erga ecclesiam cathedralem solvere teneri omnes ecclesiae capellaeque Episcopo subiectae, etsi monasteriis exemptis sint unitae, necnon omnes beneficiatos iuxta redditum beneficiorum, et ab unoquoque beneficiato singulatim solvendam esse.

Quoad applicationem missae pro populo, non praetereundum est omnes, quibus animarum cura commissa est, teneri, iure divino, ad missam pro ovibus sibi commissis applicandam, et quidem parochi tenentur etsi redditus ita sint tenues ut inde nec congruam habeant, nam tenentur non ratione sustentationis sed ratione officii.

Huic obligationi obnoxii sunt nedum parochi sed omnes curam animarum actu exercentes, sive appellantur Vicarii, sive Oeconomi.

Ab hac S. C. alias declaratum fuit Capitulares et beneficiatos etsi habeant praebendas distinctas a massa communi, non teneri solvere cathedriticum pro qualibet eorum praebenda ultra cathedriticum in communi. In casu Vicarius Curatus Paganicae ad extra est Capitularis Collegiatae S. Mariae de Paganica ad intra, cum possideat praebendam in dicta ecclesia Collegiata,

ergo non tenetur solvere Cathedraticum cum hoc ab Archipresbytero pro omnibus solvatur.

Secundo ne ad missam quidem pro populo applicandam teneri videtur, cum huic obligationi obnoxii sint qui actu curam animarum exercent, sive nomen parochi obtineant, sive Vicarii vel Oeconomi, sed independentes a quocumque alio sint, ita ut veram et propriam paroeciam habeant, nam si quis in cura animarum ab alio dependeat, qui iurisdictionem obtinet super gregem suum, ille non est parochus independens, nec tenetur missam pro populo applicare. In casu Vicarius Curatus terrae Paganicae curam animarum exercere non videtur nomine et iure proprio, sed ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Paganica *ad intra*, quod constat ex pluribus decretis episcopalibus, ergo cum parochialis ecclesia non praesumatur, et cum Vicarius Curatus Paganicae dependeat in sua cura ab Archipresbytero Collegiatae S. Mariae de Paganica, concludi posse videtur ipsum ad missam pro populo applicandam non teneri.

Tamen sequentia ex adverso adverti possunt. Vicarius Curatus Paganicae ad Cathedraticum solvendum tenetur, nam tunc solum solvitur in communi quando nullus suam possidet specialem praebendam, sed sustentatur ex massa communi, prouti ex pluribus decisionibus confirmatur. Hoc nunquam verificatur in praesentiarum, nam, suppressis a gubernio ecclesiis Collegiatis, quisque directe ab eodem gubernio suam congruam recipit et consequenter quisque singulatim cathedraticum solvere tenetur. In casu vero Vicarius Curatus nedum praebendam canonicalem possidet sed alios quoque redditus percipit ratione muneris, nempe incerta ex stola v.g., quare nisi teneatur qua Capitularis, adstringeretur qua Vicarius Curatus et quidem perpetuus, nam Vicaria perpetua est verum beneficium.

Hac eadem ratione tenetur missam pro populo applicare, qua obligatione eo magis adstringitur, quo vere et proprie parochus independens ab Archipresbytero S. Mariae de Paganica *ad intra* sit, prouti testatur Episcopus, qui asserit ei administrationem paroeciae competere cum potestate ordinaria in sacramento poenitentiae et matrimoniis, eum possidere fontem baptismalem, archivium parochiale omniaque quae sunt veri parochi et inde omnino independentem retinendum esse ab Archipresbytero Ecclesiae Collegiatae de Paganica *ad intra*. Quod maxime probatur ex duobus decretis ab Archiepiscopo missis, circa divisionem territorialem parochiarum extra moenia, ex quibus non constat dependentiam paroeciae de Paganica *ad extra* ab altera de Paganica *ad intra*.

Quibus rationibus, validis argumentis illustratis, sedulo maturaque perpensis, Emi. Patres quaestionem dimiserunt decernentes: "*Ad utrumque teneri.*"

DECRETUM.

De excardinatione et sacra Ordinatione.

Decreto diei 20 mensis Iulii 1898, quod incipit *A primis* Emi. S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII., circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt:

"I. *Excardinationem* fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* in alia dioecesi executioni demandata.

"II. *Incardinationem* faciendam esse ab Episcopo non oretenus. sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio '*Speculatores*' pro domicilio acquirendo praescribit.

"III. Ad hanc *incardinationem* deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

"IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut 'nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis' ut in *cap. 16, sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

"V. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

"VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. '*Speculatores*' quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmatae semper manere debent."

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae*, seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis

laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta Constitutionis "*Speculatores*" praescripta.

Porro evulgato decreto *A primis*, de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SSmi. quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Emi. Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:—

1°. Dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2°. Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt, et superius sub num. II., III., IV. et V. recensentur; et servato quoque decreto "*Vetuit*" diei 22 Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3°. Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis "*Speculatores*" requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo. D. N. Pio Papae X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 24 mensis Novembris 1906.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus, *Praefectus*.
C. DE LAI, *Secretarius*.

De S. Communione Infirmis non ieiunis.

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905, concessasque

a SSmo. D. N. Pio PP. X die 30 mensis Maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis et Orbis*, die 14 mensis Februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo. D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam. Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum. Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis Decembris 1906.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus, *Praefectus*.
C. DE LAI, *Secretarius*.



CONGREGATION OF PROPAGATION OF THE FAITH.

Dubium.

"An dispositio Concilii Baltimorensis quae admisit incardinationem praesumptam abrogata fuerit ex decreto. 'A primis' 20 Julii 1898 quo statutum fuit ut incardinatio in scriptis fiat."—Resp. Affirmative.

"An haec abrogatio retrotrahenda sit ad casum quo aliquis clericus admissus in non propria dioecesi, ibi expleverit triennium vel quinquennium commorationis (quo praesumitur incardinatio) ante diem 20 Julii 1898 scilicet ante decretum 'A primis' quo vetus disciplina mutata est."—Resp. Negative.

**Circolare della S. Congregazione di Propaganda Fide sui
Cappellani dell' Esercito e Marina Inglese.**

Ill.mo e Rev.mo Signore,

Questa S. Congregazione di propaganda Fide volendo regolare con sicure norme la dipendenza e l'essercizio del sacro ministero dei Cappellani Cattolici, tanto dell'Esercito come della Marina Inglese, ha preso coll'approvazione dell Sommo Pontefice le seguenti disposizioni :

1. L'Arcivescovo pro tempore di Westminster e il Superiore Ecclesiastico di tutti Cappellani Militari Cattolici Commissionati dell'Esercito Inglese di terra : come altresì di quelli di mare.

2. Per ciò che riguarda i primi tratterà col Governo per la nomina dei medesimi, e ne sorveglierà in seguito la condotta con quelle misure che crederà espedienti ; esigendo da essi che ogni semestre od almeno ogni anno lo informino del proprio stato e delle proprie occupazioni.

3. I Cappellani Commissionati nominati dal Governo riceveranno esclusivamente dal detto Arcivescovo le facoltà che in forza della giurisdizione ordinaria o delegata possono da lui concedersi : quali facoltà verranno esercitate dai detti Cappellani nel luogo determinato dallo stesso Arcivescovo a vantaggio soltanto dei militari, delle loro mogli e figli viventi sotto la tutela dei genitori. Le dette facoltà perdurano anche nel tempo delle traslazioni dei Cappellani, fino a che prendano la cura della nuova stazio ma subito che saranno avvisati della traslazione, son tenuti a renderne informato l'Arcivescovo stesso.

4. Detti Cappellani si presenteranno all'Ordinario del luogo dove si trovino occupati, considerandosi soggetti a lui in ciò che riguarda la loro condotta come ecclesiastici : ne mancheranno di fargli conoscere le facoltà ricevute dal Delegata della S. Sede relativamente ai militari : quantunque per l'esercizio di queste sole facoltà non sia necessario il consenso dell'Ordinario del luogo. Qualora poi desiderassero esercitare altresì il s. ministero in favore dei fedeli non militari della località, in tal caso e necessaria l'autorizzazione dell'Ordinario.

5. Venendo a cessare l'ufficio ciascun Cappellano dovrà ritornare nella propria Diocesi.

6. Finalmente l'Arcivescovo di Westminster non concederà le facoltà pel s. ministero ai Cappellani Commissionati in Irlanda e nell'India : e per ciò che riguarda l'Africa Australe procurerà colla sua prudenza e discrezione d'ottenere che i detti Cappellani vengano in quella Colonia surrogati dal Clero del luogo.

7. Perciò poi che spetta ai Cappellani della Marina, parimenti l'Arcivescovo pro tempore di Westminster s'intenderà, esclusivamente da ogni altro Ordinario, col Ministero della Marina per la

nomina dei detti Cappellani, ai quali potra accordare le opportune facolta che gode per la sua giurisdizione ordinaria o delegata, con la legge che i Cappellani ne faranno uso in qualunque parte del mondo, ma pero intra navim. Che se alcuna volta per le disposizioni del Comandante navale fosse necessario d'esercitare queste facolta in terra firma, bastera, ove sia possibile, dare semplice notizia di cio all'Ordinario del luogo, non per ottenere autorizzazione, ma per la deferenza dovutagli; eccetto sempre il caso di esercitare il sacro ministero con altri, che colpersonale della nave: nella quale ipotesi sarebbe necessario il ricorso all'Ordinario del luogo.

Tanto aveva a comunicare a V.S. e prego il Signore che la conservi e la prosperi.

Roma dalla Propaganda li 15 Maggio 1906.

Devotissimo Servitore.

Fr. Girolamo Ma. Card. GOTTI, *Prefetto.*
LUIGI VECCIA, *Segretario.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM.

Piscien.

Canonici honorarii aequiparandi sunt canonicis titularibus quoad usum insignium.

Postulato hodierni Praepositi et Canonicorum insignis Ecclesiae Collegiatae S. Apostolorum Petri et Andreae in loco "*Montecarlo*" nuncupato, Dioeceseos Piscien.: "An Canonici honorarii aequiparandi sint Canonicis titularibus quoad usum insignium";

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto specialis Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

"*Affirmative, iuxta Decretum Num. 3393, Patavina, 16 Martii 1876, et Motu Proprio Inter Multiplices, 21 Februarii 1905.*

Atque ita rescripsit, die 21 Iulii 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius.*

Aversana.

De loco quo in Processionibus incedere debent laici aliquo tantum signo catholico exornati.

Hodiernus Rmus. Pro-Vicarius Generalis Aversanae dioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. An in Sanctorum Processionibus liceat laicis sive adultis sive pueris sine sacco, aliquo tamen catholico signo exornatis, et intorticia manu ferentibus, sodales confraternitatum sacco indutos et clerum praecedere, an debeant ipsi, in hisce Processionibus B. M. V. vel Sanctorum statuam sequi?

II. An quod in casu disponitur de Sanctorum Processionibus debeat intelligi etiam de Processionibus Poenitentialibus, quando nempe clerus cum populo adeunt Dei templum ad implorandam divinam misericordiam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis rescribendum censuit:

Ad I. Possunt procedere vel ante sodales confraternitatum sacco indutos vel post sacras imagines.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius.*

**De privilegio celebrandi Missam votivam Immaculatae
Conceptionis B.M.V.**

Ordinis Minorum Capuccinorum.

Rev. Fr. Franciscus Tischler, Lector Ordinis Minorum Capuccinorum in Provincia Tirolis Septemtrionalis, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, quod rescripto Apostolico diei 14 Martii vertentis anni eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum, celebrandi Missam vetivam de Immaculata Conceptione B. M. V. extendi concessit etiam ad ecclesias et oratoria Religiosarum Congregationum, quae in horis canonicis persolvendis Kalendario Ordinis Minorum Capuccinorum legitime utuntur. Quaeritur an terminis "in horis canonicis persolvendis" comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes quae quidem legitime Kalendario Minorum Capuccinorum utuntur quoad Missam, etc., loco autem horarum canonicarum Officium parvum B. M. Virginis tantum recitant?

Et Sacra Eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii R.mo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae respondendum censuit: "Affirmative, juxta Decretum 'Ordinis Fratrum Minorum,' 15 Aprilis 1904 ad I."

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefect.*

L. ✠ S. † D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

Ordinis Fratrum Minorum.

Quoad horam, orationes, cantum, symbolum atque ultimum Evangelium Missae votivae de Immaculata Conceptione.

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. An Missa votiva cantata celebrari possit ac debeat semper post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; prouti Rubricae Generales sub tit. XV, n. 3, de Missis Defunctorum, extra solemnem eorumdem Commemorationem, permittunt?

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore, et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex eo die integrum Officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur?

IV. An in Missa votiva cantata vel solemni, vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis, vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa votivam praecesserit, vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occurreret?

V. An in Missa votiva Tonus festivus seu sollemnis reservari dumtaxat debeat pro casu in quo eadem votiva respondeat Officio Duplici vel Semiduplici (quamvis per accidens Simplici) ipsius Personae?

VI. An in aliis casibus adhibendus sit Tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto Hymno Angelico et *Ita Missa est* in Missis Deiparae votivis?

VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis reducti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* respiciat?

VIII. An in Missa votiva, quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die Commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavum peractum; ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

IX. An in Missa votiva cantata, vel solemni, vel instar Conventualis habenda in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis libitu addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Reverendissimi Consultoris Petri Piacenza, respondendum censuit: "Communicetur Votum praeaudati Reverendissimi Consultoris in exemplari authentico":

Ad I. *Affirmative, sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam, iuxta Decreta 3059 ad XII., et 3914 ad IV.; excepta tamen Missa votiva pro re gravi, vel cum populi concursu, quae post Nonam omnino cantari debet iuxta Rubricas.*

Ad II. *Affirmative in omnibus, ad mentem Decretorum 2542 ad II., et 2597 ad II., ac praesertim 3574 ad V. (quaest. 1-4).*

Ad III. *Negative, ad mentem Decretorum 1322 ad VIII., et 3832 ad VIII.*

Ad IV. *Affirmative, iuxta Decretum 3553 ad II.*

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Affirmative, iuxta Decretum 3574 ad V. (quaest. 5).*

Ad VII. *Affirmative, ad mentem Decreti 15 Maii 1903 ad III. in una Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Belgicae.*

Ad VIII. *Serventur Decreta pro Missis votivis edita ac praesertim 3922 tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae sollemnis.*

Ad XI. *Negative, iuxta rubricas Missalis, tit. V. n. 4 pro Missis Defunctorum. In Missis autem Conventualibus et Cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro libitu Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.*

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, Pro-Praef.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen. Secret.

Ordinis Cisterciensis.

In Kalendario Cisterciensium quaedam ritus elevationes ac variationes inducuntur.

Ad maiorem uniformitatem habendam cum Kalendario Ecclesiae Universalis, Rmus. D. Amedeus de Bie, Abbas Generalis

Ordinis Cisterciensis, nomine quoque Capituli Generalis nuper coacti, a SSmo. Domino Nostro Pio Papa X insequentes ritus elevationes ac variationes in Kalendarium ipsiusmet Ordinis inducendas, humillimis precibus expetivit nimirum :

1^o. ut festum Sacratissimi Cordis Iesu ad ritum duplicem primae classis absque Octava eleveetur, extendendo integrum Decretum diei 28 Iunii 1889 ad Breviarium Cisterciense.

2^o. ut festum Annuntiationis B. M. V. evehatur ad duplex primae classis sine Octava, recolendum una eademque die cum Ecclesia Universali, iuxta Decretum diei 23 Aprilis 1895.

3^o. ut festum Exaltationis S. Crucis ad ritum duplicis maioris eleveetur, sicut obtinet in Ecclesia universali.

4^o. ut extendatur ad Breviarium Cisterciense Decretum diei 13 Augusti 1892, quo festum S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V. quoties impeditum occurat Dominica Passionis aut quindena paschali, adsignetur diei fixae, tamquam propriae sedi.

Demum 5^o. ut normae quoad Orationes in Missis Defunctorum praescriptae per Decretum generale diei 30 Iunii 1896 extendantur ad Breviarium Cisterciense, firmis manentibus Rubricis de solemni Ordinis Tricenario.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinale Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, benigne precibus annuere dignata est : servatis ceterum peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

The English Martyrs.

At the beginning of the current year, their Lordships the Archbishop and Bishops, together with the heads of the Religious Orders of England, petitioned the Holy See for leave to erect altars in honour of nine representative Martyrs among those already beatified. To this petition the following answer was returned :—

PROVINCIAE ECCLESIASTICAE WESTMONASTERIEN.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, clementer deferens supplicibus votis Sacrorum Antistitum Provinciae Ecclesiasticae Westmonasterien., ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregatione Pro-Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut erigi valeant et consecrari altaria fixa minora in honorem novem Beatorum Martyrum Angliae, h.e. unum Altare in novem cuiusque dioeceseos memoratae Provinciae Ecclesiae in honorem singulorum Beatorum, nimirum

Beati Joannis Fisher Cardinalis Episcopi Roffensis,
 Beati Thomae More,
 Beati Richardi Houghton ex ordine Carthusianorum,
 Beati Richardi Reynolds ex ordine S. Brigittae,
 Beati Joannis Forest ex ordine Minorum,
 Beati Richardi Whiting ex ordine S. Benedicti,
 Beati Cuthberti Mayne Protomartyris Seminariorum,
 Beati Edmundi Campion e Societate Jesu, et
 Beati Gulielmi Hart e Clero Saeculari.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Februarii,
 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

This concession seeming to their Lordships somewhat restricted, a second petition was presented requesting an extension of the privilege; in reply to which the Sacred Congregation was so good as to give an authentic declaration of the conditions under which representations of the Beati might be multiplied without further privilege:—

Nihil obstat quod ubi fiat Officium cum Missa seu Festum Beatorum de quibus infra, ibi exponatur Imago eorumdem Beatorum, in aliquo altari, etsi portatili, vel consecrato in honorem aliorum Sanctorum; quum altaria fixa in honorem Beatorum erigenda concedi non soleat, nisi cum limitationibus, prout in casu iam indultum est.

◆ ◆ ◆
Tarblen.

**Circa Lectiones I Nocturni, et circa Missam exequialem in
 Feria IV Cinerum.**

Rmus. dnus. Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Decreto n. 3923 diei 30 Iunii 1896 *Plurimum dioecesium*, praecipiente Lectionem de Scriptura occurrente in duplicibus infra II. classem, excipiuntur tamen Lectiones, quae “iam approbatae fuerunt, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus, seu etiam minoribus.” Quaeritur: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum eae peculiares Lectiones, quae certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio dioecesano, sed etiam eae omnes, quae assignantur de Communi, et in praedictis Breviario et Proprio tantummodo indicantur, Rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in festo S. Dominici die 4 Augusti indicantur pro I. Nocturno Lectiones *Beatus vir* etc. de Com-

muni Conf. non Pontif. 2º. loco; sicut etiam v. g. in festo S. Fausti (in Proprio Provinciae Auxitanae ad 28 Septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad Lectiones *Fidelis sermo*?

II. Utrum feria IV. Cinerum in ecclesiis parochialibus ubi unicus est sacerdos, celebrari possit Missa exequialis?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. et II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Secovien.

An Episcopo petenda sit licentia celebrandi Missam in oratoriis secundariis Religiosorum.

Rmus. dnus. Leopoldus Schuster, Episcopus Secoviensis, Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit et enixe petiit, ut sequentia dubia solvantur; nimirum:

In dioecesi Secoviensi, vasta sunt quinque monasteria, nimirum tria Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Cisterciensis et unum Canonorum Regularium Lateranensium; insuper permulta coenobia aliorum Ordinum Mendicantium S. Francisci et S. Dominici, S. Ioannis de Deo etc. Interdum in illis monasteriis casus accidit, ut novum oratorium e. g. pro recitando Officio tempore hiemali in aedibus monasterii erigatur simul cum altari sive fixo, sive portatili, ut ibi etiam Missa celebrari possit ab infirmis et senibus debilibus. Praeterea talia oratoria cum altari interdum etiam in domibus extraneis, quae a monasterio sive longe, sive parum distant et peculium monasterii sunt, eriguntur, in quibus domibus unus vel plures Patres per aliquod tempus sive oeconomiae sive sanitatis colendae causa versantur. Hinc quaeritur:

I. Estne licentia, Missam ibi celebrandi, ab Episcopo Ordinario petenda, an sufficit necessitas vel utilitas communitatis religiosae? — Et si affirmative ad secundam,

II. Valet hoc etiam de oratoriis, quae extra monasterium ipsum sita sunt, sed ad eius peculium pertinent?

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine perpensa, ita respondere rata est:

Ad I. Si agatur de Regularibus proprie dictis, *negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, de licentia superioris generalis aut provincialis iuxta decretum n. 4007 *Super oratoriis*

semipublicis 23 Ianuarii 1899; si vero sermo sit de aliis communitatibus, servetur decretum n. 3484 *Nivernen.* 8 Martii 1879 ad II.

Ad. II. *Negative*, nisi adsit indultum.

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✕ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Ordinis Fratrum Minorum.

Provinciae Germaniae Inferioris.

De Missis defunctorum in oratoriis, de orationibus in Missa votiva, de symbolo in Missa conventuali et in festis secundariis Sanctorum, deque festo Titularis.

R. P. Vitalis Keenen, Minister Provincialis Provinciae Germaniae Inferioris, Ordinis Fratrum Minorum, sequentia dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponit; nimirum:

I. Ad controversias tollendas circa interpretationem decretorum n. 3903 *Aucto* 8 Iunii 1896, n. 3944 *Romana* 12 Ianuarii 1897, *Vicen.* 3 Aprilis 1900, et *Labacen.* 23 Aprilis 1902, quaeritur:

1°. An in oratoriis privatis et semipublicis dici possint Missae de Requie omnibus et singulis diebus, exceptis festis de praeepto et duplicibus primae classis et diebus ipsa duplicia primae classis excludentibus, ab obitu usque ad sepulturam, quamdiu nempe corpus praesens est in domo?

2°. Et quatenus *affirmative*: An idem privilegium valeat etiam pro oratoriis publicis et ecclesiis Seminariorum, collegiorum et religiosarum communitatum, ita ut liceat omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus ut supra indicatis, inibi Missas de Requiem celebrare, quamdiu corpus praesens est in domo, ecclesiis vel oratoriis publicis praedictis adnexa?

II. Quum Missa votiva de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, singulis diebus infra Octavam eiusdem Mysteriorum atque singulis sabbatis per annum concessa, iuxta Sacrae Rituum Congregationis decreta dici nequeat, si eodem die agatur commemoratio Officii trium vel novem Lectionum ad ritum simplicem redacti; sed celebrari debeat, pro votiva, Missa Officii de Beata Maria Virgine ad instar simplicis redacti, iisdem iuribus ac privilegiis iam pro votiva concessis, quaeritur:

1°. An in Missa votiva respondente Officiis ad instar simplicis redactis, quae ritum duplicem alias obtinerent, excludatur

secunda et tertia oratio de Tempore, et solum admittantur commemorationes occurrentes et collectae, si iuxta Rubricas et decreta admittendae sint ?

2°. An diebus infra Octavas Beatae Mariae Virginis Officio duplici vel semiduplici impeditis, si Missa Octavae pro votiva Immaculae Conceptionis solemniter vel in cantu vel conventualis instar celebretur, ad Missam duplicis vel semiduplicis Sanctorum conventualem, quum omnis commemoratio Octavae per se excludatur ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, extra Dominicam debeat omitti Symbolum, quod solum ratione Octavae ad conventualem Officii iuxta Rubricas et decreta suspensae alioquin requiritur ?

III. An omnia eiusdem religiosae Familiae oratoria semipublica, solemniter saltem benedicta enumerato in decreto n. 4007 diei 23 Ianuarii 1899, ius habeant ut illorum Titularis festum celebretur sub ritu duplici primae classis cum Octava, ita ut de eo agatur inter Suffragia Sanctorum, et ut nominetur in oratione *A cunctis* ?

IV. Quum non una sit sententia circa Symbolum addendum in festis secundariis Sanctorum vel infra eorundem Octavas, quae *Credo* in festo principali vel ipsa solemnitatis die exigunt, quaeritur :

1°. An in festis Patronorum dioecesis et Fundatorum Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem duplici gaudeant, dicendum sit ad Missam Symbolum, prouti dicitur in eodem festo principali ; ita ut apud Fratres Minores trium Ordinum dici debeat *Credo* in festis secundariis Sancti Patris Nostri Francisci et apud Moniales II. Ordinis in festis Sanctae Clarae Assisiensis earundem Fundatricis ?

2°. An in festis secundariis Patroni principalis vel Titularis ecclesiae dici debeat in Missa Symbolum, si sub ritu saltem duplici celebrentur, sicuti dicitur in eodem festo principali ; ac dici consequenter debeat in festo Decollationis Sancti Ioannis Baptistae, si idem Praecursor Domini sub quavis Mysterii nuncupatione sit Patronus praecipuus vel Titularis principalis ecclesiae ?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis respondendum censuit :

Ad I. Quoad 1^{um} *Affirmative* in oratoriis privatis dummodo cadaver sit adhuc physice praesens in domo ; *negative* in oratoriis semipublicis quae locum tenent ecclesiae.

Quoad 2^{um} *Negative* sed semel tantum in una ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus.

Ad II. Quoad 1^{um} *Affirmative*, quia est Missa festivi Officii duplicis, licet, per accidens, simplicis.

Quoad 2^{um} *Affirmative* iuxta decretum *Ordinis Fratrum Minorum* 19 Iunii 1903 ad 2, quia de Octava in casu nulla ratio habenda est iuxta decretum *Einsiedlen*.—*Reliqua dubia* 5 Maii 1736 ad 26.

Ad III. *Negative*, sed tantum in oratorio principali, deficiente ecclesia.

Ad IV. Quoad 1^{um} *Affirmative* iuxta decretum n. 2484 *Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum* 27 Augusti 1768, et. n. 3249 *Ratisbonen.* 22 Aprilis 1871 ad I.

Quoad 2^{um} *Affirmative*.

Atque ita rescipsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

Ratisbonen.

Seu Congr. SS. Redemptoris Provinciae Bavaricae.

De mensa et de titulo altaris fixi.

R. P. Mathias Prechtel, Rector Provinciae Bavaricae Congregationis SSmi. Redemptoris, de consensu sui Rmi. Procuratoris generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

I. In ecclesia S. Sepulchri, Congregationis SSmi. Redemptoris in civitate Deggendorf, intra fines Ratisbonensis dioecesis, extant tria altaria scil. S. Ioannis Nepomuceni M., Septem Dolorum B. M. V., et Quindecim ss. Auxiliatorum, quorum mensa non constat ex uno et integro lapide, sed ex duobus lapidibus inaequalibus, qui tamen coemento in unum coniuncti sunt. Quaeritur: Utrum haec tria altaria sint valide consecrata, an potius consideranda sint tanquam exsecrata?

II. In ecclesia parochiali eiusdem civitatis mensa altaris maioris fixi constat ex tribus lapidibus, et quidem media maior pars ex marmore, duae aliae laterales partes ex petra arenaria; sed hi tres lapides coemento in unum sunt coniuncti. Itaque quaeritur: Estne hoc altare fixum valide consecratum; et si *negative*, media maior pars ex marmore poteritne adhiberi tanquam altare portatile?

III. Num absque indulto Apostolico et auctoritate tantum ordinaria, titulus altaris fixi commutari possit cum altero titulo, v. gr. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si *negative*, num saltem super altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu loco imaginis S. Sebastiani tituli altaris?

IV. Sufficitne ut imago tituli altaris fixi in tabula vitrea picta retro post altare, in fenestra, applicetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commis-

sionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit :

Ad. I. Iuxta Pontificale Romanum et decreta S. R. C. n. 2862 *Fanen.* 17 Iunii 1843 ad 1, n. 3725 *Meliten.* 26 Aprilis 1890, et n. 3750 *Salamantina* 14 Novembris 1891, mensa altaris fixi ex unico et integro lapide constare debet. Hinc ad primam partem *negative*, ad secundam *affirmative*; et si commode altarium consecratio cum mensa ex unico et integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur ad instar altaris portatilis.

Ad. II. *Negative* ad utrumque.

Ad. III. *Negative* ad utrumque iuxta decretum n. 2752 *Congregationis Missionis* 27 Augusti 1836 ad 5 et 7.

Ad. IV. *Negative*.

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

**Eremitarum Camaldulensium.
Congregationis montis coronae.**

**De genuflectionibus et osculis in Missa, ac de Communione
infirmis ministranda.**

Expetenti Kalendaristae Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, de consensu sui Rmi. Superioris generalis, authenticas declarationes super nonnullis dubiis liturgicis, Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ita respondere rata est :

I. Minister inserviens Missae in altari, ubi SS^mum. Eucharistiae sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad altare, et quoties ante medium altaris transibit aut ab eo recedet.

II. Minister tam in porrigendo quam in recipiendo osculetur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculetur manum celebrantis.

III. Oscula in Missa pro defunctis et Feriae vi. in Parasceve omittenda sunt; similiter Diaconus in dictis casibus non osculetur calicem et patenam, iuxta Rubricam Missalis *part II., tit. 13, n. 2*, et Caeremoniale Episcoporum *lib. I., cap. 18, § 16, et lib. II., cap. II., § 5*.

IV. 1^o. Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui*, etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione aut ad implendum praeceptum paschale.

2^o. Infra Missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri*, etc.

3°. Minister infra Missam in casu *Confiteor* et Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum.

Atque ita rescripsit. Die 16 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Circa nonnullas coeremonias in sacris functionibus, orationes in Missa et Benedictione, conformitatem Kalendarii, etc.

Insequentium dubiorum declarationes a Sacra Rituum Congregatione expostulatae sunt; nimirum:

I. An clerici prima tantum tonsura initiati, ad mentem decreti 14 Martii 1906, tangere possint vasa sacra et lintea sacra ac calicem praeparare in sacristia absque speciali indulto?

II. An omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non tonsurati, debeant iuxta Rubricas Missalis (*Ritus servandus in celebratione Missae, tit. II., I.*) superpelliceum induere dum Missae inserviunt?

III. An Diaconus ratione ministerii sui possit, etiam praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis, Sanctissimum Sacramentum de uno altari ad alterum deferre?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II., cap. 3, n. 5*) Celebrans Vesperarum, in initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paululum, exceptis pluvialistis; an omnes de choro sedere debeant in eodem momento, est in sensu affirmativo consuetudo contraria pro clero de choro potestne servari?

V. Utrum in Missa solemni coram SSmo Sacramento exposito Celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te* et ad Offertorium *Veni Sanctificator*, debeat cum ministris rursus genuflectere antequam aliquantulum se retrahat versus cornu Evangelii in thuris impositione?

VI. In eadem Missa, Subdiaconus, accepta patena post oblationem calicis genuflectit in suppedaneo ad dexteram diaconi, debetne iterum genuflectere, cum venerit ante infimum gradum?

VII. Sacra Rituum Congregatio decrevit quod Missa Ordinationis in Sabbatis Quatuor Temporum sit de Feria; quaeritur utrum in hac Missa facienda sit commemoratio simplicis aut simpliciati occurrentis?

VIII. In quodam Seminario studiorum causa sunt duae categoriae sacerdotum sub aliquo respectu distinctae sive quoad exercitia spiritualia, sive quoad alia exercitia. Alii eorum certae

vivendi disciplinae minus strictae subiecti sunt et extra Seminarium in ecclesiis diversis Missam celebrant, alii vero in Seminario Missam celebrant. Iuxta indultum alumni omnes huius Seminarii se conformare tententur Calendario Congregationis religiosae ad quam pertinent Moderatores et Directores praedicti Seminarii. Quaeritur an utraque categoria sacerdotum huius Seminarii se conformare teneantur Calendario eiusdem Familiae religiosae?

IX. Utrum a sacerdote Missam celebrante in ecclesia dedicata alicui mysterio Divinarum Personarum vel in oratorio quod Titulare non habet, in oratione *A cunctis* nominari debeat Patronus loci, si in loco ubi celebrat consuetudo adsit faciendi in Suffragiis commemorationem de loci Patrono?

X. Quando transfertur festum v. g. Annuntiatio B. M. V. in quo exequiae cum Missa exequiali prohibentur, haec prohibitio subsistitne die impedita vel die in qua Officium transfertur?

XI. An in functione Benedictionis SSmi Sacramenti, praeter orationem de eodem, alia cantari possit?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, nisi pro laicis alicuius Familiae religiosae obstant specialia statuta approbata.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consuetudinem servari posse.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative, iuxta Rubricas Missalis (*Ritus servandus in celebratione Missae, tit. X., n. 8*), et iuxta decretum n. 4027 *Plurimum dioecesium* 9 Iunii 1899 ad 11.

Ad VII. Affirmative in Sabbato Pentecostes; Negative in aliis, nisi Officium fuerit de Feria, quo in casu commemoratio non est omittenda.

Ad VIII. Affirmative, nisi agatur de presbyteris beneficiatis, qui, ut alias resolutum est, tenentur sequi Kalendarium ecclesiae sui beneficii.

Ad IX. Affirmative, si vigeat consuetudo faciendi de Patrono commemorationem.

Ad X. In die sola impedita, nisi Annuntiatio transferatur cum feriatione.

Ad XI. Affirmative, priusquam cantetur *Tantum ergo*, quando aliae dicendae sint preces. Negative in casu opposito, nec non in festo et infra Octavam SSmi Corporis Christi.

Atque ita rescripsit. Die 23 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, Praefectus.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secretarius.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

**Indulg. 300 d. conceditur recitantibus precem in honorem S. Ritae
a Cascia.**

ORAZIONE A S. RITA DA CASCIA.

O gloriosa S. Rita, voi che foste prodigiosamente partecipe della dolorosa Passione di N. S. Gesù Cristo, ottenetemi di soffrire con rassegnazione le pene di questa vita, e proteggetemi in tutte le mie necessità.

Ex Audientia SS.mi, die 30 Iulii 1906.

SS.mus omnibus Christifidelibus qui praefatam precem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam, semel in die lucranda, animabus etiam in Purgatorio detentis, profuturam, benigne concessit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem.

CASIMIRUS, *Card. Gennari.*

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulg. Sacrisque Reliq. praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex Secria. eiusdem S. C., die 11 Aug. 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius.*

I.

Indulg. conceduntur recitantibus certam precem ad SS. Cor. Iesu.

PREGHIERA AL S. CUORE DI GESÙ.

O Cuore Santissimo di Gesù, spandete a larga copia le vostre benedizioni sopra la S. Chiesa, sopra il Sommo Pontefice e sopra tutto il clero; date ai giusti la perseveranza, convertite i peccatori, illuminate gl'infedeli, benedite i nostri parenti, amici e benefattori, assistete i moribondi, liberate le anime del Purgatorio e stendete su tutti i cuori il dolce impero del vostro amore. Così sia.

Ex Audientia SS.mi, diei 15 Iunii 1906.

SS.mus D. N. Pius PP. X, omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote supprelatam precem recitantibus, trecentorum dierum indulgentiam, semel in die lucranda, benigne concessit, iis vero, qui per integrum mensem quotidie eandem recitaverint, quo die confessi ad S. Synaxim accesserint atque ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenariam elar-

gitus est. Quas indulgentias S. S. ad animas quoque in Purgatorio detentas applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 16 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

II.

Invocatio.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Sidensis, Parisiensis Coadjutor, Baiocensis Apostolicus Administrator, ad pedes S. V. humiliter provolutus, honori sibi ducit Eidem exponere, in sua privata Audientia, die 22 Novembris p. p. Sanctitatem Vestram fuisse dignatam, oratoris precibus annuendo, concedere Monialibus Monasterii a Visitatione, Cadomi, Indulgentiam trecentorum dierum, recitantibus hanc invocationem: "Sacrum Cor Jesu, adveniat regnum tuum!"

Cupiens subscriptus Archiepiscopus, magis magisque hujus regni benedicti adventum promoveri, audet humiliter apud S. V. instare ut praedicta indulgentia ad omnes fideles extendatur, qui eandem invocationem recitaverint.

S. V. filius devotissimus et obedientissimus.

PARISIIS, DIE 4 MAII 1906.

LEO ADULPHUS, *Archiep. Siden. Coad.*

EX AUDIENTIA SSMI. DIE 29 JUNII 1906.

SSmus. Dominus noster Pius, divina Providentia Papa X, precibus annuens Revmi. Archiepiscopi oratoris, petitam Indulgentiae extensionem ad omnes christifideles supra relatam precationem pie recitantes benigne concedere dignatus est.

Datum Romae e Secretaria Status, die, mense et anno praedictis.

JACOBUS DELLA CHIESA, *Substitut.*

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Sacrae Congregat. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria ejusdem S. C., die 6 Julii 1906.

L. ✠ S.

D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

Indulg. 300 d. conceditur christifidelibus recitantibus quasdam preces. dum Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantur.

Si reciti un *Pater Ave* e *Gloria*; poi si dica per dieci volte: *Lodiamo ogni momento il SS. Sacramento*, e si risponda: *Ora e sempre sia lodato nostro Dio sacramentato*; quindi si ripeta il *Pater Ave* e *Gloria*, e così si seguiti finchè duri la processione.

Ex Audientia SS.mi, die 30 Iulii 1906.

SS.mus omnibus Christifidelibus Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantibus, qui praefatum exercitium devote peregerint, indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

In quorum, etc.

CASIMIRUS, *Card. Gennari.*

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secria. eiusd. S. C. die 11 Aug. 1906.

D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius.*

Conceditur Absolutio et Indulgentia in festis Viae Dolorosae D. N. I. C., et Septem Gaudiorum B. M. V.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit, ut eadem Sanctitas Vestra pro Festi: (a) *Mysteriorum Viae Dolorosae* (Feria VI ante Dominicam Septuagesimae), et (b) *Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis* (Dominica I post Octavam Assumptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis), sequentes spirituales gratias benigne concedere dignetur, nempe:

I. Absolutionem generalem Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Regularium impertiendam, prouti in aliis Festis Christi Domini eiusque Beatissimae Matris iam concessum est.

II. Plenariam Indulgentiam ab omnibus ex utroque sexu Christifidelibus lucrandam, qui in praefatis duobus Festis confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel aliquod publicum sacellum ipsorum Fratrum ac Sororum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto

Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis prae-positae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

Indulgentiae pro pio exercitio mensis SS. Cordi Iesu dicati.

Beatissimo Padre,

Essendo la devozione al Cuore SS. di Gesù la più feconda di frutti spirituali, di grazie e di meravigliose conversioni, per cui uomini ostinati nella colpa si sono ravveduti, ed essendo il pio esercizio del mese consacrato a quel Cuore Divino il mezzo più adatto ad estendere e perfezionare la detta devozione, il sottoscritto, umilmente prostrato ai piedi della S. V., supplica che alle indulgenze già largite dalla s. m. di Leone XIII si degni aggiungere la concessione perpetua :

1°. dell'indulgenza plenaria *toties quoties*, applicabile alle anime dei defunti, il giorno 30 giugno, in quelle, chiese dove il mese del Sacro Cuore sia stato solennemente compiuto ;

2°. del favore dell'altare Gregoriano *ad instar* nella loro messa del 30 giugno ai predicatori del mese del Sacro Cuore, ed ai Rettori delle chiese, ove il pio esercizio venne solennemente compiuto ;

3°. per le persone, che promuovono il pio esercizio, dell'indulgenza di 500 giorni, da lucrarsi con qualsiasi loro opera buona, intesa a propagarlo o a farlo compier meglio ; dell'indulgenza plenaria nelle loro Communioni del giugno ; tutto applicabile alle anime sante del Purgatorio.

Ex audientia SSmi., die 8 Augusti 1906.

SSmus. Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Iesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in Christifidelibus saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, infra-scriptis precibus libenter annuens *pro gratia*, indulgentias expetitas perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est, atque optatam benedictionem Apostolicam peramanter impertivit.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

Pro R. P. D. D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretario*.

L. ✠ S.

Iosephus M. Can. COSELLI, *Substitutus*.

**Confraternitates SS. Rosarii in urbe Quebecensi conservantur,
non obstante domus fundatione FF. Praedicatorum.**

Beatissime Pater,

Vicarius Provincialis Fratrum Ordinis Praedicatorum in regione Canadensi degentium, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod sequitur :

Assentiente Rmo. Archiepiscopo Quebecensi, Fratres Praedicatores in ipsa urbe Quebecensi recenter advenerunt, ecclesiam et conventum ibidem fundaturi. Varias ergo SS. Rosarii confraternitates, quae iam in tribus ecclesiis eiusdem urbis, nempe B. V. Mariae, SS. Salvatoris et S. Rochi, legitime erectae fuerant, ad ipsam Fr. Praedicatorum ecclesiam, ipso facto redire deberent, ut cautum fuit in earundem confraternitatum erectione. Cum tamen huiusmodi confraternitatum translatio absque notabili fidelium pietatis detrimento fieri non valeat, praedictus superior, ad ipsiusmet Rmi. Ordinarii petitionem, humiliter a S. V. necessariam implorat dispensationem, vi cuius, non obstante erectione confraternitatis SSmi. Rosarii in ecclesia Fratrum Praedicatorum, tres supradictae eiusdem nominis confraternitates in eadem civitate Quebecensi existentes, in suo robore legitime existere et conservari valeant.

Et Deus, etc.

SSmus. D. N. Pius PP. X, in audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S.C., die 13 Iunii, 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ☩ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodiceus, Secretarius*.

**Actus consecrationis SS. Cordi Iesu recolatur quotannis in festo
SS. Cordis, indulgentiis concessis.**

URBIS ET ORBIS.

Quo perennis extet memoria illius amplissimi religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 Maii augustissimo Cordi Iesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutare qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatae SSmo. Dno. Nostro Pio Papae X, ut, apertis quoque indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SSmi. Cordis, illum consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et summopere exoptans, ut in Christifidelibus, erga sacratissi-

num Cor Iesu iam excitata pietas magis alatur, et cuncti per hunc consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram SSmo. Sacramento publicae adorationi exposito, formula consecrationis, ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniae in honorem SSmi. Cordis erunt adiiciendae.

Sanctissimus vero, universis Christifidelibus, huic piae caeremoniae corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem Suam orantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam indulgentiam clementer est elargitus; quas indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 22 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

Prayer to Our Lord for Blessed Sacrament.

Indulgentiae conceduntur fidelibus quasdam preces recitantibus vel aliud pium opus agentibus.

I.

Oratio ad Jesum in Sacramento.

Peccata nostra, Domine, intellectum nostrum obnubilant, et ad bonum negligendum, Te, quemadmodum dignus es diligendi nos adducunt. Vividae tuae lucis radio, mentes nostra sillumina, Tu amicus, Redemptor, Pater es poenitentium ad Cor tuum redeuntium; et nos poenitentes ad Te revertimur. Salva nos, Jesu, infinita tua bonitate, nostris dignare supplere miseriis! In Te, Jesu, speramus; novimus enim, nostram salutem Te crucis morti subjecisse, Teque, ad perenniter in SSmo. Sacramento manendum, induxisse, ut nobiscum conjungereris, quotiescumque voluerimus. Ut Tibi, Domine, de tanto, quo nos afficis, amore gratias referamus, Te, Sacramenti velamine absconditum, recipere, tua gratia, tam saepe, quoties licebit, pollicemur; tuas laudes in templo et ubique, absque vano nominum metu, recitare. Te supplices, Domine, in tuo sacratissimo Corde confidentes, quaesumus, diligentes Te in tuo amore conserva, et voca omnes ad Te quotidie, secundum tuum vehemens desiderium, in altari suscipiendum.

EX AUDIENTIA SSMI. DIE 26 JUNII 1906.

SSmus. omnibus christifidelibus praefatam precem, corde saltem contrito, devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, animabus in Purgatorio detentis etiam profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus, et absque Brevis expeditione.

L. ✠ S.

CASIMIRUS, *Card. Gennari.*

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S.C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria e jusdem S.C. die 6 Julii, 1906.

L. ✠ S.

D. PANICI, *Archiep. Laodicen. Secret.*

Sacerdotibus Congregationis Missionis conceditur indultum quoad impositionem Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, enixe petit indultum, cuius vigore sacerdotes dictae Congregationis, qui facultate gaudent benedicendi ac imponendi Scapularia B. M. V. de Monte Carmelo, occasione tantummodo magni concursus illa benedicere valeant, quin teneantur eadem singulis christifidelibus imponere, omitta etiam nominum inscriptione in album fraternitatis.

Et Deus etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia, iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius.*

De Corona Septem Gaudiorum B. M. V.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis FF. Minorum se ad S. V. pedes humillime provolvit, haec exponens: Per Aplicas Litteras in forma Brevis sub die 15 Sept. 1905 editas, in favorem Coronae Septem Gaudiorum B. M. V. concessam novimus Indulgentiam Plenariam iis, qui confessione expiati et S. Com.ni refecti, eandem Coronam recitaverint in Festis cuiusque e Septem

Gaudiis, atque in Festis principalioribus B. M. V. vel per octavam utraque Festa subsequentem.

Cum vero per Decr. S. R. C. d. d. 14 Martii 1906 Festum Septem Gaudiorum Beatae eiusdem Virginis Mariae, sub ritu Duplici secundae Classis, Dominica I post Octavam Assumptionis celebrandum approbatum fuerit, humillimus orator enixe S. V. rogat, ut Indulgentiam Plenariam benigne concedere velit fidelibus, qui eandem Coronam in Festo Septem Gaudiorum confessi ac SS. Communione refecti recitaverint, prout in Festo uniuscuiusque e Septem Gaudiis concessum fuit.

Et Deus, etc.

SS.mus D. N. Pius PP. X in Audientia habita, die 12 Septembris 1906, ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 12 Septembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis V. pedes humillime provolvit, enixe implorans in favorem Coronae Septem Gaudiorum, ut Fideles recitationi publicae eiusdem Coronae in Ecclesiis trium Ordinum Sancti Patris Francisci adistentes, atque aliis in recitatione ipsa sociati, Indulgentias lucrari valeant, quin Coronam materialem prae manibus teneant; itemque, ut quoties duo vel plures eandem simul Coronam recitaverint, sufficiat recitationem moderanti Coronam materialem habere, ceteris vero, amotis occupationibus applicationem animi impredientibus, moderatori in recitatione sociari, prouti pro Rosario et Crucifixis Viae Crucis, et signanter pro Corona Septem Dolorum Virginis a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 8 Iunii 1893 indultum est, ne secus Fideles Coronam non habentes tot Indulgentiarum thesauro saepius remaneant in recitatione expertes.

Et Deus, etc.

SS.mus D. N. Pius PP. X in Audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Congregationis, die 12 Septembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

De Numismate S. Benedicti.

DECRETUM.

ORDINIS FF. MINORUM S. FRANCISCI.

Procurator Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sequens dubium dirimendum exhibuit, nempe :

“Utrum Numisma S. Benedicti iubilare, a S. M. Pio PP. IX per Litteras Apostolicas in forma Brevis sub die 31 Augusti anni 1877 specialibus Indulgentiis ditatum, adnexam habeat Indulgentiam Portiunculae ?”

Et Em.mi Patres ad Vaticanum in Generali Congregatione coadunati, die 7 Augusti 1906, proposito dubio respondendum mandarunt :

Negative.

Quam resolutionem E.morum Patrum SS.mus D. N. Pius PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 8 eiusdem mensis et anni, ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretar.*

Dubia solvuntur quoad indulgentias Tertiariis concessas.

DECRETUM.

ORDINIS FF. MINORUM CAPUCCINORUM.

Per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 Augusti 1903, concessum est, ut Tertiariorum in Communitate viventium et vota simplicia emittentium Ecclesiae aut Oratoria publica iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus perfruuntur Ecclesiae aut Oratoria publica respectivi primi et secundi Ordinis. Altero dein Decreto sub die, 22 Martii 1905, hoc indultum in favorem horum Tertiariorum et personarum cum ipis in Communitate degentium extensum fuit etiam ad eorum Oratoria semipublica.

Nunc vero Procurator Generalis Ordinis FF. Capuccinorum, inspecto Decreto huius S. Congregationis, sub die 18 Augusti

1868, dubitavit, an huiusmodi indulta possint etiam extendi ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (scilicet Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum), quae etsi non sint in vera proprietate ipsorum Tertiariorum, ab ipsis tamen custodiuntur, qui eorum curam habent temporalem, et in iis sacras functiones sive publice sive privatim exercent.

Quare sequentia dubia proposuit dirimenda :

I. An Indultum, per Decretum sub die 22 Martii 1905, concessum, extendatur ad Ecclesias et Oratoria publica veli semipublica eorum Institutorum (Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum, etc.), quae non pertinent ad Tertiarios praedictos, quorum tamen cura vel spiritualis vel temporalis (uti relate ad Congregationes Sororum verificatur) hisce Tertiariis concredita est ?

Et quatenus negative :

II. An non expedia concedere, ut dictae Ecclesiae vel Oratoria, sive publica sive etiam semipublica eodem Indulto gaudeant saltem in favorem dictorum Tertiariorum et personarum eorum curae concreditarum, aut cum ipsis sub eodem tecto habitantium, ne Tertiariorum longe maior pars plurimis privetur Indulgentiis respectivi primi aut secundi Ordinis ?

III. An non expediat indulgere, ut Membra Congregationum Tertii Ordinis in Institutis (ex. gr. Xenodochiis, Orphanotrophiis, Scholis, etc.) degentia, in quibus non existunt Ecclesiae aut Oratoria nec publica nec semipublica, lucrari valeant Indulgentias Ecclesiis sui primi et secundi Ordinis concessas, ea conditione, ut loco Ecclesia aut Oratorii primi et secundi Ordinis parochialem Ecclesiam visitent, quum Tertiarii saeculares S. ti Francisci simile privilegium obtinuerint (Decret 31 Ian. 1903) ?

IV. Iuxta Summarium Indulgentiarum Ordini FF. Min. Capuccinorum concessarum, ab hac Sacra Congregatione approbatum, "Altare maius omnium Ecclesiarum Ordinis gaudet Privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem, celebrabuntur, etc." Iam quaeritur, utrum hoc Privilegium, vi Decreti huius S. Congregationis, die 22 Martii 1905, etiam extensum fuerit ad Altare maius Oratorii semipublici Congregationum Tertiariorum ?

Et quatenus negative :

V. Utrum hoc privilegium Altaris saltem extendatur ad Altare maius Oratorii Xenodochii, in quo Tertiarii debite primo et secundo Ordini FF. Min. Capuccinorum aggregati ad infirmorum assistentiam sive spirituales sive temporalem degunt, et quidem vi Indulti eidem Ordini concessi, quod ita sonat : " Religiosi, qui debitis cum licentiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis Conventibus moram haberent ?

Et E.mi Patres, in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati, responderunt, die 7 Augusti 1906 :

Ad. I. *Negative.*

Ad. II. *Affirmative*, facto verbo cum SS.mo.

Ad. III. *Affirmative*, et ad mentem ; mens autem est quod si in loco ubi degunt Tertiarii, adsit Ecclesia vel publicum Oratorium primi et secundi Ordinis haec erunt omnino visitanda, nisi distent nimis ab Institutis, quibus ipsi inserviunt, id est non ultra milliarii spatium. His vero deficientibus, indultum concedi poterit, quo Ecclesia parochialis similiter non distans ultra milliarium visitari valeat, secus alia quaecumque Ecclesia, prout libuerit adeunda, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad. IV. et V. Non proposita.

De quibus omnibus facta relatione SS.mo D.no Nostro Pio PP. X in Audientia habita a Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 8 Augusti 1906, idem Ss.mus E.morum PP. resolutiones approbavit et confirmavit, simulque petitam in II dubio extensionem, nec non indultum in III dubio propositum benigne concessit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

De Religiosis votorum simplicium ad saeculum redeuntibus.

DECRETUM.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

Raphael Delarbre, Ordinis Minorum S. Francisci, Minister Provincialis Aquitaniae in Gallia, sequentis dubii solutionem ab hac S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae humiliter postulavit, nempe :

Utrum Religiosi votorum simplicium, qui ante ingressum in Religionem ad habitum Tertii Ordinis saecularis admissi fuerant, ad saeculum, per solutionem a votis rite redeunt, nova indigeant receptione, ut Tertiarii haberi possint et sint ?

Et E.mi Patres, in Congregatione Generali, ad Vaticanas Aedes habita, die 7 Augusti 1906, respondendum mandarunt :

Negative.

In Audientia autem diei 8 eiusdem mensis et anni E.morum Patrum sententiam, relata ab infrascripto Cardinali Praefecto, S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, SS.mus D. N. Pius Pp. X approbavit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS.

De presbyteris saecularibus sexagenariis in Hispania quoad carnes vescendas feriis II et III Maioris Hebdomadae.

Romae ex aedibus S. Officii, diei 31 Martii 1906.

Eme. ac Rme. Domine mi Observantissime,

Litteris datis die 15 Ianuarii anni currentis, Rmus. istius ecclesiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, ut consultationibus sibi factis ex diversis Hispaniae provinciis faceret satis, sequentes quaesitus Emo. Domino Cardinali Poenitentiario Maiori proponebat:

I. Utrum in Hispania presbyteri saeculares sexagenarii, vi Bullae Cruciatæ et indulti pro carnibus vescendis, præcisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus possint feria secunda et tertia Maioris Hebdomadae, sicuti fideles laici?

II. Et quatenus negative: utrum illos oporteat generali dispensatione ad huiusmodi usum communire?

Re ad Supremam hanc Congregationem S. Officii deata et in generali conventu habito feria IV die 28 curr. mensis mature discussa:

Ad I. Emi. ac Rmi. Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Negative.*

Ad II. vero SSmus. D. N. in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, eorumdem Eminentissimorum Patrum voto inhaerens, benigne declarare dignatus est presbyteros saeculares sexagenarios in Hispania, vi Bullae Cruciatæ et indulti pro carnibus vescendis, præcisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus posse feriis II et III Maioris Hebdomadae, sicut fideles laici.

Quod dum ad Eminentiae Tuae notitiam, ut mei munus est, deferre propero, impensos altissimæ aestimationis meae sensus testatos volo tibi, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae.

Hmus. et Addmus. v. v. s. famulus
S. Card. VANNUTELLI.

Emo. ac Rmo. Domino
D. Card. Sancha y Hervas, Arch. Toletano.

DECRETUM

De ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda.

FERIA IV, DIE 5 SEPTEMBRIS 1906.

Frequentes pluribus abhinc annis preces Italia Praesules ad Sedem Apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiasticae

legis ieiunii et abstinence mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam intenderunt ut, uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta, non levibus incommodis quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes Supremam hanc S. Officii Congregationem discussa, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu habito feria IV, die 5 currentis mensis Septembris, haec statuenda decreverunt :

1°. In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudisiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unice per diem refectionis, servandum erit :

Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis ;

Feriis sextis et sabbatis Adventus ;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor anni Temporum ;

Vigiliis : Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in Quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, carnum pisciumque in eadem comestione permixtio.

2°. Praeter ieiunium, in cunctis (ut supra) Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinence a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis :

Feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima ;

Feria sexta in Parasceve ;

Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3°. Prima vero die quadragesimalis ieiunii ;

Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae ;

Feriis sextis et sabbatis Adventus ;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum ;

Vigiliis : S. Ioseph Sponsi B. M. V. ; Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam incidat ; Pentecostes ; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum abstinence a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit ; ita ut liceat pro lubitu in principali refectioe vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectioe tum in refectiuncula uti ex

quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis.

4°. Haec eadem abstinencia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii et, consequenter, nulla refectorum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

5°. Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in Ecclesia vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, pia peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum ieiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6°. Ieiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7°. Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla* quidem *Cruciata* (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii ut Apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis SS^{mus}. D^{nus}. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adessori huius S. Supremae Congregationis impertita haec omnia et singula Sibi relata Suprema Sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a Dominica I Adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagent.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 7 Septembris 1906.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. U. I. Notarius.

L. ✠ S.

De Sanatione in Radice.

Beatissime Pater,

Ordinarius Covingtonen. ad pedes Sanctitatis Vestra provolutus haec quae sequuntur exponit :

Inter Facultates Apostolicas Ordinariis Stat. Foed. Amer. Sept. ad Quinquenn. nunc concedi solitas, reperitur etiam (Form. D. art. VI) sequens :—

“Sanandi in radice matrimonia contracta quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens super quo, ex Apostolicae Sedis Indulto, dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis.”

Cum autem pluribus iisque gravis momenti controversiis quoad rectam ejus interpretationem, dicta facultas ansam prae-buerit et adhuc praebeat, sequentia dubia pro opportuna enodatione proponere ausus est :—

1. Quomodo intelligi debet expressio “Super quo, ex Apostolicae Sedis Indulto, dispensare possit” ? Utrum nempe solos casus Indultorum quinquennalium (seu particularium) contineat, an etiam omnes casus Indulti generalis a Rom. P. Leone XIII omnibus Ordinariis concessi die 20 Febr. a. 1888 quoad concubinos, quorum unus versatur in periculo mortis adeo ut, vi praedictae facultatis Episcopi sanare valeant in radice omnia matrimonia pro quibus reliqui Ordinarii facultatem habent simplicem concedendi dispensationem, supposito utique quod adsit species seu figura quaedam matrimonii.

2. Quid exacte intelligendum est per voces “pars innoxia et pars conscia impedimenti” ? Facile quidem usus intelligitur Facultatis pro casu quo matrimonium quoddam nullum et irritum existat ob impedimentum affinitatis ex copula illicita soli parti reae (non innoxiae et simul consciae) cognitum. At praeter hunc casum, alios etiam reperiri in quibus, ex mente h. Supr. Congr. locus sit usui facultatis, vel ex eo solo patet quod Sanctitas Vestra rescribere dignata est Illmo. et Rmo. D. G. Elder Archiepiscopo Cincinnatiensi d. 20 Junii 1892 pro impedimento Disparitatis Cultus ; unde ulterius petet :

3. Utrum adhuc sit locus facultatis si ambae quidem partes cognoscunt nullitatem matrimonii sed una earum adduci non potest ad renovandum consensum ; item si ambae hic et nunc eam ignorant, dummodo postea una pars moneatur de sanatione obtenta ejusque effectu.

4. Utrum valeat Ordinarius sanare in radice matrimonium nullum ob disparitatem cultus, quando impedimentum quidem evanuit, sed gravis adest difficultas expetendi renovationem consensus prouti in casu sequenti nuper contigit.

Maria non baptizata sed ut Catholica ab omnibus reputata, matrimonium in forma Tridentina iniit cum juvene Catholico. Postea vero sacerdotem secreto adiit eique omnem veritatem patefacit, enixe efflagitans ut statim baptizaretur et iusuper orans ut altum servetur silentium coram marito ob gravia dissidia probabiliter oritura ea manifestatione veritatis. Sacerdos votis ejus obsecundans eam baptizavit. An locus est sanationi in radice, vi Indulti?

5. Ex repetitis S. Inquisitionis decretis et responsis, notanter a. 1898, 1899, 1900 emanatis, constat omnes facultates habituales a Sede Apostolica Episcopis concessas et concedendas intelligi debere datas Ordinariis locorum, sub quo nomine, praeter Episcopum, veniunt Vicarii in spiritualibus Generales, Vicarii Capitulares, etc. Quo posito, petit utrum recte sentiant D.D. qui affirmant limitationes quascumque olim appositas facultatibus delegandi Vicarium Generalem jam evanuisse, ipsumque Vicarium absque ulla delegatione vel communicatione facta ab Episcopo gaudere praedictis facultatibus, eisque servatis servandis semper valide uti.

Feria IV die 22 Augusti 1906.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis propositis suprascriptis dubiis, re mature discussa auditoque RR. DD. Consultorum voto, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores scribendum mandarunt:

Ad Primum: "Facultatem art. VI, Formulae D. extendi posse ad casus Indulti diei 20 Febr. 1888, servatis ejusdem Indulti clausulis, facto verbo cum SSmo."

Ad Secundum: "Providebitur in sequenti."

Ad Tertium: "Quoad primam partem, *Negative*, nisi constet verum datum fuisse consensum sub specie matrimonii et eundem ex utraque parte perseverare; ad secundam, prout exponitur, *Negative*."

Ad Quartum: "In casu exposito, *Affirmative*."

Ad Quintum: "*Affirmative*, quoad facultates de quibus in dubio proposito, servato tamen, quoad licitum usum, debito subordinationis officio erga proprium Episcopum."

Insequenti vero feria V ejusdem mensis et anni SSmus. D.N. D. Pius divina providentia Papa X, in audientia r. p. d. Adessori S. O. impertita, habita hac de re relatione, resolutionem Emorum Patrum adprobavit, et benigne annuere dignatus est.

CAESAR ROSSI, *Substitutus Notarius, S.O.*

L. ✠ S.

APPENDIX.

I.

SS. RITUUM CONGREGATIO.

De cera in sacris functionibus adhibenda.

Nonnulli Sacrorum Antistites a Sacrorum Rituum Congregatione semel atque iterum reverenter postularunt: "An attenta etiam magna difficultate vel veram ceram apum habendi vel indebita cum alia cera commixtiones eliminandi, candelae super Altaribus ponendae, omnino et integre ex cera apum esse debeant; an vero esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtae?"

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu die 29 Novembris hoc vertente anno in Vaticanum coadunato, omnibus perpensis, una cum suffragio Commissionis Liturgicae, anteacta decreta mitigando, rescribere rata est: "Attenta asserta difficultate, *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in Missis accedendae, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in majori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. qua in re parochi alique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati Sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur."

Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secret.*

II.

RESOLUTION OF THE ENGLISH BISHOPS.

Attention is called to the fact that the Bishops of England and Wales, at a meeting held on December 4, 1906, resolved as follows:—

"The Bishops having before them the Rescript of the S. Congregation of Rites of Dec. 14, 1904, resolved to instruct the Clergy and others that the Paschal Candle, the two candles for Low Mass, the six candles

for High Mass, and the candles obligatory for Benediction of the Blessed Sacrament must contain at least 65 per cent. of genuine beeswax, and all other candles placed upon the Altar at least 25 per cent.

“ They decided to direct that all candles to be used as above be guaranteed by the makers, and bear stamped upon them the percentage of beeswax they are so guaranteed to contain.”

These decisions will come into force throughout the Province not later than March 25, 1907, and we desire them to be observed in this Diocese with as little delay as possible.

† FRANCIS, *Archbishop of Westminster.*

Dec. 13, 1906.

EPISTOLÆ.

Plus X gratulatur R. P. Wernz e S. I. de editis quatuor voluminibus circa Ius Decretalium.

**Dilecto Filio Francisco Xaverio Wernz, sac. e Soc. Iesu,
Gregoriana studiorum universitatis rectori.**

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem :

Solertium sane curarum, quibus doctores decuriales Lycae magni Gregoriani lectos frequentesque numero adolescentes rite sacris disciplinis instruunt, praeclarum specimen Nobis, rector ipse Lycae, dedisti nuper de scientia et facultate tua. Volumina enim quatuor muneri obtulisti, a te adhuc edita de Iure Decretalium. Quod opus, etsi susceptum habes, ut alumnis disciplinae tuae esset usui, sic tamen videmus probari, ut omnibus ecclesiasticarum legum studiosis, eis etiam, qui hanc ipsam profitentur doctrinam, accommodatum valde atque utile praedicetur. In quo quidem docti atque intelligentes viri et dispersitam subtiliter materiam laudant, et singulorum copiosam eruditissimamque tractationem capitum, et petita vel ab historia canonum vel a philosophia iuris vel a finitimis doctrinis in rem lumina. Quum autem caetera merito efferuntur, tum numeris omnibus absoluta habetur ea pars operis tui, quae de Matrimonio est; ob singularem nempe summamque peritiam, quam diuturno usu eius generis causarum, consultor apud sacra Urbis Consilia, es consecutus. Est igitur, hoc tuorum laborum exitu, quod tibi et inclitae Societati Iesu gratulemur; idque quum libenter ex animoque facimus, te, ut instituta absolvere simili studio pergas, vehementer hortamur.—Auspiciem interea divinorum munerum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 26 Iunii anno 1905, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

**Pii Pp. X ad E. mum D. Card. Cassetta Patronum Sodalitatis
Hieronymianae Sacris Evangeliorum libris vulgandis.**

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem :

Qui piam a Sancto Hieronymo Sodalitatem iam inde precatione bona felicibusque auspiciis sumus prosecuti, quum Patriarchalem Venetiarum administraremus Ecclesiam, nunc, nec tamen multos post annos, ex Ecclesiae suprema sede singularem quamdam videmus voluptatem posse percipere, quod, brevi tempore, profectus eandem fecisse tantos fructusque tulisse tam uberes intelligamus. Non enim Italiam modo, cuius in urbibus tria condita scimus, pro fecundiore efficacitate rei, consociationis domicilia, sed etiam Americum Hieronymiana Sodalitas vulgatis Evangelii pervasit, eo usque proferens libros, ubi italicam compereit personantem linguam, iis maxime adiuvandis qui ex Italia migrassent. Equidem exemplariorum ferme quingenta millia esse edita et opportuno iudicio disseminata in vulgus, ista splendide commostrarat res, socios operis instituisse negotium incredibili quodam studio, pregrandemque agendi campum sodalitatem esse complexam. Mirum procul dubio facinus, tantoque id magis si tenuia assequendae rei praesidia cogitentur : iucundum etiam et fauste auspicatum, si propositum sodalitis bonum spectemus, opportunitatem nempe, facilitatemque multitudini offerendam Evangelii perlegendi contemplandique, horum potissimum in necessitatibus temporum quando nimis, quam unquam alias, ardentius lectioni opera datur, animis, ut plurimum, noxiae; frugiferum quoque et salubre, quum quidem ipsum per se, quippe vi abundat divina rerum, Christi, id est, describenda vita, qua ad sanctitudinem morum nihil praestantius aut efficacius : tum vero ideo praesertim quia magisterio Ecclesiae usui magno est, sive aptius comparandis animis ad divina excipienda praeconia, sive iis defigendis in memoria clariusque custodiendis, quae antea fuerint a Curionibus de Evangelio explanata. Ad haec, non illud est in postremis eorumdem librorum beneficiis censendum, si quidem tempora spectes, quod istis vulgandis legendisque imago divinae vocis quaedam ad eos etiam pertingit, quibus, desperatione vitae aut odio aut errore occupatis, cum sacerdote necessitudo nulla est : magnum certe et peroptandum Nobis benefactum, libris posse, ubi per vocem non licet, mederi animis hominum, et perturbatas publice privatimque res documentis vitae Christi restituere. Iam, sollertia Nobis perspecta est et explorata, qua in munere obeundo suo sodalitas incumbit, propterea non e re esse arbitramur hortari socios et acuere, quo

alacrius in incepto perstent. Hoc tamen, ad uberiora quotidie incrementa operis accuranda, ne fugiat : eam esse omnium utilissimam rem, qua tempori magis respondeat ; eamque oportere duplicatis urgere viribus, qua brevi, adeo se, allatis bonis, probavit. Communem idcirco legendi Evangelii cupidinem, studio excitatum vestro, poscite progrediente exemplariorum vi non sine fructu exerenda unquam ; erit id ad eam etiam abolendam opinionem utile, Scripturis Sacris, vernacula lingua legendis repugnare Ecclesiam aut impediendi quidpiam interponere. Quum autem illud maxime intersit, non modo hoc tale sodalitatæ propositum prae ceteris persequi, qua alacritatem eius actuosam possint allicere, verum etiam viribus persequi nulla ratione disiectis, id quoque erit commodi factum, si in libris vulgandis qui Evangelia et Apostolorum acta continent satis esse amplam ad laborandi provinciam consociatio vestra positam putet. Perge tu igitur, Venerabilis Frater Noster, perge probatissimum Nobis opus auctoritate consilioque provehere ; pergant sodales se ita operi addicere, quemadmodum addixere antea, id est, diligentia et studio summis. Omnia in Christo instaurare volentibus, nihil certe Nobis optatius quam ut id moris filii Nostri usurpent, Evangeliorum exemplaria non solum frequenti, sed quotidiana etiam lectione tenere, e quibus maxime addiscitur quo demum pacto omnia in Christo instaurari possint ac debeant. Auspicem divinorum munerum Nostraeque testem benevolentiae, Apostolicam Benedictionem tibi et sodalibus, iisque universis qui ferant consociationi opem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxi Januarii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

SS. D. N. Pii PP. X. ad Episcopatum, clerum et populum Galliae, de Gallica persecutione.

A nos Veneres Freres les Cardinaux, Archeveques et Eveques de France, au Clerge et au Peuple Français.

PIE X PAPE.

Vénérables Frères, bien aimés Fils, Salut et Bénédiction Apostolique :

Une fois encore les graves événements qui se précipitent en votre noble pays, Nous amènent à adresser la parole à l'Église de France pour la soutenir dans ses épreuves et pour la consoler dans sa douleur. C'est, en effet, quand les fils sont dans la

peine que le cœur du Père doit plus que jamais s'incliner vers eux. C'est, par conséquent, lorsque Nous vous voyons souffrir que, du fond de Notre âme paternelle, les flots de tendresse doivent jaillir avec plus d'abondance et aller vers vous plus réconfortants et plus doux.

Ces souffrances, Vénérables Frères et bien aimés Fils, ont un écho douloureux dans toute l'Église catholique en ce moment ; mais Nous les ressentons d'une façon bien plus vive encore et Nous y compatissons avec une tendresse, qui, grandissant avec vos épreuves, semble s'accroître chaque jour.

A ces tristesses cruelles, le Maître a mêlé, il est vrai, une consolation on ne peut plus précieuse à Notre cœur. Elle nous est venue de votre inébranlable attachement à l'Église, de votre fidélité indéfectible à ce Siège Apostolique et de l'union forte et profonde qui règne parmi vous. De cette fidélité et de cette union, Nous en étions sûrs d'avance, car Nous connaissions trop la noblesse et la générosité du cœur français pour avoir à craindre qu'en plein champ de bataille la désunion pût se glisser dans vos rangs. Nous n'en éprouvons pas moins une joie immense au spectacle magnifique que vous donnez actuellement et, en vous en louant hautement devant l'Église tout entière, Nous en bénissons du fond du cœur le Père des miséricordes, auteur de tous les biens.

Le recours à ce Dieu infiniment bon est d'autant plus nécessaire que, loin de s'apaiser, la lutte s'accroît et va sans cesse s'étendant. Ce n'est plus seulement la foi chrétienne qu'on veut à tout prix déraciner du milieu des cœurs, c'est encore toute croyance qui, élevant l'homme au dessus des horizons de ce monde, reporte surnaturellement son regard lassé vers le ciel. L'illusion en effet n'est plus possible. On a déclaré la guerre à tout ce qui est surnaturel, parce que, derrière le surnaturel, Dieu se trouve, et que ce qu'on veut rayer du cœur et de l'esprit de l'homme, c'est Dieu.

Cette lutte sera acharnée et sans répit de la part de ceux qui la mènent. Qu'au fur et à mesure qu'elle se déroulera, des épreuves plus dures que celles que vous avez connues jusqu'ici vous attendent, c'est possible, et même probable. La sagesse commande donc à chacun de vous de s'y préparer. Vous le ferez simplement, vaillamment et avec confiance, sûrs que, quelle que soit la violence de la bataille, finalement, la victoire restera entre vos mains.

Le gage de cette victoire sera votre union, union entre vous d'abord, union avec ce Siège Apostolique ensuite. Cette double union vous rendra invincibles et contre elle tous les efforts se briseront.

Nos ennemis ne s'y sont pas mépris du reste. Dès la première

heure, et avec une sûreté de vue très grande, ils ont choisi leur objectif : en premier lieu, vous séparer de Nous et de la Chaire de Pierre, puis semer la division parmi vous. Depuis ce moment, ils n'ont pas changé de tactique ; ils y sont revenus sans cesse et par tous les moyens : les uns avec des formules enveloppantes et pleines d'habileté, les autres avec brutalité et cynisme. Promesses captieuses, primes déshonorantes offertes au schisme, menaces et violences, tout a été mis en jeu et employé. Mais votre clairvoyante fidélité a déjoué toutes ces tentatives. S'avisant alors que le meilleur moyen de vous séparer de Nous, c'était de vous ôter toute confiance dans le Siège Apostolique, ils n'ont pas hésité, du haut de la tribune et dans la presse, à jeter le discrédit sur Nos actes, en méconnaissant et parfois même en calomniant Nos intentions.

L'Église, a-t-on dit, cherche à susciter la guerre religieuse en France et elle y appelle la persécution violente de tous ses vœux. Étrange accusation qu'une accusation pareille. Fondée par Celui qui est venu dans ce monde pour le pacifier et pour réconcilier l'homme avec Dieu, messagère de paix sur cette terre, l'Église ne pourrait vouloir la guerre religieuse qu'en répudiant sa mission sublime et en y mentant aux yeux de tous. A cette mission de douceur patiente et d'amour, elle reste au contraire et restera toujours fidèle. D'ailleurs, le monde entier sait aujourd'hui, à ne plus pouvoir s'y tromper, que si la paix des consciences est rompue en France, ce n'est pas du fait de l'Église, mais du fait de ses ennemis. Les esprits impartiaux, même lorsqu'ils ne partagent pas notre foi, reconnaissent que si on combat sur le terrain religieux dans votre patrie bien aimée, ce n'est point parce que l'Église y a levé l'étendard la première, mais c'est parce qu'on lui a déclaré la guerre à elle-même. Cette guerre, depuis vingt-cinq ans surtout, elle ne fait que la subir. Voilà la vérité. La déclarations, mille fois faites et refaites dans la presse, dans les Congrès, dans les convents maçonniques, au sein du Parlement lui-même, le prouvent, aussi bien que les attaques qu'on a progressivement et méthodiquement menées contre elle. Ces faits sont indéniables et contre eux aucune parole ne pourra jamais prévaloir. L'Église ne veut donc pas la guerre, la guerre religieuse moins encore que les autres, et affirmer le contraire, c'est la colomnier et l'outrager.

Elle ne souhaite pas davantage la persécution violente. Cette persécution, elle la connaît pour l'avoir soufferte dans tous les temps et sous tous les cieux. Plusieurs siècles passés par elle dans le sang lui donnent donc le droit de dire avec une sainte fierté qu'elle ne la craint pas et que, toutes les fois que ce sera nécessaire, elle saura l'affronter. Mais la persécution en soi, c'est le mal, puisque elle est l'injustice et qu'elle empêche

l'homme d'adorer Dieu en liberté. L'Église ne peut donc pas la souhaiter, même en vue du bien que, dans sa sagesse infinie, la Providence en tire toujours. En outre, la persécution n'est pas seulement le mal, elle est encore la souffrance, et c'est une raison nouvelle pour laquelle, par pitié pour ses enfants, l'Eglise, qui est la meilleure des mères, ne la désirera jamais.

Du reste, cette persécution à laquelle on lui reproche de vouloir pousser et qu'on se déclare bien décidé à lui refuser, on la lui inflige en réalité. N'a-t-on pas, tout dernièrement encore, expulsé de leurs évêchés le Evêques, même le plus vénérables, et par l'âge et par les vertus ; chassé les seminaristes des grands et petits Séminaires ; commencé à bannir les curés de leurs presbytères ? Tout l'univers catholique a vu ce spectacle avec tristesse et, sur le nom qu'il convenait de donner à de pareilles violences, il n'a pas hésité.

En ce qui touche les biens ecclésiastiques, qu'on Nous accuse d'avoir abandonnés, il importe de remarquer que ces biens étaient pour une partie le patrimoine des pauvres et le patrimoine, plus sacré encore, des trépassés. Il n'était donc pas plus permis à l'Église de les abandonner que de les livrer ; elle ne pouvait que se les laisser arracher par la violence. Personne ne croira du reste qu'elle ait délibérément abandonné, sinon sous la pression de raisons les plus impérieuses, ce qui lui avait été ainsi confié et ce qui lui était si nécessaire pour l'exercice du culte, pour l'entretien des édifices sacrés, pour la formation de ses clercs et pour la subsistance de ses ministres.—C'est perfidement mise en demeure de choisir entre la ruine matérielle et une atteinte consentie à sa constitution, qui est d'origine divine, qu'elle a refusé, au prix même de la pauvreté, de laisser toucher en elle à l'œuvre de Dieu. On lui a donc pris ses biens, elle ne les a pas abandonnés. Par conséquent, déclarer les biens ecclésiastiques vacants à une époque déterminée, si à cette époque l'Église n'a pas créé dans son sein un organisme nouveau ; soumettre cette création à des conditions en opposition certaine avec la constitution divine de cette Église, mise ainsi dans l'obligation de les repousser ; attribuer ensuite ces biens à des tiers, comme s'ils étaient devenus des biens sans maître, et, finalement, affirmer qu'en agissant ainsi on ne dépouille pas l'Eglise, mais qu'on dispose seulement de biens abandonnés par elle, ce n'est pas simplement raisonner en sophiste, c'est ajouter la dérision à la plus cruelle des spoliations.—Spoliation indéniable du reste et qu'on chercherait en vain à pallier, en affirmant qu'il n'existait aucune personne morale à qui ces biens pussent être attribués ; car l'État est maître de conférer la personnalité civile à qui le bien public exige qu'elle soit conférée, aux établissements catholiques comme aux autres, et, dans tous les cas, il lui aurait été

facile de ne pas soumettre la formation des associations culturelles à des conditions en opposition directe avec la constitution divine de l'Église qu'elles étaient censées devoir servir.

Or, c'est précisément ce que l'on a fait, relativement aux associations culturelles. La loi les a organisées de telle sorte que ses dispositions à ce sujet vont directement à l'encontre de droits qui, découlant de sa constitution, sont essentiels à l'Église, notamment en ce qui touche la hiérarchie ecclésiastique, base inviolable donnée à son œuvre par le Divin Maître lui-même. De plus, la loi confère à ces associations des attributions qui sont de l'exclusive compétence de l'autorité ecclésiastique, soit en ce qui concerne l'exercice du culte, soit en ce qui concerne la possession et l'administration des biens. Enfin, non seulement ces associations culturelles sont soustraites à la juridiction ecclésiastique, mais elles sont rendues justiciables de l'autorité civile. Voilà pourquoi Nous avons été amené, dans Nos précédentes Encycliques, à condamner ces associations culturelles, malgré les sacrifices matériels que cette condamnation emportait.

On Nous a accusé encore de parti-pris et d'inconséquence. Il a été dit que Nous avions refusé d'approuver en France ce qui avait été approuvé en Allemagne. Mais ce reproche manque autant de fondement que de justice. Car, quoique la loi Allemande fût condamnable sur bien des points et qu'elle n'ait été que tolérée, à raison de maux plus grands à écarter, cependant les situations sont tout à fait différentes et cette loi reconnaît expressément la hiérarchie catholique, ce que la loi française ne fait point.

Quant à la déclaration annuelle, exigée pour l'exercice du culte, elle n'offrait pas toute la sécurité légale qu'on était en droit de désirer. Néanmoins—bien qu'en principe les réunions des fidèles dans les églises n'aient aucun des éléments constitutifs propres aux réunions publiques et qu'en fait il soit odieux de vouloir les leur assimiler—pour éviter de plus grands maux, l'Église aurait pu être amenée à tolérer cette déclaration. Mais, en statuant que "le curé ou le desservant ne serait plus" dans son église "qu'un occupant sans titre juridique; qu'il serait sans droit pour faire aucun acte d'administration," on a imposé aux ministres du culte, dans l'exercice même de leur ministère, une situation tellement humiliée et vague que, dans des pareilles conditions, la déclaration ne pouvait plus être acceptée.

Reste la loi récemment votée par les deux Chambres.

Au point de vue des biens ecclésiastiques, cette loi est une loi de spoliation, une loi de confiscation, et elle a consommé le dépouillement de l'Église. Quoique son Divin Fondateur soit né

pauvre dans une crèche et soit mort pauvre sur une croix, quoique elle ait connu elle-même la pauvreté dès son berceau ; les biens qu'elle avait entre les mains ne lui en appartenaient pas moins et propre et nul n'avait le droit de l'en dépouiller. Cette propriété indiscutable à tous les points de vue, avait été encore officiellement sanctionnée par l'État : il ne pouvait par conséquent pas la violer.—Au point de vue de l'exercice du culte, cette loi a organisé l'anarchie ; ce qu'elle instaure surtout en effet, c'est l'incertitude et le bon plaisir. Incertitude si les édifices du culte, toujours susceptibles de désaffectation, seront mis ou non, en attendant, à la disposition du clergé et des fidèles ; incertitude s'ils leur seront conservés ou non, et pour quel laps de temps ; arbitraire administratif réglant les conditions de la jouissance, rendue éminemment précaire ; pour le culte, autant de situations diverses en France qu'il y a de communes ; dans chaque paroisse, le prêtre mis à la discrétion de l'autorité municipale, et, par conséquent, le conflit à l'état possible organisé d'un bout à l'autre du pays. Par contre, obligation de faire face à tous les charges, même les plus lourdes, et, en même temps, limitation draconienne en ce qui concerne les ressources destinées à y pourvoir. Aussi, née d'hier, cette loi a-t-elle déjà soulevé d'innombrables et dures critiques de la part d'hommes appartenant indistinctement à tous les partis politiques et à toutes les opinions religieuses et ces critiques seules suffiraient à la juger.

Il est aisé de constater par ce que Nous venons de vous rappeler, Vénérables Frères et bien aimés Fils, que cette loi aggrave la loi de séparation et Nous ne pouvons dès lors que la réprouver.

Le texte imprécis et ambigu de certains des articles de cette loi met dans une nouvelle lumière le but poursuivi par nos ennemis. Ils veulent détruire l'Église et déchristianiser la France, ainsi que Nous vous l'avons déjà dit, mais sans que le peuple y prenne trop garde et qu'il y puisse, pour ainsi dire, faire attention. Si leur entreprise était vraiment populaire, comme ils le prétendent, ils ne balanceraient pas à la poursuivre, visière relevée, et à en prendre hautement toute la responsabilité. Mais, cette responsabilité, loin de l'assumer, ils s'en défendent, ils la repoussent et pour mieux y réussir, ils la rejettent sur l'Église, leur victime. De toutes les preuves, c'est la plus éclatante que leur œuvre néfaste ne répond pas aux vœux du pays.

C'est en vain, du reste qu'après Nous avoir mis dans la nécessité cruelle de repousser les lois qu'ils ont faites—voyant les maux qu'ils ont attirés sur la patrie et sentant la réprobation universelle monter comme une lente marée vers eux—ils essayent d'égarer l'opinion publique et de faire retomber la

responsabilité des ces maux sur Nous. Leur tentative ne réussira pas.

Quant à Nous, Nous avons accompli Notre devoir, comme tout autre Pontife Romain l'aurait fait. La haute Charge dont il a plu au Ciel de Nous investir, malgré Notre indignité, comme du reste la foi du Christ elle-même, foi que vous professez avec Nous, Nous dictait Notre conduit. Nous n'aurions pu agir autrement, sans fouler aux pieds Notre conscience, sans forfaire au serment que Nous avons prêté, en montant sur la Chaire de Pierre, et sans violer la hiérarchie catholique, base donnée à l'Église par N. S. Jésus-Christ. Nous attendons sans crainte par conséquent le verdict de l'histoire. Elle dira que, les yeux immuablement fixés sur les droits supérieurs de Dieu à défendre, Nous n'avons pas voulu humilier le pouvoir civil, ni combattre une forme de gouvernement, mais sauvegarder l'œuvre intangible de Notre Seigneur et Maître, Jésus-Christ.—Elle dira que Nous vous avons défendus de toute la force de Notre immense tendresse, ô bien aimés Fils; que ce que Nous avons réclamé et réclamons pour l'Église, dont l'Église de France est la Fille aînée et une partie intégrante, c'est le respect de sa hiérarchie, l'inviolabilité de ses biens et la liberté; que, si l'on avait fait droit à Notre demande, la paix religieuse n'aurait pas été troublée en France et que le jour où on l'écouterait, cette paix, si désirable, y renaîtrait.—Elle dira enfin que si, sûrs d'avance de votre générosité magnanime, Nous n'avons pas hésité à vous dire que l'heure des sacrifices avait sonné, c'est pour rappeler au monde, au nom du Maître de toutes choses, que l'homme doit nourrir ici bas des préoccupations plus hautes que celle des contingences périssables de cette vie et que la joie suprême, l'invincible joie de l'âme humaine sur cette terre, c'est le devoir surnaturellement accompli coûte que coûte et, par là-même, Dieu honoré, servi et aimé malgré tout.

Confiant que la Vierge Immaculée, Fille du Père, Mère du Verbe, Épouse du St. Esprit, vous obtiendra de la Très Sainte et Adorable Trinité des jours meilleurs, comme présage de l'accalmie qui suivra la tempête, Nous en avons la ferme espérance, c'est du fond de l'âme que Nous vous accordons Notre Bénédiction Apostolique, à Vous, Vénérables Frères, ainsi qu'à votre clergé et au peuple français tout entier.

Donné à Rome, près de St. Pierre le jour de l'Épiphanie, 6 Janvier 1907, de Notre Pontificat le quatrième.

PIUS PP. X.

**Qua Pontifex gratias agit de constructis aedibus pro Delegato
Apostolico Washingtoni.**

Dilecto Filio Nostro.

Iacobo S. R. E. Presb. Card. Gibbons.

Archiepiscopo Baltimorensi.

Caeterisque Venerabilibus Fratribus.

Archiepiscopis et Episcopis.

Foederatarum Americae Septentrionalis Civitatum.

*Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam
Benedictionem :*

Absolutis, ut accepimus, ferme aedibus, quas Delegatus Apostolicus Washingtoni posthac habebit sibi proprias ad incolendum, libenter facimus, ut per has litteras benevolentissimum vobis animum Nostrum testemur. Vos enim, quum Delegatum Nostrum videretis paullo habitare angustius, quam deceret eum qui Nostram apud vos personam sustinet, subveniendum hac quoque in re tenuitati Sedis Apostolicae decrevistis; ultroque collata pecuniae copia, honestius ipsi commodiusque domicilium comparastis. In quo vestra non solum laudanda liberalitas est; sed etiam et praecipue studioso voluntas erga Pontificem Romanum cuius dignitatem maximae vobis esse curae ostendistis. Quare gratias vobis Nos quidem agimus pro tributo nobis officio, singulares; peramplas autem referat, precamur, Christus Dominus, cuius Nos, nullo Nostro merito, gerimus vices; actuosamque virtutem vestram ad laetiora quotidie incrementa Ecclesiae, lectissimis gratiae suae muneribus, promoveat. Horum auspicem et peculiaris Nostra benevolentiae testem, vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, itemque vestro cuiusque clero ac populo Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1x Novembris anno
MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

DECREES.

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS.

Varia Damnantur Opera.

FERIA III, DIE II DECEMBRIS 1906.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorundemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 11 Decembris 1906, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

L'Abbé E. LEFRANC. *Les conflits de la Science et de la Bible*. Paris, 1906.

SEGISMUNDO PEY-ODEIX. *El Jesuitismo y sus Abusos*. Colección de artículos. Barcelona, s. a.

IDEM. *Crisis de la Compañia de Jesús*, hecha por personas eminentes en santidad y letras. Ibid.

ALBERT HOUTIN. *La Question Biblique au XX^e Siècle*. Paris, 1906.

L. LABERTHONNIERE Decreto S. Congregationis, edito die 5 Aprilis 1906, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, &c.

Datum Romae, die 12 Decembris 1906.

L. ✠ S

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus*.

Fr. THOMAS ESSER Ord. Praed., a *Secretis*.

Die 14 Decembris 1906 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENGALIA, *Mag. Curs.*

DECRETUM.

Quo facultas sacerdotibus conceditur excipiendi in navi confessiones fidelium secum navigantium.

FERIA IV., DIE 23 AUGUSTI 1905.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis Emi. ac Rmi. Dni. decreverunt :

Sacerdotes quoscumque maritimum iter arripentes, dummodo vel a proprio Ordinario, ex cuius dioecesi discedunt, vel ab Ordinario portus in quo in navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario portus cuiuslibet intermedii, per quem in itinere transeunt, sacramentales confessiones excipiendi, quia digni, scilicet, atque idonei recogniti ad tramitem Conc. Trident. *sess. XXIII, cap. XV de Ref.*, facultatem habeant vel obtineant; posse toto itinere maritimo durante, sed in navi tantum, quorumcumque fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis inter ipsum iter navis transeat, vel etiam aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

Sequenti vero feria V, die 24 eiusdem mensis et anni, SSmus. D. N. Pius PP. X decretum Emorum. PP. adprobavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. Notarius.

DECRETUM.

Quo sacerdotibus navigantibus conceditur facultas excipiendi in itinere confessiones etiam fidelium non navigantium.

FERIA IV, DIE 12 DECEMBRIS 1906.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis Emi. ac Rmi. Dni. decreverunt :

Supplicandum SSmo. ut concedere dignetur sacerdotes navigantes, de quibus supra, quoties, durante itinere, navis consistat, confessiones excipere posse tum fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant, tum eorum qui, ipsis forte in terram obiter descendentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere posse etiam a casibus Ordinario loci forte reservatis, dummodo tamen—quod ad secundum casum spectat—nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos adprobatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat.

Sequenti vero feria V, die 13 eiusdem mensis et anni, SSmus. D. N. Pius PP. X annuit pro gratia iuxta Emorum. Patrum suffragia.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. Notarius.

DECRETUM.

Super dispensatione ab irregularitate ex defectu natalium ob haeresim parentum.

FERIA IV, DIE 5 DECEMBRIS 1906.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis Emi. ac Rmi. Dni. decreverunt :

Dispensationem super irregularitate, ex defectu natalium ob haeresim parentum semel concessam ad suscipiendam tonsuram et Ordines minores, valere etiam ad suscipiendos Ordines maiores.

Sequenti vero feria V, die 6 eiusdem mensis et anni, SSmus. D. N. Pius PP. X decretum Emorum. Patrum adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. Notarius.

DUBIUM.

Super observantia festorum in locis Missionum.

FERIA IV, DIE 12 DECEMBRIS 1906.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito dubio a S. Congregatione de Propaganda Fide : *utrum indultum super observantia festorum concessum alicui Missioni validum quoque habendum sit pro aliis Missionibus, quae in posterum a pristina Missioni seiungantur* ; Emi. ac Rmi. Dni. respondendum mandarunt : *Affirmative.*

Sequenti vero feria V, die 13 eiusdem mensis et anni, SSmus. D. N. Pius PP. X decretum Emorum. PP. adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. Notarius.

DECRETUM.

Secta Mariavitarum iterum reprobatur atque eiusdem duces excommunicati vitandi declarantur.

FERIA IV, DIE 5 DECEMBRIS 1906.

Mariavitarum sacerdotum secta quae ab aliquot annis nonnullas Poloniae dioeceses infeliciter infestat, in eam paullatim devenit obstinatam pervicaciam et insaniam, ut iam Apostolicae Sedis postulet extremas coercitiones. Haec enim secta, cum in exordiis suis simulasset singulare studium gloriae divinae, mox spretis Episcoporum suorum monitionibus et correctionibus, spretis ipsius Summi Pontificis primum paternis adhortationibus tum severioribus comminationibus, spretis quoque censuris in

quas non unam ob causam inciderat, tandem ecclesiasticae auctoritati se penitus subduxit, agnoscens pro capite foeminam quandam Feliciam, alias Mariam Franciscam Kozłowska, quam Sanctissimam matrem dicunt, SS. Dei Genetrici sanctitate parem, sine cuius patrocinio nemo salvus esse possit, et quae delegavit Ioannem Kowalski, ut suo nomine tamquam Minister generalis totam Mariavitarum societatum regat. Cum igitur constet praedicta totius societatis capita, Ioannem Kowalski et Mariam Franciscam Kozłowska etsi iterum iterumque monitos in suis perversis doctrinis et molitionibus quibus simplicem multitudinem decipiunt et pervertunt, obstinate persistere, atque in censuris in quas inciderunt sordescere, haec Sacra Suprema Congregatio S. R. U. I. de expresse SSmi. Domini Nostri mandato, ne quis, cum detrimento salutis aeternae, ulterius *communi- cet operibus malignis* Ioannis Kowalski et mulieris Kozłowska, declarat atque edicit dictum sacerdotem Ioannem Kowalski memoratamque foeminam Mariam Franciscam Kozłowska, *nominatim ac personaliter* maiori subiacere excommunicationi, amboque, a gremio Ecclesiae Sanctae Dei penitus extorres, omnibus plecti poenis publice excommunicatorum, ideoque Ioannem Kowalski et Mariam Franciscam esse *vitandos ac vitari debere*.

Committit insuper RR. PP. DD. Varsaviensi Archiepiscopo, Plocensi, Lublinensi, Kielcensi aliisque, quorum forte interest, Episcopis Polonis, ut, nomine ipsius Sanctae Sedis, declarent singulos et omnes respectivae suae dioeceseos sacerdotes infami sectae Mariaviticae adhuc addictos, nisi infra viginti dies, ab ipso praesentis intimationis die computandos, sincere resipuerint, eidem excommunicationi maiori, personali et nominali, pariter subiacere eademque ratione vitandos esse.

Praelaudati vero Praesules magis ac magis satagant e grege suo fideles, a sacerdotum Mariavitarum insidiis ac mendaciis misere deceptos, admonere non amplius Ecclesiae Sanctae Dei geminos esse posse filios quotquot damnatae sectae Mariaviticae scienter adhaereant.

L. ✠ S. PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. Notarius.

Decernitur ex deductis non constare de absentia impedimenti primi gradus in linea collateralis.

Eme. Domine,

Titius et Berta matrimonium canonicum contrahere volunt; sed suspicatur quod primo in linea collateralis gradu sint ligati. Quae suspicio innititur tribus fundamentis quae pro fraternitate Titii et Bertae militant;

1°. Rumor publicus: incolae omnes reputant fratres Titium et Bertam.

2°. Assertio Mariae, matris Bertae alimenta petentis coram iudice a Sempronio, eo quod ab eo genita esset Berta. Sempronius et Maria erant tunc temporis soluti.

3°. Recognitio, declaratio, confessio paternitatis facta a Sempronio in articulo mortis et in libro parochiali conscripta.

Sempronius matrimonium contraxit cum Anna ex qua procreavit Titium oratorem, et mortua Anna, viduus transivit ad secundas nuptias cum Maria, matre Bertae oratricis.

Parochus vi rationum, quae expositae sunt, timens ut ligati sint oratores vinculo fraternitatis, matrimonium interdixit.

Titius et Berta oratores non acquiescunt agendi rationi parochi nec a proposito matrimonium ineundi.

Re ad Ordinarium delata, Maria, interposito iuramento, asserit iterum atque iterum filiam suam Bertam nequaquam esse Titii sororem; illam enim edidit non ex Sempronio patre Titii, sed ex quodam Francisco eiusdem oppidi, cum quo tantum copulam illicitam habuit ante matrimonium.

Tribus argumentis propositis respondet: Rumorem publicum a vocibus a seipsa prolatis falso ne cum altera matrimonium contraheret, natum esse.

Eadem causa coram iudice alimenta petivisse a Sempronio Bertae, filiae non Sempronii sed Francisci.

Demum a seipsa Sempronium in articulo mortis non parvis precibus et viribus inductum esse et coactum ad declarationem paternitatis quae toto coelo a veritate abest.

Cum autem Titius et Berta concubinarie et cum prole vivant, praefatus vicarius generalis, consulendo saluti spirituali oratorum et Mariae morti proxima, enixe rogat ut declaretur fraternitatis suspicionem solido argumento non inniti, et ideo a matrimonio contrahendo non esse prohibendos, aut ad separationem esse cogendos, quia fraternitas est praesumenda.

Feria VI, die 6 Aprilis 1906.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito suprascripto dubio, rite perpensis omnibus tum facti tum iuris rationum momentis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores decreverunt: *Ex deductis non constare de absentia impedimenti; ideoque matrimonium de quo agitur permitti non posse.*

Eadem vero feria ac die eiusdem anni, Sanctissimus D. N. Pius divina providentia Papa X in audientia r. p. d. Adessori S. Officii impertita, habita hac relatione, resolutionem Emorum. Patrum adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. Notarius.

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Dispensationis ab Irregularitate.

Dispensatur cum subdiacono iam epileptico ut ad diaconatum tantum promoveri possit.

Subdiaconus Marianus Rose in votis habet se ad superiores Ordines promoveri; sed obstat quod, accepto subdiaconatu, compertum est ipsum aliquando comitiali morbo fuisse obnoxium. Quare Episcopus initio anni 1905 supplicem libellum ad S. C. Concilii obtulit pro sanatione quoad iam collatos Ordines et pro dispensatione ab huiusmodi defectu in futurum.

Rogatus Episcopus ut clarius edoceret de natura et gravitate enunciati morbi, insimul transmissa peritia medica, ipse litteris Martii successivi exhibuit tum iuratam declarationem parentum eiusdem clerici, qui negant ipsorum filium esse epilepticum, sed tantum asserunt eundem iam a tenera aetate morbo *trauma* vocato laborasse et modo bona frui valetudine; tum testimonium rectoris Seminarii, qui fatetur oratorem semel in anno 1903 et bis in anno 1904 subiectum fuisse gravibus accessibus, qui pro epilepticiis habiti sunt.

His acceptis, die 16 dicti mensis eidem Episcopo rescriptum fuit, ut clericus Rose per aliquod tempus poneretur sub directione et vigilantia docti et prudentis medici, cuius votum et relationem deinde remitteret. Haec iussa Episcopus adimplens die 16 Maii 1906 retulit praefatum clericum a mense Ianuario an. 1905 usque ad hunc diem numquam morbo fuisse correptum, iuxta votum et relationem duorum medicorum, qui praeterea fidem faciunt eundem versari in florenti sanitatis statu et liberum esse a morbis infectivis. Episcopus ingeminabat preces pro obtinendo favorabili indulto.

Responsum. Emi. Patres S. Congr. Concilii, omnibus mature perpensis, die 24 Novembris 1906 rescripserunt :

Arbitrio et prudentiae Episcopi ad diaconatum tantum, facto verbo cum SSmo.

Colliges. 1°. Dummodo moralis certitudo habeatur de non iteratione morbi comitialis in futurum, Ecclesia facilius dispensare solet ab irregularitate cum clericis iam ad subdiaconatus ordinem promotis.

2°. Subdiaconus in casu reputatur quidem morbo epileptico non amplius obnoxius, sed ad maiorem cautelam differtur concessio gratiae pro susceptione presbyteratus.

S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM. DECRETUM.

Quo approbantur et confirmantur Constitutiones fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum.

SSmus. D. N. Divina Providentia Pius PP. X in Audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Februarii 1907 suprascriptas Constitutiones Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, latino idiomate exaratas, prout in hoc exemplari continentur, cuius autographum in Archivio praelaudatae S. Congregationis asservatur, benigne approbavit et confirmavit: prout praesentis decreti tenore Constitutiones ipsae approbantur et confirmantur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episc. et Regul. die 18 Februarii 1907.

L. ✕ S.

DOMINICUS Card. FERRATA, *Praefectus*.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius*.

Approbantur constitutiones Sororum a S. Iuliana.

SSmus. D. N. Pius Divina Providentia PP. X, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 6 huius mensis, attentis litteris commendatitiis Antistitum locorum in quibus reperitur Institutum Sororum a S. Iuliana, vulgo *Apostolines du Très Saint Sacrement* nuncupatarum, domum principem habentium in archidioecesi Mechliniensi, eiusdem Instituti Constitutiones, prout continentur in hoc exemplari, cuius authographum in archivio praefatae S. Congregationis asservatur, ad sexennium per modum experimenti approbare et confirmare dignatus est, prout praesentis decreti tenore approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 7 Maii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

Conceditur Postulantibus in casu peragandi probationem intra claustra monasterii.

Beatissime Pater,

Episcopus Auriensis, ad pedes S. V. provolutus, exponit quae sequuntur :

Mos invaluit in conventu monialium S. Francisci oppidi vulgo Allariz, huius dioecesis, ut postulantes priusquam habitum accipiant, probationis periodum peragant intra claustra monasterii commorando, quin in scriptis ullam licentiam a S. Sede obtinuerint, neque postulaverint. Episcopus orator iuri clausurae papalis, cuius est custos, prospiciens et tranquillitati monialium consulendo, petit a S. V. licentiam in scriptis competentem ut quaecumque habitum monialium in hoc monasterio accepturae sunt, nomine et titulo *postulantium*, intra claustra degere et commorari possint per probationis periodum. Et Deus.

Vigore specialium facultatum a SSmo. Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita benigne annuit precibus Episcopi oratoris pro petita facultate ad quinquennium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 8 Maii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

EX S. C. A NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS.

Dominicanis in Insulis Philippinis conceditur facultas anticipandi Matutinum cum laudibus.

Ex Audientia SSmi., habita die 11^a Aprilis 1905.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia Papa X. referente me infrascripto Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae Subsecretario, R. P. Provinciali Ordinis Praedicatorum in Philippinis insulis nec non eiusdem Provinciae Religiosis eiusdem Ordinis facultatem tribuit recitandi privatim, legitima concurrente causa, matutinum cum laudibus diei sequentis statim elapsis duabus horis post meridiem. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno praedictis.

JOSEPH AVERSA, *Subsecretarius*.

Nonnulla solvuntur practica dubia relate ad hodiernam Ecclesiae persecutionem in Gallia.

Q. Quomodo procedendum cum mandatario civilis potestatis ad bona ecclesiastica sequestranda adveniente?

R. Parochi, Vicarii, Superiores ecclesiastici passive se habeant, absque ulla cooperatione in huiusmodi bonorum sequestratione. Quoad vero Praesides, Thesaurarios, aliosque bonis ecclesiasticis rite administrandis et fideliter custodiendis adlectos, Ordinarius, si, attentis peculiaribus adiunctis, iudicaverit ipsos gravia habituros damna ex clavium denegatione, poterit, re pro conscientia et coram Deo perspecta, tolerare ut ipsi, praemissa contra violentiam sibi illatam protestatione explicita, claves in propriis locis derelinquant, quin ulterius opem conferant, aut quodpiam peractae spoliationis instrumentum subscribant.

Q. An liceat Gubernii officialibus acceptare munus Administratoris-Sequestri, uti dicunt, si recusare nequeant absque periculo amittendi officium, propriae substantationi et familiae necessarium, aut aliud grave damnum sustinendi?

R. Dummodo revera grave huiusmodi hominibus instet damnum, et admiratio fidelium amoveatur, (quod quomodo faciendum sit Ordinarii erit definire) tolerari posse.

Q. An possint Parochi aliive Sacerdotes aut viri catholici, intuitu maioris mali praecavendi, eiusdem Administratoris Sequestri quamdam acceptare delegationem seu commissionem?

R. Nullatenus posse.

Q. Utrum locatarius bonorum ecclesiasticorum a praefato Administratore, vi legis iniquae ereptorum, pretium locationis huic Administratori solvere possit?

R. Negative, nisi contractus locationis absque gravi damno ipsius locatarii rescindi nequeat.

Q. Utrum liceat piarum foundationum redditus, si ab Administratore exsolvantur, acceptare?

R. Affirmative.

Q. Quid de missis fundatis, aliisque piis foundationibus, si capitalia seu fundus, vi legis iniquae, subripiantur?

R. Onus missarum aliarumque foundationum iis strictim incumbere, qui fundatum eripuerunt aut detinent.

Q. Utrum bona ecclesiastica, puta Ecclesiae, aedes presbyterales et episcopales, seminaria, etc., vi legis iniquae Municipiis, etc., devoluta aut Administratoribus civilibus commissa, in locationem accipi possint?

R. Non posse, nisi in casibus verae necessitatis praemissa tamen, ex parte Parochi vel Episcopi, protestatione de nullitate peractae spoliationis ac de permanentibus Ecclesia iuribus: ex parte vero Municipiorum vel Administratorum declaratione, qua constet ipsos nullatenus intendere praefata iura negare, nec ullo

modo sacri Ministerii libertatem imminuere velle: prius habito toties quoties Ordinarii dioecesani consensu.

Q. Utrum viri ecclesiastici, servitio militari vi legis iniquae rursus obnoxii, vix ac ad arma vocati fuerint, recursum ad supremum Status Consilium contra iniquam convocationem porrigere possint?

R. Posse ac debere, in protestationem contra illegitimam huiusmodi convocationem.

Q. Utrum iidem possint, responso supremi Concilii nondum accepto, ne poenis contra renitentes intimatis subiaceant, militari convocationi obtemperare?

R. Posse obtemperare.

Q. Utrum Parochus, si forte contingat in sua paroecia cultualem Associationem ad normam iniquae legis efformari, Ecclesiam suam derelinquere debeat?

R. Parochum omnino teneri in Ecclesia sua cultum prosecui et in aedibus parochialibus perstare, usquedum violenter eiiciatur.

Q. Quid si dicta Associatio schismatica nefarium forte invenerit sacerdotem qui in Ecclesia, de mandato Associationis, officia divina celebret?

R. Parochum legitimum, praemissa protestatione et admonito populo ne cultui schismatico participet, Ecclesiam suam statim derelinquere debere.

S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

Dominicanis Angliae datur ad quinquennium indultum celebrandi Missae de Requie bis in hebdomada in die duplici.

EX AUDIENTIA SSMI., HABITA DIE 8 MARTII 1904.

SSmus. Dominus Noster Pius divina providentia PP. X, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, de speciali gratia indulsit, ut in ecclesiis Ordinis Praedicatorum regularis Provinciae Angliae celebrari valeat bis in hebdomada Missa *de Requie*, occurrente etiam festo ritus duplicis, exceptis primae et secundae classis, diebus Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, necnon vigiliis, feriis atque octavis privilegiatis, et dummodo hujus indulti causa nihil omnino praeter consuetam eleemosynam percipiatur. De consensu Ordinarii ad quinquennium.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno ut supra.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

DECRETUM

Laudis novi Instituti Sororum Tertii Ordinis S. Dominici eiusque constitutionum ad tempus approbationis ad quinquennium.

Cum Reverenda Mater Maria Aemilia a SS. Angelis, Priorissa generalis Instituti Sororum Tertii Ordinis S. Dominici congregationis Sanctae Catharinae Senensis, quarum domus princeps est in loco archidiocesis Milwaukiensis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis qui vulgo dicitur *Racine*, enixe petierit ut Sancta Sedes praedictum Institutum illiusque constitutiones adprobare dignaretur, eius petitio Romanae Commissioni pro examine constitutionum novorum Institutorum ab hac S. Congregatione dependentium institutae, cui Eminentissimus Cardinalis Franciscus Satolli praeest, prout opus erat, delata fuit. Praelaudata vero Reverendissima Commissio, attenta huius Instituti pro missionibus in supradicta regione utilitate, de qua litterae commendatitiae Ordinariorum in quorum diocesibus Sororum domus exstant, fidem faciunt, et attenta etiam illius aggregatione ad Tertium Ordinem Sancti Dominici a R. P. Magistro generali peracta, idem Institutum interim laudandum eiusque constitutiones iuxta schema exhibitum, introductis tamen modificationibus prout in annexo exemplari habetur, ad quinquennium per modum experimenti approbandas censuit. Quare haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide, iuxta votum Reverendissimae Commissionis, decretum laudis praefato Instituto et temporaneam praedictam approbationem eius constitutionibus dare decrevit, sperans ipsum tale incrementum consecuturum, ut Sedis Apostolicae approbationem suo tempore obtinere valeat. Quam S. Congregationis sententiam ab infra-scripto eiusdem Secretario, in audientia diei 9 maii 1905 SSmo. Dno. N. Pio divina providentia PP. X relata, eadem Sanctitas Sua in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, et super his praesens decretum fieri mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 10 Maii 1905.

FR. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus*.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius*.

S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM.

Ordinis Fratrum Praedicatorum.

**Renovatur Indulgentia iam ab Innocentio VIII. SS. Rosarium
Deferentibus Concessa.**

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus M. Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod Innocentius VIII in Bulla *Splendor aeternae gloriae*, diei 26 Februarii 1491, ita edixerat :

‘Nos cupientes ut ipsi confratres et consorores sedulius Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant . . . quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus, et auctoritate Apostolica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tempore existentibus, Rosarium deferentibus *centum annos et totidem quadragenas* indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Dno. indulgemus. . . . Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.’

Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in catalogo indulgentiarum, die 29 Augusti 1899, a fel. rec. Leone PP. XIII approbato, quo edicitur ‘quascumque alias indulgentias confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas, seu revocatas esse censendas,’ praedictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii confratrum et consororum nomine humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat, ut praedictam centum annorum et totidem quadragenarum indulgentiam, semel in die lucranda, ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

Et Deus. . . .

Iuxta preces in Domino, die 31 Iulii anno 1906.

PIUS PP. X.

—◆—◆—◆—

Indulgentia conceditur recitantibus precem

“O Madre di Misericordia” in honorem B.M.V. a Providentia.

PREGHIERA.

Ò Madre di misericordia, aiuto dei Cristiani, ministra fedelissima della Divina Provvidenza, tesoriera di tutte le grazie, ricordatevi non essersi mai inteso al mondo che abbiate lasciato

senza consolazione coloro che a voi devotamente ricorsero. Onde io, confidando nelle viscere della vostra pietà e nella liberalissima vostra provvidenza mi prostro umilmente ai vostri piedi affinchè vogliate ascoltare le mie orazioni.

Ottenetemi Voi la santa provvidenza, ossia le grazie in tutti i miei spirituali bisogni, e quella provvidenza inoltre temporale, necessaria per tirare innanzi la vita in questa valle di pianto.

Raccomando fervorosamente al vostro cuore amoroso e materno la santa Chiesa, il Sommo Pontefice, la conversione delle anime, la propagazione della fede cattolica, nonchè le Spose elette del Signore che soffrono nelle atroci fiamme del Purgatorio, affinchè vengano tosto consolate coll' eterno refrigerio. Così sia.

A quanti reciteranno questa preghiera è accordata per una volta al giorno l'Indulgenza dia 300 giorni.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 19 Decembris 1906.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secretarius.

Oratio ad B. Virginem Mariam "Maria Mater Misericordiae," quam in suis Ecclesiis recitare solent Filiae Cordis Iesu, indulgentiis ditatur.

Maria Mater Misericordiae, *Mater et Filia illius qui Pater est Misericordiarum et Deus totius consolationis, Dispensatrix thesaurorum Filii tui, Ministra Dei, Mater Summi Sacerdotis Christi, Sacerdos pariter et Altare, Sacrum immaculatum Verbi Dei, Magistra Apostolorum omnium et Discipulorum Christi*; protege Pontificem Maximum, intercede pro Nobis et pro Sacerdotibus nostris, ut Summus Sacerdos Christus Iesus conscientias nostras purificet, et digne ac pie ad sacrum convivium suum accedamus.

O Virgo Immaculata, quae non modo dedisti nobis panem coelestem Christum in remissionem peccatorum, sed es Tu ipsa Hostia acceptissima Deo litata, et gloria sacerdotum, quaeque, teste Beatissimo famulo tuo S. Antonino, *quamvis sacramentum Ordinis non acceperis, quidquid tamen dignitatis et gratiae in ipso confertur de hoc plena fuisti*; unde merito Virgo Sacerdos praedicaris; respice super nos et super Sacerdotes Filii tui, salva nos, purifica nos, sanctifica nos, ut ineffabiles sacramentorum thesauros sancte suscipiamus et aeternam animarum nostrarum salutem consequi mereamur. Amen.

Mater Misericordiae, ora pro nobis,
Mater aeterni Sacerdotis Christi Iesu, ora pro nobis.

Regina cleri, ora pro nobis.

Maria Virgo Sacerdos, ora pro nobis.

Trecentos dies Indulgentiae acquirat quisque pie ac devote hanc orationem recitaverit.

Die 9 Maii an 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic
S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die 9 Ianuarii 1907.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

**Indulgentia plenaria quotidiana Basilicae S. Mariae Angelorum
de Portiuncula applicari valet etiam defunctis.**

Beatissime Pater,

Hodiernus Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum, se ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolvit, enixe implorans ut indulgentia Plenaria per Summum Pontificem Innocentium XII., in Bulla *Redemptoris*, die 18 Augusti 1695, fidelibus concessa ad Basilicam Sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula intra fines dioeceseos Assisiensis "*confluentibus, qui illam vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, in quocumque anni die devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haerensum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint*;" non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis valeat applicari, sicque fidelium votis annuatur, qui ad Sanctuarium illud Assisiense etiam animabus suorum defunctorum suffragaturi per annum saepe conveniunt.

Et Deus, &c.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 14 Novembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia conceditur recitantibus orationem "O Ioseph," etc.

Beatissimo Padre,

Nicola Giuseppe Camille Arcivescovo-Vescovo di Iassi, prostrato al bacio del S. Piede, supplica la S. V. a degnarsi accordare a tutti i fedelli, ogni qual volta devotamente reciteranno la seguente orazione al Sommo Patriarca S. Giuseppe, l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche alle anime sante del Purgatorio.

O Ioseph, virgo Pater Iesu, purissime Sponse Virginis Mariae, quotidie, deprecare pro nobis ipsum Iesum Filium Dei, ut, armis suae gratiae muniti, legitime certantes in vita, ab eodem coronemur in morte.

Che della grazia, ecc.

Recitantibus hanc orationem indulgentiam centum dierum bis in die lucrandum in Domino concedimus.

Die 11 Octobris an. 1906.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 26 Nov. 1906.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro populari cantico in honorem B. M. Virginis.

Il P. Fr. Marco Righi, dell'Ordine dei Predicatori, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente implora l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche ai defunti, da lucrarsi da tutti i fedeli ogni volta che con cuore contrito e devotamente reciteranno il seguente cantico popolare in onore della B. V. del Rosario :

*Tu sei del gaudio—Madre e Signora,
Tu fosti martire—in terra ognora ;
Ma eterna gloria—il ciel ti diè.
O Rosa mistica—prega per me.*

*L'Ave, la Visita—il Parto santo,
L'offerta allegrati—di an divo incanto :
Nel Figlio giubili—che riede a Te.
O Rosa mistica—prega per me.*

*L'intimo spasimo—lo scempio atroce ;
Il serto spineo—l'orrenda Croce
Tu soffrì, e immòlati—Gesù con sè.
O Rosa mistica—prega per me.*

*Risorto, all'etera—il Figlio ascende ;
Manda il Paraclito—che il cor t'incende ;
Regina degli Angioli—Iddio ti fe.
O Rosa mistica—prega per me.*

*Cogliamo, o popoli—dai rami santi.
E a Lei sacriamole—rose fragranti.
Speranze e gemiti—pongo ai tuoi piè.
O Rosa mistica—prega per me.*

EX AUDIENTIA SSMI., DIE 2 NOVEMBRIS 1906.

SSmus. Dominus Noster Pius divina providentia Papa X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 14 Novembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

**Ad omnes fideles extenduntur indulgentiae pro pio exercitio ad
SS. Nomen Iesu.**

Beatissimo Padre,

Il sac. Domenico Paoloni, direttore del *Zelatore del SSmo. Nome di Gesù*, di Napoli, prostrato al bacio del sacro piede, umilmente supplica la S. V. a volersi degnare di estendere ai fedeli di tutto l'Orbe le sottoscritte indulgenze dalla s. m. di PP. Pio IX elargite all'archidiocesi di Napoli:

1°. Chi recita cinque *Gloria Patri* e cinque volte ripete la giaculatoria: *Sia infinitamente benedetto il SSmo. nome di Gesù*, lucra 300 giorni di indulgenza.—*Breve* del 17 Marzo 1863.

2°. Indulgenza plenaria ai fedeli che confessati e comunicati nella domenica Il dopo l'Epifania, visiteranno una chiesa ove si celebra la festa del SSmo. Nome di Gesù, ed ivi pregheranno al solito.—*Breve* del 13 Gennaio 1871.

3°. Indulgenza plenaria ai fedeli che confessati e comunicati assisteranno e pregheranno per le solite intenzioni, in quella chiesa ove si celebra l'annuo funerale di coloro che furono divoti del SSmo. Nome di Gesù.—*Breve* del 13 Gennaio 1871.

EX AUDIENTIA SSMI., DIE 19 NOVEMBRIS ANNI 1906.

Sanctissimus, auditis expositis, praedictas indulgentias ad omnes totius Orbis Christifideles extendere dignatus est, ac

animabus in Purgatorio detentis eas profuturas esse declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem.

CASIMIRUS, *Card. Gemari.*

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.
Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 26 Novembris 1906.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro oratione in honorem S. Ioannis de la Salle.

Très Saint Père,

Le Frère Gabriel-Marie, Supérieur général de l'Institut des Frères des Écoles chrétiennes, prosterné à Vos pieds, expose humblement à Votre Sainteté que la dévotion envers saint Jean-Baptiste de la Salle a pris une grande extension parmi les fidèles. En vue de promouvoir encore davantage cette dévotion au Fondateur de l'Institut des Écoles chrétiennes, le suppliant ose prier Votre Sainteté de daigner accorder à tous les fidèles qui réciteront pieusement la prière ci-après :

O glorieux Jean-Baptiste de la Salle, apôtre de l'enfance et de la jeunesse, soyez, du haut du ciel, notre guide et notre protecteur. Intercedez pour nous, assistez-nous, afin que, préservés de toute souillure d'erreur et de corruption, nous demeurions toujours fidèles à Jésus-Christ et au Chef infaillible de son Église. Faites que, pratiquant les vertus dont vous avez été un si admirable modèle, nous partageons un jour votre gloire dans la céleste patrie. Ainsi soit-il.

les indulgences suivantes, applicables aux défunts :

- 1°. Une indulgence de trois cents jours, une fois par jour ;
- 2°. Une indulgence plénière, une fois par mois, en un jour de leur choix, à ceux qui l'auront récitée chaque jour pendant l'espace d'un mois, pourvu qu'en ce jour, confessés et communies, ils visitent une Église ou oratoire public, et y prient aux intentions du Souverain Pontife.

SSmus. Dominus Noster Pius divina providentia Papa X in audientia die 28 Novembris 1906 benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 28 Novembris 1906.

S. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus iaculatoriam precem ad Mariam Immaculatam, pro obtinenda castitate.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

S. Alphonsus Maria de Liguorio non solum strenuus extitit defensor Immaculatae Conceptionis B. M. V., sed etiam fuit promotor indefessus cultus erga B. mam Virginem sine labe conceptam, et praesertim promovit inter fideles praxim quotidie recitandi mane et vespere ter Salutationem Angelicam addendo cuique earum hanc invocationem "*per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam,*" asserens huiusmodi exercitationem efficacem esse ad castitatem servandam contra diabolicos incursus. Iamvero quinquagesimo imminente anno, ex quo Pius IX Praedecessor Noster rec. mem. B. mam Deiparam ab originali labe immunem declaravit, peropportuno existimavimus laudabilem Alphonsi praxim christiano populo commendare, atque ut inde uberiores fructus percipiantur, coelestes etiam Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, reserare statuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti ter Salutationem Angelicam, addita cuilibet Salutationi supradicta invocatione, sive mane sive vespere devote recitaverint, tam mane quam vespere tercentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus: quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a rec. mem. Benedicto XIV Praedecessore Nostro die XXVIII eiusdem mensis adprobatum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die V Decembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Dno. Card. MACCHI.

Praesentium Litterarum exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, &c.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 6 Decembris 1904.

IOE. CAN. COSELLI, *Substitutus.*

I.

Indulg. 100 d. conceditur recitantibus precem in favorem surdomutorum.

Beatissimo Padre,

Il P. Pietro Tognoli, dei Chierici Regolari delle Scuole Pie, in Siena, prostrato al bacio del S. Piede, espone quanto segue :

La compassione che destano tanti piccoli sordomuti, che non avendo ancora l'età per essere ammessi negli Istituti speciali, vanno vagando per le vie esposti a mille pericoli dell'anima e del corpo, specialmente quando trattasi di bambine, spinse l'umile Oratore a raccogliere i mezzi per provvedere un asilo a quei piccoli sventurati. Molte pie persone hanno incoraggiato e cooperano con zelo alla felice riuscita di quest'opera di redenzione morale, ma è necessario che i benefattori si moltiplichino, ed in ogni città sorga una santa crociata a vantaggio di tanti infelici. Per ottenere tale scopo, il mezzo più efficace è la preghiera : quindi l'oratore supplica la S. V. a volersi degnare di accordare l'Indulgenza di cento giorni, applicabile ai defunti, da lucrarsi da tutti i fedeli ogni volta che almeno col cuore contrito reciteranno devotamente la seguente

PREGHIERA.

“O misericordiosissimo Gesù, che mostraste tanta tenerezza per i pargoletti che ebbero la grazia di essere accarezzati dalle tue mani divine e lasciasti detto che chiunque avesse raccolto anche uno solo di tali innocenti avrebbe raccolto Te stesso, deh! stendi la Tua mano provvidenziale su quei piccolini che, per esser privi di udito e di parola sono esposti a tanti e tanti pericoli dell'anima e del corpo.

Diffondi lo spirita della tua ardente carità nei cuori cristiani perchè vengano in loro soccorso e fa discendere copiose grazie su coloro che cooperano a provvedere, anche per questa porzione dei tuoi diletti, un rifugio ove possa essere al sicuro la loro innocenza e dove possano trovare pane ed affetto. Così sia.”

Ex audientia SSmi., die 5 Dec. 1906 SS. D. N. Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulg. Sacrisque Rel. praepositae, die 5 Dec. 1906.

D. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

**Indulg. 300 d. conceditur recitantibus precem in honorem
Dominae Nostrae a SS. Sacramento.**

PREGHIERA.

“O Vergine Maria, Nostra Signora del SS. Sacramento, Gloria del popolo cristiano, Letizia dell'universale Chiesa, Salute del mondo, pregate per noi e ridestate nei fedeli tutti la devozione verso la SSma. Eucaristia, affinchè si rendano degni di riceverla quotidianamente.”

Ex audientia SSmi. die 9 Dec. 1906.

SS. D. N. Pius PP. X universis ex utroque sexu Christianis, quoties corde saltem contrito ac devote supprelatam precem recitaverint, Indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congnis Indulg. Sacrisque Rel. praepositae, die 23 Ianuarii 1907.

D. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulg. 300 d. adnectitur duabus formulis consecrationis Sodalium Congregationum B. Mariae Virginis.

Beatissimo Padre,

Il. P. Elden Mullan, S. I., prostrato ai piedi della S. V., La supplica umilmente a voler enettere all'uno e all'altro dei seguenti atti di consacrazione, l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche alle anime del Purgatorio, in favore degli ascritti alle Congregazioni Mariane, da lucrarsi ogni volta che, almeno con cuore contrito, divotamente li reciteranno.

Che, ecc.

ATTO DI CONSACRAZIONE.

Santa Maria, Madre di Dio e Vergine, io vi eleggo oggi per mia Signora, patrona ed avvocata, e fermamente stabilisco e propongo di non abbandonarvi giammai, e di non mai dire nè fare contro di Voi alcuna cosa nè mai permettere che da altri si faccia contro il vostro onore. Ricevetemi dunque, ve ne scongiuro, per vostro servo perpetuo; assistetemi in tutte le mie azioni, e non mi abbandonate nell'ora della mia morte. Così sia.

ATTO DI CONSACRAZIONE.

SSma. Vergine e Madre di Dio, Maria, io, benchè indegnissimo di esser vostro servo, mosso nondimeno dalla mirabile

vostra pietà e dal desiderio di servirvi, vi eleggo oggi, in presenza dell'Angelo mio custode e di tutta la corte celeste, per mia Signora, avvocata e Madre, e fermamente propongo di volervi sempre servire, e di fare quanto potrò, perchè da altri ancora siate amata e servita. Vi supplico dunque, Madre pietosissima, pel sangue del vostro Figliuolo sparso per me, che mi riceviate nel numero degli altri vostri devoti per vostro servo perpetuo. Assistentemi in tutte le mie azioni, ed impetratemi grazia, che talmente mi porti ne' miei pensieri, parole ed opere, che non abbia mai ad offendere gli occhi vostri purissimi e del vostro divin Figliuolo. Ricordatevi di me, e non mi abbandonate nell'ora della morte. Amen.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo. Dno. N. Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 17 Novembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.



Circa antiqua numismata pro piis unionibus Filiarum Mariae.

Beatissimo Padre,

In merito al decreto emesso dalla Sacra Congregazione delle Indulgenze in data 24 Agosto 1897, col qua è data facoltà ai Direttori locali delle pie unioni delle Figlie di Maria di benedire le sole medaglie secondo il tipo approvato dal succitato decreto, e ciò sotto pena di nullità delle indulgenze, alcuni parroci-direttori della diocesi di Milano, considerando: a) che molte pie unioni delle Figlie di Maria nella suddetta diocesi sarebbero prive delle indulgenze, perchè non posseggono la medaglia prescritta; b) che dovendo adesso mutarle importerebbe incomodo grave e sarebbe difficile per varie ragioni adottare tale provvedimento, supplicano, prostrati al bacio del S. Piede, che la S. V. si degni: 1°. di accordare una sanatoria per quelle pie unioni che non hanno la medaglia prescritta; 2°. di concedere che si possano continuare ad usare le medaglie non conformi al tipo prescritto, delle quali esiste ancora una provvista.

Che della grazia, ecc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, attento voto Rmi. P. Abbatis Generalis Ord. Canonicorum Regul. Lateranensium, utendo facultatibus a Smo. D. N. Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro petita sanatione; quod vero attinet ad s. numismata iam provisa, etsi iuxta typum

praescriptum non sint cusa, eadem S. C. concedit facultatem illa benedicendi cum indulgentiis a RR.PP. eisdem adnexis, quoadusque eadem s. numismata expleantur, in posterum vero adamussim servetur decretum sub die 24 Augusti 1897 editum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 5 Septembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

—◆◆—

Circa privatam recitationem parvi Officii B. V. Mariae in lingua vernacula.

Desideratus Iosephus Mercier, Archiepiscopus Mechliniensis, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exponit quod sequitur :

In pluribus communitatibus religiosis votorum simplicium suae dioecesis, Officium parvum B. M. V. etiam publice seu communiter recitatur in lingua vernacula. Cum membra istarum communitatum sint linguae latinae ignara ideoque difficilius introduci possit regula recitandi Officium hac lingua, cum autem ex decreto diei 28 Augusti 1903 indulgentiae annexae istius Officii recitationi, si lingua vernacula fiat, valeant tantum pro recitatione privata ; hinc enixe rogat infrascriptus orator ut concessio praefati decreti extendatur ad recitationem publice seu in communi peractam, ita ut omnes qui in communitatibus religiosis suae dioecesis Officium parvum B. M. V. recitare solent lingua vernacula lucrentur indulgentias, sive privatim sive publice seu in communi id recitent.

Quam gratiam.

S. Congregatio Indulg. Sacrisque Reliquiis praeposita petitioni Rmi. Archiepiscopi Mechliniensis respondendum mandavit : Recitationem parvi Officii B. Mariae Virginis retinendam esse adhuc privatam, quamvis ipsius recitatio locum habeat in communi intra septa domus religiosae, immo et in ipsa ecclesia vel publico oratorio praedictae domui adnexis, sed ianuis clausis.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 Decembris 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

—◆◆—

Indulgentia pro iaculatoria prece " Beatissima Virgo," etc.
Beatissime Pater,

Archiepiscopus Caesaraugustan., quod magis augeatur devotio erga B. Virginem sub titulo vulgo *del Pilar*, cuius imago in ecclesia Metropolitana maxima veneratione colitur, ad pedes

S. V. provolutus, humillime petit indulgentiam tercentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, toties ab universis christifidelibus lucranda quoties corde saltem contrito ac devote sequentem iaculatoriam precem recitaverint: *Beatissima Virgo a Columna, ora pro nobis—Nuestra Senora del Pilar, rogad por nostros.*

Et Deus.

SSmus. in audientia habita die 23 Ianuarii 1907 ab inscripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 23 Ianuarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM.

Conceditur facultas benedicendi Coronas B. M. V. eisque adnectendi indulgentias quae a Patribus Crucigeris nuncupari solent.

Beatissime Pater,

Sac. Felix Cadène, Prael. Dom. S. V. in hac Alma Urbe ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit facultatem benedicendi Coronas a SSmo. Rosario B. Mariae Virg., eisque applicandi Indulgentias, quae a *Patribus Crucigeris* vulgo nuncupantur.

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo. Domino Nostro Pio PP. X sibi specialiter tributis, potestatem facit oratori benedicendi, unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo haec facultas exercetur, Coronas B. Mariae Virg. ad SSmi. Rosarii recitationem destinatas, eisque adnectendi Indulgentias, quae a *Patribus Crucigeris* nuncupari solent. Praesenti *ad quinquennium* valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 20 Nov. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ☒ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Die 27 Novembris 1906, annuimus.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

De usu linguae slavonicae in sacra liturgia.

Acres de liturgico palaeoslavi seu glagolitici sermonis usu controversias, quae diu iam in provinciis Goritiensi, Iadrensi et Zagabriensi dioeceses plures commoverunt, compositas atque adeo sublatas omnino esse oportuit, post ea quae Sacrum hoc Consilium itemque illud extraordinariis Ecclesiae negotiis praepositum, Pontificis Maximi nomine et auctoritate, decreverat, Sed tamen nondum ipsas conquievisse dolendum est; siquidem hic sermo etiam nunc multifariam contra praescriptum usurpatur in perfuntione sacrorum; id quod non modo magnam affert et admirationem et offensionem pietati publicae, verum, cum gravi etiam caritatis pacisque christianae detrimento, Christi fideles, vel intra domesticos parietes, hostiles facit.

Tanta obtemperationis debitae oblivio quanta sit aegritudini SSmo. D. N. Pio PP. X, facile aestimari potest; Isque, Apostolici officii sui esse intelligens, huiusmodi controversiis imponere finem, nuper huic Sacrae Congregationi mandavit ut, datis ad Rmos. Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios ceteros provinciarum memoratarum litteris, quaecumque Decreto diei 5 Augusti 1898 aliisque deinceps praescripta fuissent, omnia, nonnullis opportune mutatis revocaret, eaque sancte inviolateque, onerata ipsorum Antistitum conscientia, observari iuberet.

Primum igitur, quum eo ipso Decreto cautum fuerit, ut Ordinarii singuli indicem conficerent atque exhiberent omnium suae dioecesis ecclesiarum, quas certum esset privilegio linguae glagoliticae in praesens uti; quumque ei praescriptioni satisfactum non sit, quippe talis index, licet studiose expetitus, desideratur tamen adhuc, eundem Sacra haec Congregatio praecipit ut Ordinarii omnes intra mensem Iulium anni proximi Apostolicae Sedi exhibeant, his quidem legibus confectum

ut eae dumtaxat ecclesiae, tamquam hoc privilegio auctae, notentur, in quibus non coniectura aliqua sed certis monumentis ac testibus constiterit, linguam glagolicam ab anno 1868 ad praesens tempus sine intermissione in sacris peragendis adhibitam esse :

ut, eiusdem privilegii nomine, nullae istis adscribantur ecclesiae, ubi in solemnibus Missis latina lingua celebrandis Epistolam et Evangelium cantari glagolitice mos fuerit, eoque minus ubi ista sermone croatico vulgari canantur.

Praeterea, Sacra haec Congregatio, quae infrascripta sunt, approbante item Summo Pontifice, religiosissime observanda edicit

I. Quandoquidem Apostolica Sedes usu glagoliticae linguae liturgico opportunum factu censuit, certis terminare finibus quod olim indulserat, usus huiusmodi considerari et haberi ab omnibus debet ut privilegium *locale*, quibusdam adhaerens ecclesiis,

minime vero ut *personale*, quod ad nonnullos Sacerdotes, qui palaeoslavicae dictionis periti sint, eam adhibere non poterunt, Sacrum facientes in ecclesia, quae hoc privilegio careat.

II. Semel confecto et publicato ecclesiarum privilegiatarum indice, nulli proreus licebit in aliis ecclesiis, quacumque causa aut praetextu, linguam palaeoslavica in sacram liturgiam inducere. Si quis vero, saecularis aut regularis Sacerdos, secus fecerit, aut id attentaverit, ipso facto a celebratione Missae ceterorumque sacrorum suspensus maneat, donec ab Apostolica Sede veniam impetret.

III. In ecclesiis, quae privilegio fruuntur, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione, salvis tamen praescriptis ad § XI huius Decreti. Libri autem ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et approbati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi characteres, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubi cumque populus Sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam non nisi lingua palaeoslavica, in Ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius, fidelibus exclusive, permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum, exarati.

V. In praefatis ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in Sacramentorum administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et approbatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii Sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare Clericos, qui latinis vel qui palaeoslavice ecclesiis destinantur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigit Ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis Sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica: attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Sacerdos vero, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscriptus, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit, non solemnem tantummodo, sed privatam etiam Missam celebrare itemque

Horas canere tenebitur latina lingua ; relicta illi solum facultate Officium privatim persolvendi glagolitice.

IX. Licebit pariter Sacerdotibus, latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate. Sacerdotes vero, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem hoc idiomate ne privatum quidem Sacrum facere poterunt in ecclesiis, ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit in Missa solemnī Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorundem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit. In Missis autem parochialibus fas erit post Evangelii recitationem illud perlegere vulgari idiomate, ad pastorem fidelium instructionem.

XI. In ipsis paroeciis, ubi viget linguae palaeoslavicae privilegium, si quis fidelis ostenderit se cupere aut velle, ut Baptismus vel sacramenta cetera, Matrimonio non excepto, sibi suisve administrentur secundum Rituale Romanum latinum, et quidem publice, eademque lingua habeantur rituales preces in sepultura mortuorum, huic desiderio aut voluntati districte prohibentur Sacerdotes ullo pacto obsistere.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen Generalibus Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versionī precum et hymnorum, quibus populus indulget in propria ecclesia : ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesium vel paroeciam, in nullam offendant precationum aut canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, *ad usum tantummodo privatū Christianifidelium*, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 18 Decembris anno 1906.

SERAPHINUS Card. CRETONI, S. R. C. Praefectus.

L. ✕ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., S. R. C. Secretarius.

**CIRCA FORMAM NOTULARUM
IN EDITIONIBUS CANTUS GREGORIANI.**

Epistola ad editores Parisienses Biais, Lethielleux et Lecoffre.

Rome, ce 2 Mai 1906.

Messieurs,

En réponse à votre lettre du 9 Avril dernier, j'ai l'honneur, de la part de mes supérieurs, de vous confirmer que, pour ce qui

est des signes rythmiques, le decret de la Sacrée Congregation des Rites du 14 Février est très clair et très précis. L'édition Vatican typique, avec sa notation la plus purement traditionnelle, donnant le rythme de la tradition, renferme sans doute les indications nécessaires et suffisantes pour la pratique. Néanmoins le Très Saint-Père a cru devoir tolérer, sous certaines garanties et reserves spécialement exigées, l'adjonction de certains signes supplémentaires avec la permission des Ordinaires, *permittente Ordinario*, et encore avec une grande circonspection. Le decret du 14 Février ne condamne donc pas d'une manière absolue toute édition contenant des signes de ce genre; mais il ne peut être, d'autre part, regardé comme une approbation. Ce qui résulte des termes mêmes du décret, c'est que celui-ci oblige de respecter toujours l'intégrité de la notation typique. Les commentaires erronés qui on présenté ce décret comme une approbation de la Sacrée Congrégation des Rites ne pourraient avoir aucune valeur, ni ne sauraient tirer à aucune conséquence.

Je suis, Messieurs les Editeurs,
Votre très dévoué,

† D. PANICI, Archevêque de Laodicée, *Secrétaire*.

NEAPOLITANA.

Dubia circa organi pulsationem in Missa solemni.

Reverendissimus Abbas Sanctae Mariae Maioris, Neapolis, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum :

I. Quum organum quod in ecclesia permittitur, iuxta praescriptum in Motu Proprio Pii Papae X ita cantum comitari debeat ut illum sustineat, non opprimat, et fideles recte valeant verba intelligere; in Missa solemni, *Graduale*, *Offertorium* et *Communio*, quae partes miram saepe continent analogiam ad festum quod agitur, possuntne, dum pulsantur organa, submissa voce seu tono unico sub organo recitari? Et qua tenus affirmative, estne laudabilius ut illae, organo cessante vel comitante, notis gregorianis contentur?

II. Item *Deo gratias* in fine Missae potestne sub organo vel debet notis gregorianis, ut in *Missa est*, cantari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, respondendum censuit :

Ad I. *Quoad primam partem, quando organa pulsantur, si praedicta*

nempe Graduale, Offertorium et Communio non contentur, recitanda sunt voce alta et intelligibili, iuxta mentem Caeremonialis Episcoporum lib. I. cap. XXVIII, n. 7, et decretorum n. 2994 Montis Politiani 10 Ianuarii 1852 ad II, et n. 3108 S. Marci 7 Septembris 1861 ad XIV. et XV.

Quoad secundam partem affirmative, adhibitis libris authenticis cantus gregoriani.

Ad II. Provisum in I.

Atque ita rescripsit. Die 8 Augusti 1906.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Dubia circa ritus servandos ab Episcopo Missae adsistente et populo extra Missam benedicente.

Reverendissimus Dnus. Franciscus Orozco y Limenez Episcopus de Chiapas in Mexico, qui responsionem accepit a Sacra Congregatione Rituum posse, attentis circumstantiis locorum, thronum conscendere mozzetta tantum indutus, postea ulterius quaesivit :

I. An attentis iisdem circumstantiis, cum ipse Episcopus mozzettam gerens Missae solemniter assistit, ritus iidem servari possint praescripti a Caeremoniali Episcoporum, cum Episcopus cappa magna indutus Missae solemniter assistit?

II. An Episcopus qui sacram Communionem extra Missam distribuit, post eam debeat benedicere more solito dicendo: *Sit nomen Domini benedictum*, &c., et efformando tres cruces?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque perpensis rescribendum censuit :

Ad I. "*Negative, sed servantur Caeremoniale Episcoporum et decreta S.R.C., scilicet :*

1°. Episcopus rochetto et mozzetta indutus non habet assistentiam canonicorum.—Decr. n. 650.

2°. Incensum non imponit nec benedicit.—Decr. n. 3110 ad 21.

3°. Nec benedicit subdiaconum post Epistolam nec diaconum ante Evangelium cantandum, nec librum Evangeliorum osculatur.—Decr. n. 3110 ad 22.

4°. Semel tantum thurificatur post oblata.—Decr. n. 2195 ad 2, et Caerem. lib. II., cap. 9, n. 8.

5°. Pacem accipit a diacono Evangelii.—Decr. n. 2089 ad 5.

6°. In fine Missae populum non benedicit.

Ad II. "*Affirmative.*"

Atque ita rescripsit, die 23 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indultum de Missa votiva S. Francisci.

Quo cultus et pietas erga Portiunculæ Sanctuarium Assiense magis magisque foveatur, Reverendissimus Pater frater Bonaventura Marrani, Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum, votis quoque Religiosorum Seraphicæ illius Provinciae satisfactorius, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X humillimis precibus rogavit, ut sacerdotibus divinæ rei operantibus in pervetusto sacello a *Rosis* nuncupato, Sancti Patris Francisci miris virtutum exemplis gestisque clarissimo, Missam votivam de eodem sancto Confessore liceat celebrare, etsi Officium ritus duplicis occurrat, prouti eiusmodi privilegio ditata sunt sacellum Portiunculæ et alterum olim cubiculum, in quo sanctus Patriarcha ad caelestia regna transivit.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petittum Missae votivæ privilegium ad sacellum de *Rosis* ita benigne extendit, ut cuilibet sacerdoti ibidem Sacrum facturo, Missam votivam de Sancto Francisco, uti in die quarta Octobris, fas sit celebrare; dummodo non occurrat duplex primæ vel secundæ classis, aut festum de praecepto servandum, necnon feria, vigilia vel octava quæ sit ex privilegiatis: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iulii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Presbyteris Congregationis Missionis conceditur indultum canendi unam Missam de requie in ecclesiis ubi sacras Missiones ipsi peragunt.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procuratur generalis Congregationis Missionis, ad Pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime implorat, ut quoties a Presbyteris eiusdem Congregationis de Ordinariorum consensu Sacra Missiones in quibuslibet Ecclesiis peraguntur, cantari inibi valeat unica Missa de requie pro animabus defunctorum, postrema die earumdem Missionum, vel alia die deligenda, etiam occurrente Officio duplici.

Et Deus etc.

CONGREGATIONIS MISSIONIS.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne annuit pro gratia iuxta preces *ad proximum*

decennium : dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, festum de praecepto servandum, Feria, Vigilia vel Octava quae sint ex privilegiatis : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Martii 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De Communione in oratoriis privatis ministranda.

Hodiernus Cathedralis Ecclesiae Malacitanae in Hispania Canonicus Poenitentiarius ut suo Consultoris munere fungatur, de consensu Rmi. sui Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione responsionem enixe postulavit ad sequentia dubia :

I. An liceat Sacram Communionem in Oratoriis privatis, de Ordinarii tantum licentia, indultariis ministrare ?

II. Utrum non tantum indultariis sed etiam fidelibus Sacro adstantibus in praedictis Oratoriis Sacra Communio ministrari possit ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, respondendum censuit :

Ad. I. Praesupposito Indulto Apostolico pro concessione Oratorii privati, *affirmative*.

Ad. II. *Negative*, nisi adsit Indultum Apostolicum. Atque ita rescipit die 10 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Abbates Praesides Congr. Benedictinorum Nigrorum subdelegare possunt sacerdotes ad benedictionem quae a S. Mauro nuncupatur.

Beatissime Pater,

Abbas Primas O. S. B., ad genua S. V. provolutus, supplex implorat, ut delegare possit sacerdotes Saeculares et Regulares ad impertiendam benedictionem infirmis, adhibita S. Crucis D. N. I. Ch. particula, quae benedictio a S. Mauro nuncupatur et a Leone PP. XIII. f. r. die 4 Maii 1882 approbata fuit pro Sacerdotibus O. S. B.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X., referente in-rascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, facultatem facere dignatus est Rmo. Abbati Oratori et Abbati-

bus Praesidibus Congregationum Monachorum Nigrorum Ordinis Sancti Benedicti, subdelegandi sacerdotes utriusque Cleri ad benedictionem, quae a S. Mauro nuncupatur: dummodo adhibeatur in benedictione forma approbata et Rituali O. S. B. concessa. Valituro hoc indulto ad proximum decennium. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Ianuarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

— ◆ —◆—

**Quoad simulacrum B. M. V. Perdolentis et Processionem
SS. Crucis feria VI in Parasceve.**

Hodiernus Praepositus Congregationis Oratorii S. Philippi Neri Perusiae humillime exposuit Sacrae Rituum Congregationi, quae sequuntur:

I. In ecclesia dictae Congregationis est sacellum B. M. Virgini Perdolenti dicatum, extructum in parte separata ecclesiae, scilicet eodem loco quo Romae in ecclesia S. Mariae in Vallicella aedificatum est sacellum S. Caroli Borromaei. In hoc sacello religiosissime colitur in sua aedicula simulacrum B. M. V. Perdolentis. Quaeritur: An feria V in Coena Domini post Vesperas, et feria VI in Parasceve, perdurante in alio remoto sacello, nempe prope ianuam maiorem ecclesiae, expositione SSmi. Sacramenti vulgo *Sepolcro*, dicta imago Virginis Perdolentis possit remanere in sua aedicula, discooperta cum candelis vel lampadibus accensis, et an possit etiam ante ipsam collocari simulacrum SSmi. Redemptoris demortui, iuxta antiquam consuetudinem ad populi devotionem satisfaciendam.

II. In eadem ecclesia, feria VI in Parasceve, quotannis post expletas functiones liturgicas fit Processio cum reliqua SSmae. Crucis Dominicae sub umbella vel baldachino violacei coloris, cum thuriferariis, etc. Sed quotannis renovatur dissensio inter caeremoniarios circa qualitatem paramentorum. Hinc ad evitandas varietates quaeritur: 1°. quae paramenta sint licita vel magis idonea in hac Processione; et 2°. qualis color sit licitus vel magis idoneus etiam pro umbella vel baldachino in eadem Processione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. quoad utramque partem, *negative* feria V in Coena Domini; *affirmative* feria VI post Missam Praesanctificatorum.

Ad II. Adhibeantur quoad 1^{um}. Pluviale et dalmaticae seu

tunicellae coloris nigri; et quoad 2^{um}. Velum humerale et umbella vel baldachinum coloris violacei.

Atque ita rescripsit. Die 16 Ianuarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Circa quasdam caeremonias in missa aliisque sacris functionibus occurrentes.

Redactor Kalendarii Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, de Superioris generalis consensu, a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime imploravit; nempe:

I. Utrum Celebrans, in die Purificationis ac Dominica Palmarum, completa candelarum aut ramorum distributione, debeat pro ineunda Processione incensum ponere in cornu Epistolae, ubi iam reperitur, cum ibi orationem ultimam recitarit; an potius debeat se prius ad medium altaris pro thuris benedictione conferre?

II. Utrum in die Purificationis ac Dominica Palmarum, postquam dictum fuerit *Procedamus in pace*, Celebrans e suppedaneo in planum descendens debeat ad altare conversus debitam ei reverentiam facere; an potius, utpote inchoata a praefatis verbis Processione, debeat conversionem ad altare et omnem ei reverentiam omittere?

III. Utrum Celebrans recedens ab altari ad abacum ut alia sumat paramenta, et ab abaco ad altare revertens, uti contingit singulis diebus Dominicis post aspersionem aquae lustralis atque post Processionem in festo Purificationis ac Dominica Palmarum, genuflexionem in plano praestare debeat, si Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo reperiatur inclusum; an potius in infimo altaris gradu?

IV. Quum ob specialia locorum adiuncta nonnulli ad excipiendam aquae lustralis aspersionem sat proxime altari reperiuntur, num Celebrans, qui a pedibus altaris non recedit, sed tantum se vertit consistens aliquantum a latere Evangelii, debeat in medio ad altare reversus genuflexionem agere, si in tabernaculo Sanctissimum Sacramentum reperiatur inclusum, uti praescribit Rubrica subdiacono, qui accepta patena ad medium e cornu Epistolae se confert in plano permansurus?

V. Quum Missalis Rubrica unice dicat esse cantanda *Impropria* ad functionem in feria VI in Parasceve, neque innuat eadem *Impropria* et reliqua esse a sacerdote recitanda; num

exinde legitime concludatur, sacerdotem ad *Impropria* et reliqua legenda non teneri?

VI. Ubi in ultimo Triduo Maioris Hebdomadae removeri solet aqua lustralis a vasis ecclesiae, num Sabbato Sancto, in quibus ecclesiis fons baptismalis non benedicitur, eadem aqua lustralis in sacrario ante functionem benedici debeat, ut possit in ecclesiae vasis poni post Litaniarum v. *Peccatores*, dum festive ad celebrandam missam paratur altare?

VII. Utrum in Sabbato Sancto cereus paschalis ita poni debeat, ut crux populum respiciat, an latus Epistolae, in quo Celebrans reperitur?

VIII. Dum in eodem Sabbato Sancto ad legile canitur paschale praeconium, quo loco et quorsus vertere facies debeant Celebrans scil. diaconus praeconium cantaturus, et adstantes a dextris eiusdem clericus cum cruce acthuriferarius, et a sinistris duo acolythi, qui respective arundinem et grana thuris tenet?

IX. Cum Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXII, n. II praescribat, ut in extinguendis ad Matutinum Tenebrarum cereis, alternatim incipiatur a cornu Evangelii; quatenus norma tenenda est in accendendis et extinguendis altaris cereis pro alia quavis occasione?

X. Quoties exposito Sanctissimo Sacramento canitur hymnus *Te Deum* in omnibus functionibus, expresse per Rubricas et decreta non directis, ac datur in fine cum eodem Sanctissimo Benedictio: utrum versiculi, qui citantur in decreto Sacrae Rituum Congregationis 11 Septembris 1847 *Veronen.*, n. 2956 ad III, dici cum oratione *Deus, cuius misericordiae* debeant ante hymnum *Tantum ergo*; an potius duo hymni sint coniungendi et absolvendi cum solo versiculo *Panem de coelo* et duabus orationibus Sanctissimi Sacramenti et actionis gratiarum sub una conclusione?

XI. Quoties Processio pro gratiarum actione locum habuerit, num post hymnum Ambrosianum dici debeant omnes versiculi cum tribus orationibus in Rituali Romano designatis; an tantum recitari possint versus aliqui et unica oratio, prouti in decreto 11 Septembris 1847 *Veronen.*, n. 2956 ad III indicatur?

XII. Num sacerdos missam celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito, si Missale ad aliud altaris cornu transfert, debeat genuflexionem agere dum transit ante medium altaris, illucque dum revertitur *Munda cor meum* dicturus?

XIII. Utrum Celebrans, reportato ad altare post Processionem Sanctissimo Sacramento, aut feria V et VI Maioris Hebdomadae allato calice Sanctissimam eandem Eucharistiam continente, debeat supremum altaris gradum ante suppedaneum

conscondere, ut ostensorium et calicem diacono, vel alteri sacerdoti, si absque ministris celebraverit, stando porrigat; an potius debeat in plano ante ultimum altaris gradum consistere, ac tradito Sanctissimo Sacramento vel calice, genuflexionem simplicem in plano praemittens, utrumque genu flectere, in infimo gradu altaris, sicque genuflexus illic manere usque dum tempus thuris imponendi adfuerit?

XIV. Num diaconus aut alius sacerdos, qui post Processionem accipit de manu Celebrantis ostensorium, aut feria V ac VI Maioris Hebdomadae calicem cum Sanctissimo Sacramento, genuflexionem utroque genu peragere debeat in plano ante gradus altaris, et inclinatione capitis Sanctissimum adorare, antequam ostensorium vel calicem a Celebrante recipiat?

XV. Num aliis ac praesertim sacerdotibus sacristis valeat permitti, ut hostiam super patena collocent pro missa ab aliis celebranda, non obstante Rubrica Missalis Romani *Ritus servandus in celebratione missae*, tit 1, n. 1, quae collocationem hostiae totamque instructionem calicis sacerdoti missam celebraturo reservat?

XVI. Num retineri possit antiquissimus usus, ut in Processionibus intra claustra peragendis candelabra a duobus in habitu choralis Religiosis deferantur, qui acolythorum vices cum crucifero expleant?

XVII. Quoties functiones in Sabbato Sancto sine sacris ministris peragantur, utrum sacerdos debeat incensum ponere ac benedicere pro subsequenti Processione, in qua canitur *Lumen Christi*, ac pro paschali praeconio antequam diaconalia coloris albi paramenta sumat; an vero postquam eadem diaconalia sumpserit indumenta?

XVIII. Quonam vocis tono dici debeant feria VI in Parasceve verba sive orationes *Incensum istud...*, *Perceptio corporis tui...*, *Panem coelestem...*, *Corpus Domini nostri Iesu Christi...*, et *Quod ore...*?

XIX. Num servari antiquissimus possit usus, ut clericus thuriferarius exhibeat genuflexus thuribulum Celebranti, saltem quando Celebrans est Praelatus, ac praesertim generalis Superior?

Sacro porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit: *In voto Commissionis iuxta sequentes resolutiones:*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Si a latere Evangelii et a pedibus altaris non elongetur, genuflexionem ac reverentiam omittit, ad mentem decreti 9 Iunii 1899 *Plurium dioecesium*, n. 4027 ad II et III.

Ad V. Negative iuxta praxim ubique receptam, et normam communiter exigentem ut sacerdos legat quidquid in choro concinitur.

Ad VI. Affirmative ubi unus adest sacerdos, secus privatim ab alio sacerdote in sacrario post expletas Prophetias.

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, durante praeconio paschali, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXVII, n. 10; sed post praeconium crux eadem semper populum respiciat.

Ad VIII. Praeconium paschale eodem loco ac Evangelium in missa cani debet, et diaconus cum reliquis ministris lineam rectam efformet, omnesque ad librum faciem convertant, latera dextera altari obversa tenentes; facie crucifixi Celebrantem respiciente, prout in Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. XXVII, n. 10 ordinatur.

Ad IX. Altaris cerei ita sunt accendendi, ut incipiatur ab illo, qui cruci proximius reperitur in cornu Epistolae, postea servato ordine reliqui duo in eodem cornu existentes; ac deinde accenduntur reliqui cerei in cornu Evangelii extantes, incipiendo item ab eo, qui cruci propior est usque ad ultimum in eodem cornu oppositum. In extinguendis autem iisdem cereis ordo invertitur, atque incipitur in cornu Evangelii a cereo, qui a cruce remotior est ad illum qui propior; dein vero a parte Epistolae, eadem regula eodemque servato ordine.

Ad X. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XII. Negative ad primam partem, sed tantum caput inclinet; affirmative ad secundam.

Ad XIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXIII, n. 13, cap. XXV, n. 32, cap. XXVI, n. 16, et cap. XXXIII, n. 24; et supremus altaris gradus, in primo et quarto ex citatis Caeremonialis locis, primus in ascensione et ultimus in descensione intelligatur.

Ad XIV. Affirmative ad utrumque, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXV, n. 32, cap. XXVI, n. 16, et cap. XXXIII, n. 24.

Ad XV. Affirmative, dummodo qui id peragit prima saltem

tonsura sit initiatus iuxta decretum 23 Novembris 1906, vel alias privilegium Apostolicum obtinuerit vasa sacra tangendi; sed consulendum Celebranti, ut ipse calicis instructionem et alia secundum Rubricas exequatur.

Ad XVI. Negative, et acolythi superpelliceum gerant utpote officium suum exercituri erga crucem, quae in Processionibus delata locum altaris obtinet.

Ad XVII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII, tit. vi., cap. II, § 1, n. 11, 13.

Ad XVIII. Tono ad missam solemnem ordinariam consueto, iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII, tit. v, cap. II, § IV, n. 7-25.

Ad XIX. Affirmative si agatur de Praelatis tantum Provincialibus et Generalibus, qui celebrent in ecclesiis sibi respective subiectis et ab Ordinarii locorum iurisdictione exemptis; nisi tamen missa vel officium vel functio coram Sanctissimo exposito celebretur.

Atque ita rescripsit, et ab Eremitis Camaldulensibus Montis Coronae servari mandavit. Die 1 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Quando Regulares teneantur recolere Patronum praecipuum dioecesis, regni aut ditionis.

Rmus. P. Iosephus Lemius, procurator generalis Oblatorum B. M. V. Immaculatae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem enixe postulavit; nimirum:

I. Utrum Regulares et generatim Religiosi, utentes calendario approbato, teneantur festum Patroni praecipui dioecesis sub ritu duplici primae classis sine Octava celebrare, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius loci, an solummodo deficiente Patrono proprio loci?

II. Utrum iidem teneantur celebrare sub ritu duplici primae classis sine Octava festum Patroni praecipui regni aut ditionis, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius provinciae, an dumtaxat deficiente Patrono proprio provinciae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, nisi celebretur vel cele-

bratum fuerit cum feriatione, iuxta decretum *Ordinis Fratrum Minorum provinciae Apuliae* 16 Februarii 1906 ad IV. *Affirmative* ad secundam iuxta decreta n. 3754 *Declarationis indulti pro solemnitate festorum transferenda* 2 Decembris 1891 ad I; n. 3863 *Celebrationis festorum Patroni loci, dedicationis ac tituli ecclesiae* 9 Iulii 1895 ad I.

Ad. II. *Affirmative* ad primam partem, si liquido constet de concessione Apostolica; *negative* ad secundam, iuxta decreta n. 3925 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci*, 10 Iulii 1895 ad I., et n. 3959 *Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci* 23 Iulii 1897 ad I, atque aliud supra relatum 16 Februarii 1906 ad III.

Atque ita rescipit. Die 16 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

E SACRA POENITENTIARIA.

An Consiliarii et Maior civitatis incurrant excommunicationem acquirendo bona ecclesiastica in Gailla a Gubernio confiscata.

Beatissime Pater,

Episcopus Atrebatensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, sequentium dubiorum solutionem enixe postulat:

I. Utrum civitatis Consiliarii eorumque Maior, qui bonum quoddam certo religiosum, non in proprios sed in communes urbis usus, acquisiverunt, certo subiaceant excommunicationi latae a Concilio Tridentino (Sess. XXII, cap. XI, *de Reformatione*) et confirmatae a Constitutione *Apostolicae Sedis* (IV. Alin. *Praeter hos...*)?

II. Quatenus affirmative, utrum iidem Consiliarii eorumque Maior, in foro externo, tamquam excommunicati habendi sint ante declaratoriam Ordinarii sententiam?

III. Quatenus negative ad II, utrum, ante omnem declaratoriam Ordinarii sententiam iidem Consiliarii eorumque Maior, publico suo emptionis voto, et hoc unico voto publici saltem peccatores constituti sint, et tamquam publici peccatores, oportunitate data, tractandi, v. g. quoad ecclesiasticam sepulturam?

IV. Quomodo practice agendum, in sacro Tribunali, cum Maioro vel Consiliario, qui pertinaciter contendit se ullatenus nec voluisse nec potuisse Congregationi damnum inferre, siqui-

dem emerit civitas vel non emerit, bona fuissent dissipata, simul vero contendit se unice fuisse de civitatis necessitate aut utilitate sollicitum?

Et Deus.

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis praepositis dubiis respondet:

Ad primum: "*Negative.*"

Ad secundum: "*Provisum in primo.*"

Ad tertium: "*Negative.*"

Ad quartum: "*Confessarius de huiusmodi actu poenitentis iudicet, attenta quoque eiusdem conscientia. Moneat tamen eum in posterum, in similibus casibus, ipsum indigere facultate Sanctae Sedis, quam, si opus est, humiliter petat.*"

Datum Romae die tertia Ianuarii 1906.

V. LUCCHETTI, *S. Poenitentiariae Sigillator.*

F. CHERUBINI, *Substitutus.*

Explanatio circa praecedens responsum.

Beatissime Pater,

Die nono Decembris anni 1905, hae rogandi formulae ab Episcopo Atrebatensi propositae sunt:

I. Utrum civitatis Consilarii eorumque Maior, qui bonum quoddam certo religiosum, non in proprios sed in communes urbis usus, acquisiverunt, certo subiaceant excommunicationi latae a Concilio Tridentino (Sess. XXII. cap. XI, *de Reformatione*) et confirmatae a Constitutione *Apostolicae Sedis* (IV. Alin. *Praeter hos...*)?

II. Quatenus affirmative, utrum iidem Consilarii eorumque Maior, in foro externo, tamquam excommunicati habendi sint ante declaratoriam Ordinarii sententiam?

III. Quatenus negative ad II, utrum, ante omnem declaratoriam Ordinarii sententiam, iidem Consilarii eorumque Maior, publico suo emptionis voto, et hoc unico voto, publici saltem peccatores constituti sint, et tamquam publici peccatores, opportunitate data, tractandi, v. g. quoad ecclesiasticam sepulchram?

IV. Quomodo practice agendum, in sacro Tribunali, cum Maior vel Consiliario, qui pertinaciter contendit se ullatenus nec voluisse nec potuisse Congregationi damnum inferre, siquidem emerit civitas vel non emerit, bona fuissent dissipata, simul vero contendit se unice fuisse de civitatis necessitate aut utilitate sollicitum?

Et Deus...

Sacro vero Poenitentiaria, die 3 Ianuarii anni 1906, mature consideratis praepositis dubiis:

Ad primum respondit : *Negative.*

Ad secundum : *Provisum in primo.*

Ad tertium : *Negative.*

Ad quartum : *Confessarius de huiusmodi actu poenitentis iudicet, attenta quoque eiusdem conscientia. Moneat tamen eum, in posterum, in similibus casibus, ipsum indigere facultate Sanctae Sedis quam, si opus est, humiliter petat.*

Datum Romae...

Verum, cum propter propagatam in Galliis de Tridentinae excommunicationis extensione interpretationem, pluribus detineatur difficultatibus, Ferdinandus Lejeune, Vicarius Generalis Rmi. Dni. Episcopi Atrebatensis, eiusdem Episcopi iussu, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, in suam et multorum pariter utilitatem sequentium dubiorum solutionem enixe postulat :

I. An Rescriptum diei 3 Ianuarii 1906 (Resp. ad dubium I) ita sit intelligendum ut excommunicatio non incurratur, in casu quando :

1) Votum a civitatis Consiliariis eorumque Maiore emissum obligavit Maiorem ipsum ad emendum ;

2) Bonum a Maiore sic acquisitum in proprios urbis usus est monasterium, a religiosa communitate legitime possessum et ab eadem prorsus invita derelictum ; a civili potestate usurpatum et a spoliatore seu sic dicto " liquidatore " pretio venditatum, vi nefandarum legum contra religiosas Congregationes in Galliis latarum ;

3) Sorores iniuste spoliatae atque in miseriam fere adductae totis viribus renituntur ;

4) Bona fides difficillime admitti potest ; propter denuntiata per ephemerides omniumque timoratae conscientiae virorum monita, excommunicationem ?

II. Rursum quatenus negative ad I, scilicet quatenus intelligendum sit excommunicationem in casu incurrere, utrum iidem Consilarii eorumque Maior, in foro externo, tamquam excommunicati habendi non sint ante declaratoriam Ordinarii sententiam, etiamsi publice constet de delicto ?

III. Utrum rescriptum (Resp. ad dubium III) ita sit intelligendum, ut dicti Consilarii eorumque Maior non habendi sint publici peccatores, quando :

1) Publico suo emptionis voto et publica ipsa emptione maximum toti civitati scandalum intulerunt ;

2) Emptionem ea mente pacti sunt, ut in monasterio iam spoliato puellarum scholam instituerent neutram seu potius acatholicam ;

3) Efficaciter ita prohibuerunt catholicos virus quin monasterium idem, obtenta iam tum sanctae Sedis tum Episcopi, tum

Monialium ipsarum licentia, acquirerent ad catholicam in eo puellarum scholam restituendam?

IV. Si, postquam civitas bonum certo religiosum in publicos usus emit, istud idem sive totum sive per partes vendibile proponit, utrum novi emptores, qui iam in proprios usus id acquirunt, excommunicationi supra dictae subiaceant?

Et Deus...

Sacra Poenitentiaria super noviter deductis respondet:

"Quod spectat ad excommunicationem Tridentinam; in decisis, excepto casu recens proposito, de iis qui bona ecclesiastica usurpata emunt et in proprios usus convertunt, ut iam declaravit Congregatio Sancti Officii."

"Quoad casum vero tertium, sub num. III propositum, videat Ordinarius an locus sit censurae contra faventes haereticis."

"Caeterum non impeditur Ordinarius quominus in casibus propositis utatur iure suo et, si id expedire iudicaverit, excommunicationem decernat in delinquentes futuros vel latae vel ferendae sententiae."

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 8 Martii 1906.

V. LUCCHETTI, S. P. Sigillator.

Conciliarii et Maior civitatis, qui bona cuiusdam Congregationis religiosae spoliatae emerunt in publicos usus, non tenentur personaliter ad restituendum.

Beatissime Pater,

Episcopus Atrebatensis, ut numeri suo tutius satisfaciat certamque sequatur gravissimis in casibus normam, sequentium dubiorum solutionem enixe postulat:

I. Cum civitatis alicuius Consiliarii, publicis suis votis, spoliatae cuiusdam Congregationis religiosae conventum et bona in publicos usus emenda decreverunt, cumque illorum Maior actu authentico emptionem postea pactus est, utrum iidem Consiliarii eorumque Maior, ob illatam praedictae Congregationi iniuriam, ad restituendum *personaliter* teneantur?

II. Quatenus affirmative, quid, quantum, quomodo restituendum?

III. Rursum quatenus affirmative, utrum unusquisque Consiliariorum *singillatim* ad totius damni reparationem teneatur, salvo tamen suo contra complices recursu?

IV. Et si nulla iam subsistat praedicta Congregatio spoliata, sive ob extinctionem, sive quamcumque ob causam, utrum persistat restitutionis obligatio? Ac quatenus affirmative, cui et qua mensura restituendum erit?

Et Deus...

Sacra Poenitentiaria circa praemissa respondit :

Ad I : "*Attentis omnibus, quae ad rem spectant, non constare de obligatione restitutionis.*"

Ad II, III et IV : "*Provisum in primo.*"

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 9 Maii 1906.

B. POMPILI, S. P. *Datarius.*

FRANC. PASCUCCI, S. P. *Substitutus.*



Qui bona ecclesiastica usurpata, et a civitate in publicos usus empti, ab eadem civitate in proprios usus acquirunt, tenentur ad restitutionem, vel compositionem.

Beatissime Pater,

Episcopus Atrebatensis, ob motas iam in sua dioecesi ac certo brevi movendas conscientiae difficultates, compleri postulat responsiones a S. Poenitentiaria datas diebus 3 Ianuarii, 8 Martii et 9 Maii huius anni : ideoque supplex implorat ut sequentia ac gravissima dubia solvere Sanctitas Vestra dignetur :

I. Quum civitas, quae bonum ecclesiasticum usurpatum in publicos usus emit, istud idem sive per totum, sive per partes, vendibile proponit, utrum novi emptores, qui iam in proprios usus id acquirunt, ad restitutionem teneantur, ob illatam Congregationi spoliatae iniuriam ?

II. Quatenus affirmative, quid, quantum, quomodo, restituendum ?

III. Et, si nulla iam subsistat praedicta Congregatio spoliata, sive ob dissolutionem, sive ob extinctionem, sive quamcumque ob causam, utrum persistat restitutionis obligatio ?—Et quatenus affirmative, cui et qua mensura sit restituendum ?

Et Deus...

S. Poenitentiaria circa praemissa respondit :

"*Teneri huiusmodi emptores, ratione rei acceptae, ad restitutionem Congregationi vel saltem Ecclesiae :*

"*Restitutionem vero fieri posse per compositionem, ad quam ab Ordinario admitti poterunt, iuxta facultates Eidem a Sacra Poenitentiaria ad triennium concessas in adnexo folio typis impresso.*"

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 7 Iunii 1906.

V. LUCCHETTI, S. P. *Sigillator.*

Utrum censuras canonicas incurrant qui venditioni bonorum religiosorum in Gallia dant operam.

Beatissime Pater,

Episcopus Suessionensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter postulat sequentium dubiorum solutionem:

I. Utrum excommunicationi subiaceat qui libere accepit munus alicuius communitatis religiosae, secundum novam gallicam legem expediendi, vulgo: "liquidateur"?

II. Utrum eandem excommunicationem incurrat scriba aliquis apud tribunal (vulgo *greffier du tribunal*), si ad id munus suscipiendum moraliter coactus fuerit, ne a sua publica functione deiiceretur?

III. Utrum unus et alter moriens, non receptis sacramentis Ecclesiae, sepultura ecclesiastica privari, saltem tamquam peccator publicus, debeat?

IV. Quod si, e contra, sacramenta Ecclesiae recipere valeat et velit, utrum restitutio aliqua ei sit iniungenda, cuinam restituere cogatur, et quantumolvere debeat, praesertim si fertilissimus fuit ei in dicto munere quaestus?

Et Deus...

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondet:

"Eos, qui sub numero primo et secundo (I, II) recensentur, excommunicationem non incurrere."

Ad tertium (III): "Decisionem in singulis casibus spectare ad Ordinarium."

Ad quartum (IV): "Quoad notarios, ipsos non teneri ad restitutionem. Quoad liquidatores, non satis constare de eorum obligatione."

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 17 Septembris 1906.

A. CARCANI, S. P. Regens.

F. CHERUBINI, S. P. Substitutus.

A QUESTION OF PAROCHIAL JURISDICTION.

Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 15 Septembris, 1906.

Per summaria precum :

In dioecesi Bergomensi duae adsunt conterminae paroeciae, quarum uni inest nomen *Almenno S. Bartolomeo*, et alteri nomen *Almenno SS. Salvatore* ; harumque fines torrens signat interfluens, nuncupatus Tornago.

Nonnulla praedia, pertinentia ad dotem parochialis beneficii SS. Salvatoris, iacent trans torrentem, in territorio scilicet S. Bartholomaei.

In his praediis vero est ecclesia, quae dicata est S. Thomae Apostolo quaeque vulgo dicitur '*San Tomè*,' et passim etiam vocatur: '*La rotonda di San Tomè*.' Haec ecclesia sive ob veteris basilicae formam, sive ob figuras affabre muro pictas, magni dicitur a peritis in arte, et censetur inter monumenta nationalia.

In praesens inter duos titulares harum paroeciarum quaestio est, cuinam ex ipsis iurisdictio super praefata capella sit tribuenda, scilicet an oratorium publicum S. Thomae sit sub dependentia praepositi parochi S. Bartholomaei, vel potius sub iurisdictione praepositi parochi SSmi. Salvatoris.

Enunciata praedia cum dicto oratorio antiquitus pertinebat ad quandam monialium comunitatem, qua vero extincta, transiit ad efformandam dotem beneficii SSmi. Salvatoris, cuius Praepositi autem annis 1709 et 1753 propriis sumptibus restauraverunt atque ornaverunt oratorium S. Thomae pluries ictu fulminis deformatum et vetustate fatiscens.

Praeterea expensae pro eiusdem oratorii manutentione semper erogatae fuerunt a Praepositis SSmi. Salvatoris qui insuper claves retinuerunt.

Lites tamen inter duos parochos SS. Salvatoris nempe et S. Bartholomaei ab antiquis temporibus efferbuere circa usum et exercitium ss. functionum in dicto oratorio, quibus litibus vero etiam populus utriusque paroeciae partem sumere consuevit. Quare Curia dioecesana dispositione provisoria cavit, ut parochus S. Bartholomaei uteretur praefato oratorio pro explendis officiis parochialibus aliisque ss. functionibus pro rurculis circumstantibus, quoad usque quaestio a superiori auctoritate resoluta esset.

Hodiernus vero Episcopus in actis causae ad H. S. C. transmittendis haec refert :

Ad huic necessitati consulendum Episcopus praedecessor statuit, ut saltem quoadusque quaestio a superiori auctoritate dirimeretur, parochus S. Bartholomaei uti possit ecclesia S. Thomae, salvis iuribus quae in ipsa competere possint parocho SS. Salvatoris. Addit autem convenire partes contendentes ecclesiam S. Thomae pertinere ad beneficium paroeciale SS. Salvatoris ; certum esse oratorio S. Thomae pro circumstantibus incolis indigere parochum S. Bartholomaei, qui consequenter teneretur ad expensas solvendas pro cultu atque usu oratorii ipsius ; conveniens esse, quatenus ab usu oratorii damna exoriantur, ad ea reparanda concurrere teneri etiam Fabricam Almenni S. Bartholomaei, quod acceptant tum ipsa fabrica tum ipsa civilis Communitas Almenni S. Bartholomaei. Ergo, concludit Episcopus in suo voto, quaestio resolvenda est favore parochi S. Bartholomaei, salvo iure determinandi modum, quo in toto vel in parte minuatur ante civilem auctoritatem oeconomica praesertim responsabilitas parochi SS. Salvatoris.

Emi. Patres voto Episcopi et allegationibus utriusque parochi mature perpensis, quaestionem dimiserunt decernentes :

'Ad mentem iuxta votum Episcopi.'

ALLOCUTION.

Ecco l'allocuzione pronunciata dalla Santità di Nostro Signore nel Concistoro segreto di questa mattina.

Venerabiles Fratres,

Festivitas dominicae Passionis, quae nuper adfuit nobis inter exultationes spiritualium gaudiorum, iterato veluti documento nos monuit Ecclesiam Christi sponsam, in humanae regenerationis opere prosequendo et in colluctatione quam ideo habet adversus mundum tenebrarum harum, non ad solatia in hisce terris vocari, sed ad aerumnas atque labores. Audivimus scilicet ipsum Caput nostrum de se asserens: *Nonne haec oportuit pati Christum...?* (1). Quo autem praecessit gloria capitis, eo spes vacatur et corporis: quod utique non tantum de victoriae laetitia, verum etiam credendum est de labore certaminis.—Haec porro est, Venerabiles Fratres, quae Nos erigit fides atque inter aspera rerum sustentat; ut, fidentes non in nobis sed in Deo, parati simus, in apostolatus munere sancte integreque implendo, pressuras omnes ac tribulationes perpeti.—Neminem autem vestrum latet, inter multiplices quae abundant passiones Christi in Nobis, conditionibus, in primis, vehementer Nos angere, quibus Galliarum Ecclesia asperioribus utitur in dies; quae quidem eo magis Nos habent anxios quo intensiore gentem nobilissimam charitate complectimur. Vere enim dolores eius dolores esse Nostros testamur; sicut et gaudia illius gaudiis Nostris adnumeramus. Profecto, qui gentem illam nunc moderantur, non hoc contenti quod pacta et conventa iustissima suo Marte resciderint, quod Ecclesiae bona per vim eripuerint, quod veteres solidasque Gallorum glorias repudiarint; eo omnem operam intendunt, ut e popularium suorum animis religionem evellant penitus: id autem ut assequantur, extrema quaeque et urbanitati gallicae prorsus nova audent, iure quolibet tum privato tum publico iniuriosissime violato. Hinc porro egregios Galliarum Episcopos et clerum, inde vero Apostolicam ipsam Sedem calumniati, suspiciones animis inseruisse student mutamque fiduciam convellere, ut, si fieri queat, illorum ac Nostram, in Christi fide Ecclesiaeque iuribus vindicandis firmitudinem frangant.—Praeterea, cavillatione apertissima, gallicae instituta gentis inductamque rei publicae formam cum atheismo confundere nituntur cumque omnigena divinorum oppugnatione; eo scilicet spectantes ut quemlibet interventum Nostrum in religionis

(1) Luc. XXIV, 26.

apud suos negotiis, quem a Nobis officii sanctitas exigit iniustitiae convincant; simulque populis suadeant nos, dum Ecclesiae tuemur iura, popularis regiminis adversari formam, quam equidem et agnovimus semper semperque observavimus.

Deoutique grates suntu, quod *scrutati iniquitates* nunc etiam *defecerunt scrutantes scrutinio* (1). Enimvero ea Antistitum sacrorum fuit inter se concordia plane mirabilis, ea eorumdem et cleri ac fidelium cum Apostolica Sede coniunctio, ud ad illos pervincendos nihil astus ac fallaciae adversariorum valuerint.—Id autem, Venerabiles Fratres, Nobis est causa cur laetiora speremus, diesque salutis gallorum Ecclesiae atque genti tot malis afflictæ ad futuros. Nos equidem adamatæ gentis persequi bonum nullum plane tempus intermitteremus; quod adhuc fecimus, faciemus porro; charitatem invidiæ, erroribus veritatem, probis ac maledictis obiciemus veniam; desiderantes unice assiduoque gemitu exorantes ut qui tam obfirmate atque acriter utilitates suæ gentis laudesque veras proculcant, desinant tandem religioni sanctissimæ invidere: dataque Ecclesiae libertate, quotquot sunt, non modo catholicarum partium, verum etiam humanitatis quomodocumque atque honestatis amatores communi Nobiscum bono patriæque suæ prosperitati adlaborent.

Haec, Venerabiles Fratres, communicanda vobiscum voluimus, ut simul moeroris Nostri ac fiducia participes habeamus.—Iam ad amplissimum Collegium vestrum supplendum libet animum adiacere. Quam ob rem viros aliquot eximios creare Cardinales decrevimus; qui omnes in episcopalibus muneribus aut legationibus gerendis diligentia, integritate, rerum usu praestiterunt. Hi autem sunt:

Aristides Cavallari, Patriarcha Venetiarum.

Gregorius Maria Aguirre y Garcia, Archiepiscopus Burgensis.

Aristides Rinaldini, Archiepiscopus tit. Heracliensis, Nuntius Apostolicus in Hispania.

Benedictus Lorenzelli, Archiepiscopus Lucanus.

Petrus Maffi, Archiepiscopus Pisanus.

Alexander Lualdi, Archiepiscopus Panormitanus.

Desideratus Mercier, Archiepiscopus Mechliniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Aristidem Cavallari

Gregorium Mariam Aguirre y Garcia

Aristidem Rinaldini

(1) Ps. LXIII, 7.

Benedictum Lorenzelli

Petrum Maffi

Alexandrum Lualdi

Desideratum Mercier

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

ALLOCUTIO.

SSmi. D. N. Pii Pp. X habita die 17 Aprilis an. 1907 occasione impositionis pileoli neo Cardinalibus.

Accogliamo colla più viva compiacenza i sentimenti di devozione e di amore filiale verso di noi e di questa sede apostolica che ci avete significati in nome vostro e dei vostri diletteissimi confratelli per l'onore della porpora a cui foste chiamati. Ma se accettiamo i vostri ringraziamenti dobbiamo pur dire che le preclare virtù di cui siete adorni, le opere di zelo che avete compiute e gli altri segnalati servigi che in campi diversi avete resi alla Chiesa, vi rendevano pur degni di essere annoverati nell'albo del nostro sacro Senato. E ci allietava non solo la speranza, ma la certezza che anche rivestiti della nuova dignità consacrerete, sempre, come per il passato, l'ingegno e le forze per assistere il Romano Pontefice nel governo della Chiesa. Se sempri i Romani Pontifici hanno avuto bisogno anche di aiuti esteriori per compiere la loro missione, questo bisogno si fa sentire più vivamente adesso per le gravissime condizioni dei tempi in cui viviamo e pei continui assalti, ai quali è fatta segno la Chiesa per parte dei suoi nemici.

E qui non crediate, Venerabili Fratelli, che noi vogliamo alludere ai fatti, per quanto dolorosi, di Francia, perchè questi sono largamente compensati dalle più care consolazioni: dalla mirabile unione di quel venerando episcopato, dal generoso disinteresse del clero, e dalla pietosa fermezza dei cattolici disposti a qualunque sacrificio per la tutela della fede, e per la gloria della loro patria; si avvera un'altra volta che le persecuzioni non fanno che mettere in evidenza e additare all'ammirazione universale le virtù dei perseguitati, e, tutt'al più sono come i flutti del mare, che nella tempesta frangendosi negli scogli li purificano, se fosse necessario, dal fango che li avesse insozzati.

E voi lo sapete, Venerabili Fratelli, che per questo non temeva la Chiesa quando gli editti dei Cesari intimavano ai primi cristiani: o abbandonare il culto a Gesù Cristo, o morire; perchè il sangue dei martiri era semente di nuovi proseliti alla fede. Ma la guerra tormentosa, che le fa ripetere *ecce in pace amaritudo mea amarissima*, è quella che deriva dalla aberrazione delle menti per la quale si misconoscono le sue dottrine, e si ripete nel

mondo il grido di rivolta per cui furono cacciati i ribelli dal cielo.

E ribelli purtroppo son quelli, che professano e diffondono sotto forme subdole gli errori mostruosi sulla evoluzione del dogma ; sul ritorno al puro vangelo, vale a dire sfrondata, come essi dicono, dalle spiegazioni della teologia, dalle definizioni dei concili, dalle massime dell'ascetica, sulla emancipazione dalla Chiesa, però in modo nuovo senza ribellarsi per non essere tagliati fuori, ma nemmeno assoggettarsi per non mancare alle proprie convinzioni, e finalmente sull'adattamento ai tempi in tutto, nel parlare, nello scrivere e nel predicare una carità senza fede, tenera assai pei miscredenti, che apre a tutti, purtroppo, la via dell'eterna rovina.

Voi ben vedete, o Venerabili Fratelli, se noi, che dobbiamo diffondere con tutte le forze il deposito che ci venne affidato, non abbiamo ragione di essere in angustie di fronte a questo attacco che non è un'eresia, ma il compendio e il veleno di tutte l'eresie, che tende a scalzare fondamenti della fede ed annientare il cristianesimo. Sì, annientare il cristianesimo, perchè la sacra scrittura per questi eretici moderni non è più la fonte sicura di tutte le verità che appartengono alla fede, ma un libro comune ; l'ispirazione per loro si restringe alle dottrine dogmatiche, intese però a loro modo, e per poco non si differenzia dall'ispirazione poetica di Eschilo e di Omero. Legittima interprete della Bibbia è la Chiesa, però soggetta alle regole della così detta scienza critica, che s'impone alla teologia e la rende schiava. Per la tradizione finalmente tutto è relativo e soggetto a mutazioni, e quindi ridotta al niente l'autorità dei Santi Padri. E tutti questi, e mille altri errori li propalano in Opuscoli, in Riviste, in libri ascetici e per fino in romanzi, e li involgono in certi termini ambigui, in certe forme nebulose, onde avere sempre aperto uno scampo alla difesa per non incorrere in una aperta condanna e prendere però gli incauti ai loro lacci.

Noi pertanto contiamo assai anche sull'opera vostra, Venerabili Fratelli, perchè qualora conosciate, coi vescovi vostri suffraganei, nelle vostre regioni, di questi seminatori di zizzania, vi uniate a noi nel combatterli, c'informiate del pericolo a cui sono esposte le anime, denunciate i loro libri alle sacre Congregazioni romane, e frattanto usando delle facoltà, che da' sacri canoni vi sono concesse, solennemente li condanniate, persuasi dell'obbligo altissimo che avete assunto di aiutare il Papa nel governo della Chiesa, di combattere l'errore e di difendere la verità fino all'effusione del sangue.

Del resto confidiamo nel Signore, o dilette figli, che ci darà nel tempo opportuno gli aiuti necessari; e la Benedizione Apostolica, che avete invocata, discenda copiosa su voi, sul

clero e sul popolo delle vostre diocesi, sopra tutti i venerandi vescovi e gli eletti figli che decorarono con la loro presenza, questa solenne cerimonia, sui vostri e sui loro parenti, e sia fonte per tutti e per ciascuno delle grazie più elette e delle più soavi consolazioni.

SECRETARIATE OF BRIEFS.

Quo Corona Septem Gaudiorum B. M. Virginis pluribus indulgentiis ab omnibus fidelibus lucranda ditatur.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dilectus filius Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, immense cupiens ut erga Deiparam Immaculatam magis magisque fidelium cultus augeatur, retulit ad Nos inter multiplices cultus ac pietatis significationes in eandem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum obtinere laudabilem eam praxim, ut peculiari corona septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione, Partu, Adoratione Magorum, Inventionem Filii, huius Resurrectione et ipsius Divinae Matris in Coelum Assumptione in Deo salutari suo mirabiliter exultavit. Hinc factum esse, ut Decessores Nostri Romani Pontifices, non modo speciale Festum Septem Gaudiorum B. M. V. cum Officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint; verum etiam Fratribus et Sororibus Ordinum Seraphici Patris Francisci Assisiensis, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, indulgentiam plenariam, pluries vel eadem die lucranda, benigne concesserint. Verum idem dilectus filius Procurator Generalis Minorum Fratrum animo perpendens devotionem erga septem B. M. V. Gaudia nullo ad huc spirituali lucro cunctis fidelibus communi esse exornata; probe autem noscens eandem Gaudiorum Coronam publice in Ecclesiis ipsiusmet Ordinis cum aliorum fidelium interventu recitari, Nos enixis precibus flagitavit, ut huic Septem Gaudiorum Virginis Coronae, prout iam concessum fuit Coronae Septem Virginis eiusdem Dolorum, plenarias nonnullas ac partiales indulgentias vel ab omnibus fidelibus rite lucrandas adiungere de apostolica Nostra dignitate dignaremur. Nos autem quibus nihil antiquius est neque magis gratum, quam ut per universum orbem fidelium pietas erga Virginem Immaculatam latius propagetur et Divina Mater in Gaudio non minus, quam in Dolo admirabilis, pari a christiano populo recolatur obsequio, votis hisce piis ultro

libenterque annuendum existimavimus. Quae cum ita sint de Omnipotentis Dei misericordia ac B. B. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui publicae recitationi Coronae Septem Gaudiorum B. M. V. apud Ecclesias ubique terrarum existentes trium Ordinum Seraphici Patris habendae, adstiterint, easdem tribuimus indulgentias, quas Fratres et Sorores eiusdem Ordinis, quibuscumque sunt in recitatione sociati, promerentur. Insuper iisdem fidelibus admissorum confessione rite expiatis, et Angelorum pane refectis, qui Coronam eandem quotannis tum festis cuiusque e septem Gaudiis, cum potioribus B. M. V. festivitatibus, vel quovis die intra respectivi festi Octiduum ad cuiusque eorum lubitu eligendo pie recitent, quo ex iis die id agant, plenariam; et iis, qui singulis anni sabbatis Coronam eandem recitare consueverint, uno cuiusque mensis die, ad lubitum pariter eligendo, dummodo vere ut supra poenitentes et confessi ad S. Synaxim accedant, etiam plenariam, tandem iis qui memoratam coronam retineant, illamque frequenter in vitam percurrerint, in cuiuslibet eorum mortis articulo si vere poenitentes ac confessi ac S. Communionem refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo acceperint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea ipsis fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum degentibus, qui contrito saltem corde, aliis per annum B. M. V. festis diebus coronam eandem recitent, de numero poenaliu dierum in forma Ecclesiae solita, trecentos annos; et iis qui id agant diebus de praecepto festivis, ducentos annos; quoties vero coronam ipsam quocumque alio anni die persolverint, toties illis septuaginta annos totidemque quadragenas; iis tandem fidelibus, qui coronam memoratam septem Virginis Gaudiorum apud se fideliter retinentes, eamque frequenter recitantes, quodvis opus in die honorem, vel in spiritualem aut temporalem proximorum utilitatem item contrito corde exercuerint, sive in honorem septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint, de numero similiter poenaliu in forma Ecclesiae solita quoties id agant, decem annos expungimus. Porro largimur, ut excepta plenaria indulgentia in mortis articulo lucranda, fidelibus ipsis, si malint, liceat plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Verum praecipimus, ut in omnibus supradictis pietatis operibus rite exercendis coronae Gaudiorum Virginis a fidelibus adhibendae, sint a Ministro Generali pro tempore Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio sacerdote sive saeculari sive regulari, per ipsum

deputando, in forma Ecclesiae solita, servatis servandis benedictae. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Indulgentiarum Congregationis Secretariam, alioquin praesentes nullae sint; utique item praesentium Litterarum tramsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhibetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Septembris MCMV, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno. Card. MACCHI.

L. ✠ S.

NICOLAUS MARINI, *Substitutus*.

Praesentium litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorem fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 18 Septembris 1905.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

THE ROMAN VICARIATE.

Proscribitur in Urbe, sub culpa lethali, liber "Dogme et critique"
par Edouard Leroy.

PETRUS Tituli SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb.
Cardinalis RESPIGHI SSmi. D. N. Papae Vicarius Generalis,
Romanae Curiae eiusque Districtus Index Ordinarius etc.

Cum Nobis constet librum, qui inscribitur "*Dogme et Critique*
— par Edouard Leroy — Librairie Bloud et Cie. — Paris, 4, Rue
Madame," in hac Urbe venundari; cumque eius lectionem
Christifidelibus detrimento esse vehementer putemus; eum,
Auctoritate Nostra Ordinaria, proscribimus atque proscriptum
declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae
Iurisdictioni subiecto eundem librum vendere aut legere vel
retinere liceat sub culpa lethali.

Datum Romae, die 24 Maii 1907.

PETRUS RESPIGHI, *Card. Vic.*

FRANCISCUS FABER, *Secretarius*.

THE BIBLICAL COMMISSION.

De Auctore et Veritate Historica Quarti Evangelii.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontifica "de Re Biblica" sequenti modo respondit :

DUBIUM I.—Utrum ex constanti, universali ac solemni Ecclesiae traditione iam a saeculo II decurrente, prout maxime eruitur : (a) ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, imo etiam haereticorum, testimoniis et allusionibus, quae, cum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent ; (b) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrarum Librorum ; (c) ex eorumdem Librorum vetustissimis manuscriptis codicibus et in varia idiomata versionibus ; (d) ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente ; praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur Ioannem Apostolum et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirmant ?

Resp.—Affirmative.

DUBIUM II.—Utrum etiam rationes internae quae eruuntur ex textu quarti Evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I. Epistola Ioannis Apostoli manifesta cognatione, censendae sint confirmare traditionem quae eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit ?—Et utrum difficultates quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor scripsit solvi rationabiliter possint, prout SS. Patres et exegetae catholici passim praestiterunt ?

Resp.—Affirmative ad utramque partem.

DUBIUM III.—Utrum, non obstante praxi quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam ex documento proprie historico, considerata nihilominus indole peculiari eiusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas ?

Resp.—Negative.

Die autem 29 Maii ann. 1907, in Audientia ambobus R.mis. Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta Responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX, P.S.S.

LAURENTIUS JANSSENS, O.S.B.

Consultores ab Actis.

DECREES.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

ERECTIONIS IN COLLEGIATAM.

Deiparam Virginem ab Immaculata Conceptione Mexicanos maxima prosequi veneratione res est notissima. Siquidem non modo Eam sub titulo: *De Guadalupe* in coelestem Mexicanæ Reipublicæ universæ Praestitum solemniter elegerunt, sed et ipsi, vel sub eodem, vel aliis sub titulis, non pauca dedicavere templa. Inter hæc illud commemorare libet, quod non longe ab Urbe Tlascala, intra Archiepiscopalis Angelopolitana Ecclesiæ fines, Beatae Mariæ absque originali labe conceptæ sub titulo *De Ocotlan* sacrum existit, quodque vetustissimum ferunt, eodemque ferme tempore exstructum, quo catholica Religio in Mexicana Regione propagari coepit. Sacrae huic Aedi, quæ structura, ornatus magnificentia et splendore sacrarumque suppellectilium copia præstat, perampla adnexa est domus, in qua præter sacerdotes divinis in sacra ipsa Aede ministeriis obeundis ad dictos, adolescentesque quoque commorantur, qui Ecclesiæ servitio sese mancipare cupiunt, prætereaque Clerici qui, sacris expletis studiis, pastorem, uti aiunt, theologiam excolunt, ut sacris Ordinibus recipiendis sese præparent.

Cum Templum Deiparae *De Ocotlan* sacrum, piis fidelium largitionibus, qui ad ipsum ex dissitis quoque regionibus pientissimæ Matris opem imploraturi se conferunt, redditibus sat affluat; cumque in eo a Cappellanis Clericisque divinae laudes quotidie iam recitentur, sacrumque pro benefactoribus fiat, R. P. D. Iosephus Raymundus Ibarra, Metropolitanæ Ecclesiæ Angelorum Archiepiscopus, quo melius ac aptius servitio Templi eiusdem etiam in posterum consuleretur, litteris ad Apostolicam Sedem die xiv. Iulii hoc anno datis, pro eximia sua erga Immaculatam Dei Genitricem *De Ocotlan* pietate, SSmum. D. N. Pium PP X humiliter exoravit, ut Templum ipsum ad Collegiatae

Ecclesiae honorem et dignitatem Apostolica auctoritate evehere benigne dignaretur.

Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrae Congregationis Consistorialibus rebus expediendis praepositae substituti relationem, cunctis, quae considerata erant, matura deliberatione perpensis, quod bonum, faustum felixque sit, Dei Gloriam fideliumque pietati erga Deiparam Immaculatam sub titulo *De Ocotlan* fovendae benevertat, Angelopolitani Archiepiscopi vota benigne excipere dignata est et ea, quae sequuntur, statuere ac decernere.

I. Beatitudo itaque Sua in primis, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Ecclesiam honori B. Mariae Virginis ab Immaculato Conceptu sub titulo *De Ocotlan* non longe ab Urbe Tlascala, intra Archidioecesis Angelopolitanae fines, dicatam, Apostolica auctoritate ad Ecclesiae Collegiatae honorem et dignitatem, sub invocatione et titulo eiusdem Beatissimae Virginis Mariae absque originali labe conceptae *De Ocotlan* cum Capitulo, Stallo, Choro, Mensa, Capitulari, Sigillo aliisque signis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, concessionibus et gratiis, quibus ceterae Collegiatae Ecclesiae in Mexicana Republica existentes iure, usu et consuetudine fruuntur et gaudent, iis tamen exceptis privilegiis, quae ex indulto particulari aut oneroso titulo sint acquisita, evehit atque extollit, eidemque in dotem redditus omnes et bona constituit, quibus actu ipsa potitur, aliaque omnia, quae pia fidelium liberalitas in hunc finem in posterum conferet.

II. In eadem Ecclesia, ad Collegiatae dignitatem, ut supra, evecta, Sanctitas Sua unam constituit praebendam Abbatialem, quae prima et unica erit Capituli dignitas, ita ut qui eam obtineat, tam in Choro et Capitulo, tam in publicis supplicationibus aliisque Sacris functionibus praesit et praeeminentiam habeat, nullo tamen, praeter titulum, Abbatiali alio insigni aut privilegio gaudeat, nullaque fruatur iurisdictione; itemque undecim alias canonicales praebendas instituit atque erexit, eademque beneficia, servatis Apostolicis Constitutionibus, ac sartis tectisque Cancellariae legibus conferri mandavit.

III. Ecclesiae Collegiatae Abbati et undecim Canonicis tali modo constitutis Sanctitas Sua onus imposuit apud Collegiatam personaliter residendi, horas canonicas omnes tam diurnas quam nocturnas quotidie recitandi, itemque Missam Conventualem pro benefactoribus alternatim celebrandi; quibus vero festis diebus Missa haec erit solemniter celebranda, Exsecutor huius Decreti infra designandus statuet.

IV. Capitularium deinde congrua substantiatione et onerum implemento ipsis incumbentium eadem Sanctitas Sua prospicere cupiens, decrevit, ut ipsi singuli, singulis mensibus ex Ecclesiae

redditibus scutata quadraginta seu bis centum libellas percipiendi ius habeant. Caveat insuper Decreti huius Exsecutor, ut ex Ecclesiae redditibus, nisi aliter iam provisum fuerit, certa quaedam pars Ecclesiae ipsius Sacratio eiusque Fabricae tribuatur pro necessariis expensis et reparationibus.

V. Praeter choralia ministeria, Beatitudo Sua Abbati aliisque Canonicis munus pariter commisit ad disciplinas erudiendi Clericos utriusque Seminarii in domo Templo adnexa commorantes eademque Seminaria moderandi, statuta tamen pro hisce muneribus congrua retributione, a canonicalibus praebendis prorsus distincta, quamque Exsecutor decernet.

VI. Exsecutori pariter curae erit, ad normam Sacrorum Canonum, ea omnia decernere, quibus recto Collegialis Capituli ordine et Collegiatae Ecclesiae ministerio sit consultum; distributiones praesertim aut mulctae, secundum Sacrosancti Tridentinae Synodi decreta, statuendae per Ipsum erunt, quibus canonici ad munus suum diligenter obeundum alliciantur, eaeque e praebendarum redditibus desumentur.

VII. Collegiali vero Capitulo ita erecto Sanctitas sua facultatem quoque fecit Statuta et Decreta, sacris tamen Canonibus, sacrosancto Tridentino Concilio et Apostolicis Constitutionibus consona, quae eiusdem Collegiatae Ecclesiae regimen bonorumque administrationem respiciant, non minus ac onerum implementum et chori disciplinam, poenarumque praesertim per absentes vel negligentes contrahendarum impositionem, edendi atque condendi, eaque edita atque condita denuo corrigendi et declarandi, sub praesidentia tamen ac praevia Angelopolitani Archiepiscopi pro tempore adprobatione.

VIII. Ad divini vero cultus splendorem et Collegialis Capituli decorem augendum atque in obsequium erga Beatissimam Virginem Immaculatam, Beatitudo Sua Abbati et Canonicis benigne indulsit, ut in Sacris functionibus et publicis supplicationibus, intra limites tamen Angelopolitanae Archidioecesis, ipsi vestem talarem nigram oris et globulis caeruleis ornatam, zonam item caeruleam et penulam seu mozzettam sericam super rocchetto pariter caeruleam, nec non flocculum caeruleum in pileo et bireto licite ac valide gestare possint ac valeant, servatis tamen Apostolicis Constitutionibus ac praesertim ritualibus dispositionibus.

Ad praemissa demum exequenda Sanctitas Sua deputari voluit R. P. D. Raymundum Ibarra et Gonzales, Metropolitanae Ecclesiae Angelorum Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super qualibet oppositione in executionis actu quomodolibet oritura, et cum mandato transmittendi, intra sex menses ad Sacram hanc Congregationem

exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, et praesens hisce de rebus edi iussit consistoriale Decretum, perinde valiturum ac insuper iisdem Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub annulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die VIII Septembris Anno Dni. MCMVI.

Pro R. P. D. Secretario,

L. ✠ S.

IULIUS GRAZIOLI,
Sacrae Congr. Consistorialis et Secretariae
Sacri Collegii Substitutus.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

Tolerari potest cantus puellarum schismaticarum una cum catholicis in ecclesiasticis functionibus.

Beatissime Pater.

Vicarius Apostolicus Sophiae et Philippopolis in Bulgaria ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humillime exponit quae sequuntur: Sophiae Sorores quaedam religiosae Institutum puellarum (*Pensionat*) dirigant, in quo cum catholicis etiam schismaticae admittuntur. Mos invaluit ut in functionibus ecclesiasticis ac praesertim in expositione ac benedictione cum Sanctissimo, uti etiam ante et post illam, puellae schismaticae una cum catholicis in ecclesia parochiali canant. Unde petit orator an hic usus tolerari possit, habitis sub oculis sequentibus animadversionibus:

1. Agitur de loco in quo numerus catholicorum, relate ad schismaticos, est valde exiguus.

2. Nullum adest periculum scandali, namque idem usus servatur in fere omnibus Orientis regionibus.

3. Adest contra spes conversionis acatholicorum.

4. Durum esset sororibus, quae Institutum dirigunt, puellis schismaticis sponte ac lubenter in ecclesia cum catholicis cantantibus silentium imponere.

5. Denique eadem puellae schismaticae, utpote bona fide in schismate viventes, non videntur uti excommunicatae esse habendae.

Feria IV, die 24 Ianuarii 1906.

Emi. patres, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, respondendum mandarunt: Prout exponitur a Vicario Apostolico Sophiae et Philippopolis, tolerari posse.

In sequenti vero Feria eiusdem mensis et anni in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his Sanc-

tissimo D. N. Pio PP. X relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum adprobavit et confirmavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. Notarius.

CONGREGATION OF THE INDEX.

DECRETUM.

FERIA VI., DIE 12 APRILIS 1907.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorundemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiani republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 12 Aprilis 1907, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

Mgr LEOPOLD GOURSAT, *Les Mystères sataniques de Lourdes à travers les âges*. Paris 1905.

JUOZUPAS AMBRAZIEJUS, *Trumpas Rymo-Kataliku Katekizmas*. Vilnius 1906 (Catechismo in lingua lituana).

L'Abbe G.-J.-E. COMBE, *Le Secret de Mélanie, Bergère de la Salette, et la Crise actuelle*. Roma 1906.

JOSE DOMINGO M. CORBATÓ, *El inmaculado San Jose. Apuntes vindicativos de su concepción purísima, su honor de esposo, sus derechos de padre, su primacía restauradora*. Artículos publicados en *La Senal de la Victoria*. Valencia 1907. *Decr. S. Off. fer. IV, Febr. 1907*.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 12 Aprilis 1907.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus*.

L. ✕ S.

FR. THOMAS ESSER, Ord. Praed., *Secretarius*.

Die 15 Aprilis 1907 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENGALIA, *Mag. Curs.*

EPISTOLA.

Emi. Card. Praefecti ad Emum. Archiepiscopum Mediolanen. qua reprobatur Ephemeris vulgo "Il Rinnovamento."

Eminentissimo Principe,

Gli Emi. Padri di questa S. Congregazione dell'Indice nell'ultima loro adunanza si sono dovuti occupare d'una rivista recentemente pubblicata in cotesta città di Milano, sotto il titolo "Il Rinnovamento." Non essendo soliti, se non per motivi straordinari, di mettere all'Indice fascicoli staccati di riviste in corso di pubblicazione, gli Emi. Padri hanno voluto soprassedere a questo modo di condanna relativamente ai numeri finora pubblicati della suddetta rivista. Ma non possono astenersi dall'esprimere all'Eminenza V. Revma. il disgusto che hanno provato, vedendo pubblicata da sedicenti cattolici una rivista notabilmente opposta allo spirito e all'insegnamento cattolico. Deplorano segnatamente il turbamento che tali scrittori arrecano alle coscienze, e la superbia con la quale si atteggiavano a maestri e quasi a dottori della Chiesa. Ed è doloroso che, tra costoro che sembrano volersi arrogare un magistero nella Chiesa e fare scuola al Papa istesso, si trovino dei nomi già noti per altri scritti dettati dal medesimo spirito, come il Fogazzaro, il Tyrrell, il Von Hügel, il Murri ed altri. E mentre in questa rivista uomini siffatti parlano con tanta albagia delle questioni teologiche più difficili e degli affari più importanti della Chiesa, gli editori la vantano *laica, non confessionale* e vanno facendo distinzioni tra cattolicismo ufficiale, e non ufficiale, tra i dogmi definiti dalla Chiesa quali verità da credere, e l'immanenza della religione negl'individui. Insomma non si può dubitare che la rivista sia fondata con lo scopo di coltivare uno spirito pericolosissimo di indipendenza dal magistero della Chiesa e la prevalenza del giudizio privato su quello della Chiesa medesima, e di erigersi in iscuola che prepari un rinnovamento anticattolico degli spiriti.

Gli Emi. Padri condannano severamente questo spirito anticattolico, che si fa largo tra manifesti errori nella rivista in questione e desiderano che l'Eminenza V. Revma. faccia chiamare l'editore di detta rivista per ingiungergli di desistere da un'impresa tanto nefasta e indegna di un vero cattolico; e desiderano inoltre che l'Eminenza V., quanto prima potrà, si compiaccia portare alla pubblica conoscenza questo giudizio della S. Congregazione dell'Indice.

Mentre ho l'onore di partecipare la cosa all'Eminenza V. Rma., le bacio umilissimamente le mani, e godo di professarmi
dell'Eminenza V. Rma.

† Card. ANDREA STEINHUBER, *Prefetto.*
Fr. TOMMASO ESSER, O. P., *Segretario.*

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Die 27 Aprilis 1907, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infra-scripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda :

Benedictionis fontis baptismalis.

Pluries S. Congr. Rituum decrevit, quod ubi adest fons baptismalis, ipsius fontis benedictio fieri debet tum in Sabbato S., tum in vigilia Pentecostes, non obstante quacumque in contrarium consuetudine. Tamen, attentis peculiaribus circumstantiis, contrariae consuetudines tolerantur in casu.

Redintegrationis in officio.

Denegatur oratori redintegratio in officio, eo quod sit ad nutum Ordinarii revocabile.

Huius causae speciem disceptatae in plenariis comitiis H. S. C. diei 18 Novembris 1905 breviter reassumo.

Anno 1620 ecclesia paroecialis S. Eulaliae sita in regione suburbii civitatis Calaritanae nuncupata *Marina* vel *Leopola*, approbante Archiepiscopo cuius mensae erat paroecia incorporata aere collato a Syndicis dictae regionis pro septem beneficiis, erecta fuit in presbyterorum collegium, et appellata ecclesia receptitia vel communitativa. Serius beneficiatorum numero adaucto, inibi tres ordines statuti fuerunt, nempe beneficiati de *massa*, extra *massam* et simplices beneficiati. Inter beneficia de *massa* quinque recensebantur curata beneficia, quae eveniente an. 1867 lege italica eversiva proprietatis ecclesiasticae excepta fuerunt. Ad haec beneficia ius patronatum passivum habent sacerdotes oriundi ex dicta regione *Marina* vel *Leopola* : quo vero ad activum, duo ex dictis reservantur Archiepiscopo, ad alia tria nominat nunc municipium Calaritanum successum antiquis Syndicis regionis.

Haec paroecia, uti aliae duae S. Iacobi et S. Annae contemporanee in communitativum collegium conversae, uti ex titulo erectionis hispanice inscripto sub Archiepiscopo Desquevil "Fundacion de la comunidad de S. Eulalia, de S. Anna e Santiago" hoc speciale habent, ut paroecialis cura S. Eulaliae adnexa mensae Archiepiscopali habitualiter resideat apud Archiepiscopum, sicuti illa S. Iacobi adnexa reperitur decanatu capituli cathedralis, et illa S. Annae alteri praebendae canonicali eiusdem capituli.

An. 1770 in executionem Bullae Clementis XIV *Inter multiplices* circa ordinationem curae animarum existentis apud capitula

in Sardiniae insula, Archiepiscopus decrevit ut ex quinque beneficiatis curatis, qui prius per turnum parochiale ministerium exercebant, unus tantum esset verus parochus cum nomine vicarii curati, caeteri vero eius coadiutores et ab eo dependentes, qui tamen posteriori decreto de an. 1779 ut veri parochi effecti et habiti sunt.

Ex enatis discordiis deinde factum est, ut munus praesidis dicti Collegii de facto in vicario curato cumulari coeperit, et hoc non per capitulum sed a libera Archiepiscopi pro tempore voluntate conferretur. Verum quo tempore haec libera Archiepiscopi electio et collatio dicti muneris incoeperit, ex defectu documentorum in antiquitatis tenebris delitescit. Ex compulsatis actis capituli S. Eulaliae apparet unam tantum adesse nominationem factam ab eadem communitate nempe illam de an. 1621 coaevam erectioni ipsius ecclesiae in collegium.

Vacato an. 1900 officio praesidis per promotionem sacerdotis Sechi ad unum ex canonicatibus in ecclesia cathedrali Calaritana, huiusmodi munus die 11 Octobris eiusdem anni consecutus est ab Archiepiscopo sacerdos Paulus Manca. At vix anno elapso, quo ipse et beneficiatus et praeses erat renunciatus, sub finem anni 1902 ab eodem Archiepiscopo petiit et obtinuit, ut interim ingredi valeret in Societatem Iesu, pro inibi novitiatu religioso ineundo, dilata dimissione officii praesidis et paroeciae ad tempus, quo regulariter emenso novitiatu professionem religiosam emitteret. Recepto sacerdote Manca inter novitios Societatis Iesu, munus praesidentis de consensu Archiepiscopi concreditum fuit alteri beneficiato curato eiusdem ecclesiae S. Eulaliae, sacerdoti Pinna, quem idem Manca ut suum delegatum in dicto munere et mandatarium iam designaverat.

At vix quinque mensibus novitiatus peractis, sacerdos Manca egressus est et religiosam familiam Iesuitarum definitive reliquit ex causa, ut suppetias ferret suae unicae sorori supervento morbo correptae. In patriam reversus illico institit apud Archiepiscopum, ut restitueretur tum ad paroeciale munus tum ad praesidis officium. Archiepiscopus primum facile concessit, sed denegavit secundum, asserens se iam de eo, ut de officio ad eius nutum amovibili, libere disposuisse in favorem alterius personae, illudque contulisse beneficiato curato Pinna, quem idem Manca perfunctorie ut suum vices-gerentem iam constituerat.

Sacerdos Manca de hac agendi ratione graviter primum conquestus est apud eundem Archiepiscopum, et omnem lapidem movit ut illud recuperare valeret: sed Archiepiscopus semper refragatus fuit, obtendens naturam officii precariam et iustas rationes habuisse ad talem redintegrationem denegandam.

Tandem quaestio delata fuit ad H. S. C. et sub fine an. 1905

ventilati fuit sub sequenti rogandi formula: *An parochus Paulo Manca spectet redintegratio in officio praesidis ecclesiae S. Eulaliae in casu?* Plura hinc inde a partium procuratoribus deducta sunt tum circa naturam ecclesiae S. Eulaliae, utrum nempe sit vere collegiata vel tantum simplex collegium, tum etiam circa naturam officii utrum scilicet sit verum beneficium vel potius simplex officium ad nutum Archiepiscopi revocabile. At cum sacerdos Manca, cognita Archiepiscopi informatione etiam instaret ut super aliquibus sibi factis accusationibus, regularis instrueretur processus, H. S. C., prolata controversiae decisione ad tricas et scandala ex parte recurrentis vitandas, causam reponi iussit, seposita parte morali quaestionis, tantum super iuridicam naturam officii praesidentis, scilicet utrum sit purum officium, cuius collatio et avocatio a libera voluntate et nutu Archiepiscopi pendet, vel potius verum beneficium, cuius privato praeivum iudicium processum requirat. Super hoc partes rite monitae iam fuerunt.

Duo tamen adnotanda censeo: 1° quod sacerdoti Manca patuit Curiae archivium, sed huiusque nullum novum documentum ad rem faciens mihi fuit exhibitum. 2° Quod idem Manca typis vulgavit libellum iniuriis scatentem tum contra Archiepiscopum Balestra tum contra H. S. C. In hoc ipse plura etiam cumulat contra sacerdotem Pinna, et contendit se in munus Praesidis esse restituendum. Demum observo quod sacerdos Manca, uti refert Archiepiscopus, die 6 currentis mensis Aprilis in ecclesiam S. Eulaliae pergens conatus est tempore choralis officii parochi insignibus indutus praesidis stallum occupare. Contra hoc factum emissa protestatione a sacerdote Pinna, omnes alii parochi a choro recesserunt.

Quare prae oculis habitis sive quae in priori folio relata sunt, sive quae ab advocatis tunc deducta fuerunt in eorum allegationibus ex benignitate resumendis, rogantur EE. VV. ut sueta scientia et prudentia velint enodare sequens

DUBIUM

An parochus Paulo Manca spectet redintegratio in officio Praesidis S. Eulaliae in casu?

Responsum fuit: *Negative.*

Nonnullae reprobantur consuetudines circa officiaturam choralem.

Episcopus Segusiensis pro opportuna solutione sequentia dubia S. C. Concilii proposuit, scilicet:

I. Utrum tolerari possit consuetudo recitandi Officium chorale, nulla prorsus in altari candela accensa, nec non recitandi Vesperas, ianuis Ecclesiae clausis?

II. Utrum pariter sustineatur antiqua consuetudo omittendi, nonnullis anni feriis tertiam Missam a rubricis praescriptam?

Et S. Congregatio Concilii, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: *Ad utrumque negative, et servantur rubricae.*

Atque ita rescripsit, die 19 Ianuarii 1907. Ex Secretaria eiusdem S. C.

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

C. DE LAI, *Secretarius.*

Canonicus absens a sua residentia, ut ineat concursum sive litteraria exercitia, non lucratur distributiones.

Episcopus Guadixensis in relatione quam S. Concilii Congregationi exhibuit super statum suae dioecesis in cap. ix. sequens postulatam proposuit:

Canonicus doctoralis praefatae cathedralis ecclesiae, praevio consensu Episcopi, in dioeceses Hispalensem et Granatensem se contulit cuiusdam periculi seu concursus sustinendi causa. Cum ad suam rediit ecclesiam, declaravit se velle considerari uti praesentem in choro ad effectum distributiones lucrandi iis diebus quibus ob praedictam causam abfuit. Idque contendit sibi competere ex consuetudine, prout constare dixit ex pluribus actis capitularibus.

Refragantibus tamen aliis, Episcopus ne in re tam gravi disciplina ecclesiastica corrumperetur, transmissis documentis hinc inde allatis, sequentia proposuit dubia:

I. Utrum canonicus qui abest a sua residentia, ut ineat concursum sive litteraria exercitia in alia dioecesi ad canonicatum obtinendum, possit aut debeat haberi tamquam praesens in choro ad effectum lucrandi distributiones? Et pariter, quatenus negative ex iure communi:

II. Utrum saltem id sustineri possit ex consuetudine particulari, quae vigere asseritur in praefato capitulo? Et pariter, quatenus negative:

III. Quid statuendum in casu praesenti, in quo canonicus doctoralis abfuit bona fide, putans scilicet consuetudinem sibi favere, ac ideo se praesentem habendum esse in choro et lucrari distributiones?

Sacra porro Congregatio Concilii, die 3 Februarii 1906, omnibus rite perpensis, respondendum censuit:

Ad primum et secundum: "*Negative.*"

Ad tertium autem dubium: "*Orator recurrat pro gratia dispensationis.*"

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S. C. DE LAI, *Secretarius.*

Dispensationis ab Irregularitate.

Diaconus Antonius Damiani, qui a decimo suae aetatis anno morbo comitiali laborare coepit, supplicem obtulit libellum H. S. C. pro opportuna dispensatione ab eiusmodi defectu, testimonium medici allegans, testantis ipsum quam primum plenam recuperare posse sanitatem.

Cum autem, requisito Archiepiscopi voto, ex testimonio alterius medici constaret agi de vera et quidem cronica epilepsia, S. C. die 20 Februarii superioris anni, precibus oratoris respondit : *Dilata*. Sed cum iterum gratiam dispensationis expostulasset orator nova adducens testimonia circa meliorem assequutam valetudinem, altero obtento voto ordinarii plurimum oratorem commendantis ob eius excellentes animi dotes, quaestio denuo Emis. Patribus diiudicanda proposita fuit.

Communiter tenent doctores irregulares censendos esse qui morbo epileptico laborantur, cum ob eiusdem morbi naturam distent a securitate et reverentia requisita in sacro exercendo ministerio, et innumeri recensentur casus, in quibus H. S. C. gratiam dispensationis denegavit.

In casu tamen agitur, iuxta medicorum sententiam, de epilepsia levi, sanabili, et qua rarius afficitur orator, qui ab ultima morbi impetitione, nempe a mense Decembris 1905 ad praesens, nulli amplius accessui obnoxius extitit. Praeterea facile removi potest periculum indecentiae vel admirationis in populo, cum semper quaedam specialia iudicia praeveniant eiusmodi morbi aggressiones, ita ut patiens hisce in adiunctis facile sese abstinere possit a missae celebratione.

Revera aliis his concurrentibus circumstantiis H. S. C. gratiam denegare non autumavit, utpote non pauca exempla testantur.

Demum agitur de clerico qui maxime ab ordinario, a seminarii rectore, a paracho commendatur ob praeclaras dotes animi, et periculum admirationis in casu facile praecaveri potest, si gratiae concessioni conditio apponatur, ut ipse celebret in privato oratorio, quo privilegio oratoris familia iam fruitur, saltem quoadusque totaliter morbus recesserit.

Et Emi. Patres revera allatis sedulo perpensis, preces dimiserunt, respondentes.

"Arbitrio et prudentiae Emi. Archiepiscopi iuxta mentem, facto verbo cum SSmo. Mens autem est, ut orator celebret in oratorio privato cum adsistentia alterius sacerdotis, usque dum iudicio medici non constet de plene recuperata valetudine, et sub lege, ut perseveret in valetudine ipsa assidue curanda."

Nullitatis Matrimonii.

Parisiis Paulus Froussard et Isabella Regnard anno 1902 matrimonium inierunt, cuius postea, propter Tridentinae formae defectum quoad domicilium sponsorum, nullitatis sententiam anno 1905 a curia Parisiensi expostulavit vir, cum iam uxor sententiam divortii a tribunali civili obtinuerat.

Curia Parisiensis expleto processu die 19 Octobris nuper elapsi anni, dictum matrimonium ob defectum formae Tridentinae nullum declaravit, sed vinculi defensor a parisiensi sententia ad H. S. C. appellavit, quae causam diiudicavit in plenariis comitiis diei 23 Februarii elapsi, et rationibus tum patroni actoris tum defensoris vinculi diligenter matureque perpensis, ad dubium :

"An sententia curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu."

Respondit :

"Sententiam esse confirmandam."

De funeribus.

Parochi civitatis Astensis sequentia dubia S. C. Concilii pro solutione subiecerunt, nimirum.

I. An sustineatur decretum Episcopi Lobetti, et consuetudo, qua associatio ab ecclesia funerante ad publicum coemeterium fit non a parocho vel eius delegato, sed a coemeterii capellano vel ab alio sacerdote.

II. An sustineatur consuetudo, qua capellanus coemeterii peragit functiones funereas cadaverum, quae aliunde in civitatem Astensem deferuntur et deinde tumulantur in publico coemeterio.

Sacra vero Concilii Congregatio, omnibus sedulo perpensis, die 26 Ianuarii, 1907, respondendum mandavit :

Ad. I. *Negative, et servetur ius commune, ac parochi omnium suorum parochianorum etiam pauperum cadavera decenter comitentur ad coemeterium.*

Ad. II. *Detur resolutio in Novarien.-Funerum 27 Maii 1893 et 22 Iunii 1895 (1). Et ad mentem.*

Extensio decreti d. 7 Dec. 1906 circa infirmos qui SS. Communionem, etsi non ieiuni, sumere possunt.

Proposito in S. Congregatione dubio: An nomine infirmorum qui a mense decumbunt, et idcirco iuxta Decretum diei 7 Decembris 1906, S. Eucharistiam non ieiuni sumere possunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius comprehendantur quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihil-

ominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt.

Eadem S. Congregatio diei 6 Martii 1907 respondendum censuit : *Comprehendi, facto verbo cum SSmo. ad cautelam.*

Die vero 25 Martii currentis anni SSmus. Dnus. Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, resolutionem eiusdem S. C. ratum habere et confirmare benigne dignatus est et publicari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

VINCENTIUS, Card. Episc. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

C. DE LAI, *Secretarius.*

Litterae de satisfactione Missarum.

Recenti Decreto *Ut debita* diei XI. mensis Maii MCMIV. haec S. Congregatio, varias complexa leges ante iam latas de Missarum oneribus religiose adimplendis, adiunctis opportunis declarationibus interpositâque severa sanctione, providere studuit ut res omnium sanctissima summo apud omnes in honore esset, periculumque amoveretur, ne quis ullo modo piis fidelium voluntatibus quidquam detraheret. Hae tamen quum essent Sedis Apostolicae curae et Episcoporum sollicitudines, non defuerunt abusus ac legis violationes, super quae Sacra eadem Congregatio excitandam denuo censuit Antistitum vigilantiam.

Constat enimvero, haud paucos, non obstantibus notissimis canonicis praescriptionibus, minime dubitasse de Missarum accepta stipe suo Marte demere aliquid, retentâque sibi parte pecuniae, ipsas Missas aliis celebrandas committere, ea forte opinione ductos, id sibi licere vel ob assensum sacerdotis, animo plus minus aequo recipientis, vel ob finem alicuius pii operis iuvandi, exercendaeve caritatis.

Fuerunt etiam qui contra toties inculcatas leges, praesertim contra num. 3^m eiusdem Decreti, hoc genus industriae sibi adsciverunt, ut Missarum numerum, quem possent maximum, undique conquistum colligerent. Quo haud semel factum est, ut ingens earum copia manibus privatorum hominum fuerit coacervata; ideoque manserit obnoxia periculo, quod quidem, remotâ etiam humana malitia, semper imminet rebus privatae fidei commissis.

Denique sunt reperti qui, a lege discendentes expressa num. 5^o Decreti, Missas celebrandas commiserint, non modo copiosius quam liceret largiri privatis, sed etiam inconsideratius; quum ignotis sibi presbyteris easdem crediderint, nominis titulive alicuius specie decepti, vel aliorum commendationibus permoti,

qui, nec eos plane nossent, nec assumpti oneris gravitatem satis perspectam haberent.

Talibus ut occurratur disciplinae perturbationibus utque damna gravissima, quae violationem Decreti *Ut debita* consequi solent, pro viribus propulsentur, haec S. Congregatio, iussa faciens SSmi. D. N. Pii Papae X, Episcopus omnes aliosque Ordinarios admonet, ut curam omnem et vigilantiam adhibeant in re tanti momenti, edoceantque clerum et administratores piorum legatorum, quanta ex inobservantia et contemptu legis pericula proveniant; quo onere ipsorum conscientia gravetur; quam temere arbitrium suum legibus anteponan, quas diuturna rerum experientia ad rei augustissimae tutelam collocavit; qua denique sese culpa obstringant; quibus poenis obnoxii fiant.

At malo radicitus extirpando Emi. Patres necessarium insuper censuerunt hucusque praescriptis nova quaedam addere. Itaque re discussa primum in Congregatione diei 23 mensis Martii 1907, ac denuo in sequenti die 27 Aprilis, sub gravi conscientiae vinculo ab omnibus servanda haec statuerunt:

I. Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus extra dioecsim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente.

II. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque Missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

III. Denique si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt, mittere, semper et in singulis casibus id praestare debebunt per S. Congregationem Propagandae Fidei.

His autem omnibus ab infrascripto Secretario relatis eidem SSmo. D. N. in audientia diei 28 mensis Aprilis, Sanctitas Sua deliberationes Emorum. Patrum ratas habuit et confirmavit, easque vulgari iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae die 22 mensis Maii 1907.

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praen., *Praefectus*.
C. DE LAI, *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE PROPAGATION OF THE FAITH.

Facultas excipiendi confessiones in itinere conceditur missionariis Sinensibus ante iuramentum circa ritus Sinenses.

Pluries petitum est a Regularium Ordinum, Congregationum et Societatum moderatoribus, ut presbyteri suorum Institutorum alumni ad Sinenses missiones destinati, perdurante itinere, ne diu poenitentiae sacramento priventur, cum duo vel plures sunt, sacramentalem confessionem excipere tum invicem inter se, tum etiam aliorum secum iter agentium possint, quamvis iuramentum circa Sinensis ritus praescriptum nondum praestiterint. Eiusmodi autem preces cum infrascriptus Cardinalis Sacro eidem Consilio Praefectus SSmo. D. N. Pio divina providentia PP. X retulisset in audientia diei 20 Decembris anni 1906, Sanctitas Sua benigne decernere ac declarare dignata est; omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis atque etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros ad Sinenses missiones destinatos, qui duo vel numero plures consociati ad littora Sinensia appellant, durante toto itinere terrestri aut fluviali usque dum pervenerint ad missionem sibi respective adsignatam, dummodo ad sacramentales confessiones fuerint legitime approbati, Regulares scilicet a proprio saltem Superiore regulari, alii autem sacerdotes vel a proprio Ordinario ex cuius dioecesi discesserunt, vel ab Ordinario portus in quo navem conscenderunt, vel etiam ab Ordinario cuiuslibet portus intermediarii per quem in itinere transierunt, posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et Fratrum laicorum cum ipsis iter agentium et etiam Religiosarum Sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium vel sarcinas per iter ferentium vel alia quacunque ratione eorum itineris sociorum: non obstante Constitutione fel. rec. Benedicti PP. XIV incip. *Ex quo*, data die 5 Iulii anni 1742, quae vetat missionariis exercitium sacri ministerii ante emissum iuramentum circa ritus Sinenses, aliisque quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. Congr. de Propaganda Fide, die 4 Februarii 1907.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.
ALOISIUS VECCIA, *Secretarius*.

CONGREGATION OF BISHOPS AND REGULARS.

Provinces arranged for Ursuline Nuns.

Priorissa Generalis Monialium a S. Ursula cum Adsistentibus enixe orant ut iuxta Constitutiones Institutum in Provincias

dividatur ut sequitur: I. Provincia Italiae; II. Provincia Austro-Hungarica; III. Franciae Orientalis; IV. Franciae Occidentalis; V. Anglosaxonica et Flandrica; VI. Statuum Foeder. Septentrionalis; VII. Statuum Foeder. Meridionalis; VIII. Hispano-Lusitanica; Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SS. Dno. Nostro concessarum, S. C. Emorum, ac Rmorum. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Epp. et Regularium praeposita, enunciata Instituti divisionem in provincias, prout in supplici libello a Priorissa Generali una cum suo Consilio proposita est, approbat atque confirmat.

Romae, 23 Feb. 1907.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

Quo Constitutiones Parvularum Sororum Pauperum definitive approbantur.

Ssmus. Dnus. Noster Pius PP. X. in Audientia habita ab infra-scripto Cardinali Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium Praefecto die 5 Maii 1907 approbationem datam a f. m. Leone PP. XIII die 9 Iulii 1886 Constitutionibus Parvularum Sororum Pauperum, quibusdam immutatis propter felicem Instituti in toto orbe diffusionem, confirmare dignatus est, ac praesentis decreti tenore definitive, confirmat et approbat sicut in hoc volumine lingua gallica exarato iacent, quarum exemplar authenticum in Archivo eiusdem Sacrae Congregationis asservatur; salva Ordinarium iurisdictione ad normam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 6 Maii 1907.

Dominicus Card. FERRATA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius*.

CONGREGATION FOR EXTRAORDINARY ECCLESIASTICAL AFFAIRS.

Dispensantur gravibus de causis ab obligatione audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus fideles Vicariatus Apostolici de Tarapaca in Chilena Republica.

Ex audientia SSmi., die 20 Februarii 1906.

Ex parte R. P. D. Iohannis Carter, Episcopi tit. Anthedonen., hodierni Vicarii Apostolici de *Tarapacá* in Republica Chilena, expositum est Sanctae Sedi in territorio eiusdem Vicariatus,

variis gravibusque de causis, impossibilem esse praeceptivam celebrationem festi S. Iosephi Sponsi B. M. V., die 19 Martii recurrentis, atque ideo ad evitanda spiritualia damna animorumque anxietates submisit supplicatum est, ut praedictum festum expungatur de numero eorum quae de praecepto servari debent. Itaque, SSmus. Dominus Noster Pius divina providentia PP. X, referente me infrascripto Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, re mature perpensa, et attentis peculiaribus rerum adiunctis animum suum moventibus, preces excipiens, fideles in praedicto territorio degentes ab obligatione audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, pro ea die solvere dignatus est, firma tamen remanente lege Missae et Officii proprii iuxta Rubricas et onere parochorum applicandi pro populo. Ut vero fidelis populus eiusdem Vicariatus coeleste Sancti Confessoris patrocinium persentiat, praedictam diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem coelestis Patroni agere ne recuset, et in proxima sequenti Dominica non impedita, videlicet quae non sit Dominica Palmarum et Paschatis Resurrectionis, solemnia religiose peragere. Super quibus idem SSmus. Dominus mandavit hoc edi decretum et in acta superius memoratae S. Congregationis referri. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

L. ✠ S.

† P. PETRUS, Archiep. Caesarien, *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

Solvuntur dubia circa usum mitrae et palmatoriae concessum alicui Capitulo.

Hodiernus Rmus. Dnus. Episcopus Gaudisien., attento Motu Proprio *Inter multiplices* 21 Februarii 1905 cum subsequenti decreto seu declaratione 14 Martii 1906 Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione reverenter exposuit, nimirum :

Capitulum cathedralis ecclesiae Gaudisiensis ab Apostolica Sede diversis temporibus quaedam privilegia seu insignia obtinuit; nempe usum 1. habitus quo Praelati urbani utuntur excepto titulo, 2. mitrae simplicis capitulariter tantum, et 3. palmatoriae intra fines dioceseos. Exinde quaeritur :

I. Mitra simplex, capitulo et canonicis cathedralis ecclesiae Gaudisien. concessa, potestne esse ex serico damasceno uti Prototonariorum ad instar, vel potius debet esse ex tela alba?

II. Verbum *capitulariter* in Brevi concessionis idemne significat ac verbum *collegialiter* in Motu Proprio *Inter multiplices* n. 53?

III. Usus mitrae in Missa estne coarctandus ad eos dumtaxat dies quibus dignitas vel canonicus celebrat vice Episcopi absentis, aut quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum pluviali, et mitra vel potius ampliandus ad quoslibet dies solemnes?

IV. Constitutionis Pii VII. *Decet Romanos Pontifices* et decreti S. R. C., n. 2624, diei 27 Augusti 1822 estne huiusmodi sensus ut non liceat canonico uti mitra nisi in Missa?

V. Licetne canonico hebdomadario uti mitra in Vesperis, Laudibus, Processionibus et aliis quibuslibet functionibus saltem solemnioribus?

VI. Estne semper a mitra abstinendum tum canonicis dum Episcopo celebranti collegialiter adstant, tum canonico celebranti, Episcopo sive cum pluviali et mitra assistente, sive absente, in iis divinis Officiis in quibus Episcopo mitra simplex praescribitur?

VII. Licetne uti mitra 1. canonicis dum Episcopo pontificalia celebranti collegialiter assistunt in Missa de Requie, necnon Feria VI. in Parasceve et aliis diebus poenitentialibus? 2. quatuor dignitatibus seu canonicis in quinque absolutionibus quae fiunt in solemnioribus exequiis iuxta Pontificale Romanum? 3. canonico divina Officia celebranti Feria sexta in Parasceve, Episcopo sive adstante sive absente? 4. canonico celebranti Missam solemnem de Requie?

VIII. Cum mitrae diversae inserviant etiam ad distinguendas personas, quae iisdem utuntur, quaeritur num et quod discrimen esse debeat inter mitras Episcopi et canonicorum in functionibus, in quibus Episcopus mitra simplici utitur?

IX. Quum usus mitrae extra cathedralem capitulo expresse non sit, servandumne est in casu quod Motu Proprio praecipitur (n. 80) ut nemini ad aliquod ex canonicorum collegiis pertinenti suffragentur privilegia ultra propriae ecclesiae limites, ita ut non liceat capitulo mitra uti extra cathedralem?

X. Estne censendum capitulum ultra propriae ecclesiae limites suis privilegiis uti, si in alia dioecesis ecclesia Episcopo in solemnibus festis pontificalia celebranti collegialiter assistens aut invitatum mitram adhibet?

XI. Verba in Motu Proprio (n. 27) *a qua (palmatoria) abstinendum coram Ordinario* suntne intelligenda de qualibet Ordinarii praesentia vel tantum de casu quo Ordinarius ipse palmatoria utitur?

XII. Usus palmatoriae latiusne patet quam mitrae, ita ut in functionibus quibus mitra uti non liceat, palmatoria tamen adhiberi possit?

XIII. Licetne canonico celebranti seu hebdomadario in cathedrali, praesente capitulo, palmatoria uti 1. in Missa, Vesperis et

Laudibus diebus solemnioribus? 2. in Missa et Vesperis diebus Dominicis et festis? 3. in Missa solemniori de Requie? 4. in Processionibus aliisque quibuslibet functionibus? 5. in Missa lecta cum aliqua solemnitate, etiam absente capitulo?

XIV. Licetne canonico palmatoria uti, cum vocatus in alia ecclesia et capitulo absente, functiones quaslibet solemnes peragit aut Missam cum aliqua solemnitate legit?

XV. Licetne singulis canonicis privatam cum palmatoria celebrare Missam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito specialis Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque accurate perpensis, ita respondere censuit:

Ad I. Mitra debet esse linea ad tramitem tum Constitutionis Pii Papae VII. *Decet Romanos Pontifices* et decreti n. 2624, diei 27 Augusti 1822, n. 8 et 17, tum Motus Proprii *Inter multiplices* Pii Papae X., 21 Februarii 1905, n. 36 et 53.

Ad II. Affirmative. Hinc canonicis mitra tantum uti liceat dum simul pontificalibus functionibus sacris vestibus induti assistunt, neque canonicus celebrans mitra uti potest, etiam praesente capitulo, nisi id expresse significet indultum Apostolicum.

Ad III., IV. et V. Provisum in II.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Quoad 1. Negative. Quoad 2. Affirmative iuxta Rubricas Pontificalis Romani. Quoad 3 et 4. Negative.

Ad VIII. Provisum in VI. Permittitur solummodo eadem mitra simplex (linea) quatuor Dignitatibus ut in VII. ad 2.

Ad IX. Affirmative.

Ad X. Affirmative.

Ad XI. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad XII. Affirmative, si in concessione Apostolica continetur usus palmatoria.

Ad XIII., XIV. et XV. Provisum in XII.

Atque ita rescripsit, die 1 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., S.R.C. *Secretarius*.

Congr. a Missione conceditur indultum transferendi festa classica in primam diem sequentem a festo duplici I vel II classis liberam.

Ne festa sive Officia ritus duplicis primae vel secundae classis, in Calendario perpetuo ad usum Congregationis Missionis, diu nec levi incommodo transferri contingat, quoties in propria sede

impedita occurrant; Rmus. Dnus. Antonius Fiat, Superior Generalis eiusdem Congregationis a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. facultatem humillime flagitavit, qua eiusmodi Officia in primam diem respective insequentem amandare liceat, Officio duplici minori ad ritum simplicem redacto. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia, ad instar particularis Rubricae reformatae Breviarii Romani, quae habetur in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., Dominica prima Iulii; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 Martii 1907.

S. Card. CRETONI, S. R. C. *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Declaratur post Missam Conventualem etiam lectam, omittendum esse Psalmum De profundis uti et alias preces.

Reverendus Frater Petrus Sheehan, Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Hiberniae, de consensu tum Ministri Provincialis tum Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humillime exposuit; nimirum: In Hibernia mos est, ut in omnibus Missis, praeter solemnes, finito ultimo Evangelio Sacerdos cum Ministro psalmum "De profundis" recitet, antequam preces iussu Summi Pontificis praescriptas incipiat. Cum autem ex variis Sacrae Rituum Congregationis Decretis hae preces post Missam Conventualem omittendae sint, quaeritur, an etiam psalmus "De profundis" post Missam Conventualem sive cantatam sive lectam omitti debeat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque perpensis, proposito dubio respondendum censuit: "Omittatur in casu" (1). Atque ita rescripsit die 23 Martii 1907.

D. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Circa privilegia seu insignia Cappellanorum communium Cappellae Pontificiae.

Sacra Rituum Congregatio, inspecto Motu Proprio *Inter multiplices* 21 Februarii 1905 et subsequenti decreto seu declaratione 14 Martii 1906 una cum documentis exhibitis respicientibus privilegia seu insignia Cappellanorum communium Cappellae

Pontificiae, qui ab Alexandro Papa VII Motu Proprio diei 10 Iunii 1657 instituti sunt, auditoque specialis Commissionis Liturgicae suffragio, ita rescribendum censuit: Praedicti Cappellani communes, quâ tales, gaudeant impetratis, nempe collare et veste talari cum zona serica coloris violacei, habitu quem vocant pianum, et honorifico titulo *Monsignore*, prouti reapse fruuntur.

Atque ita rescripsit. Die 16 Martii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Directio cantus et modi recitandi intra chorum, spectat ad Canonicum Praecentorem, non vero ad Decanum.

Hodiernus Praecentor Ecclesiae Cathedralis Barcinonensis in Hispania, a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentis dubii humillime postulavit, nimirum:

Articulus 13 Ordinationum huius Ecclesiae et Chori sic se habet: "Presiderá el coro el señor Obispo: en ausencia de éste el Deán por ocupar la primera silla post Pontificalem y en su defecto el que se halle más preeminente; salvas siempre las facultades del Chantre (nempe Praecentoris) en lo relativo al canto y buen órden de las procesiones."

Nunc vero, quoad facultates has Praecentoris, sunt aliqui qui dicunt moderationem seu directionem cantus et modi recitandi in choro tam in Missa quam in Officio, non esse munus Praecentoris, sed Decani. Alii autem stricto sensu interpretantes praefatum articulum 13, propugnant directionem cantus esse munus Praecentoris non autem Decani. Quaeritur igitur:

An directio cantus et modi recitandi intra chorum, sit Praecentoris an Decani?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam informatione Emi. et Rmi. Dni. Cardinalis Episcopi Barcinonensis, auditoque Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum censuit: "Est Praecentoris." Atque ita rescripsit, die 3 Martii 1907.

S. Card. CRETONI, *S. R. C. Praefectus*.

L ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De Sororibus Tertiaris Regularibus quoad usum Kalendaril et Indulgentiarum participationem.

A Sacrorum Rituum Congregatione nuper expostulatum est:

I. An Sorores Tertiariae Ordinum Regularium Ordinariis locorum subiectae, quae in Communitate vivunt, vota simplicia

nuncupant et tantummodo Officium parvum B. M. V. recitant, teneantur in propria ecclesia, seu Oratorio, sequi Kalendarium respectivi Ordinis, relicto Kalendario dioecesano, quo annuente ac praecipiente loci Ordinario, a diurno tempore usque in praesens utuntur?—Et quatenus *Negative* :

II. An eadem Sorores praedictum Kalendarium dioecesanum adhibentes participant omnes indulgentias quae a Romanis Pontificibus directe concessae sunt tantum respectivis Ordinibus eorumque ecclesiis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, attentisque decretis Sacrarum Congregationum Rituum et Indulgentiarum ita respondendum censuit :

Ad I. *Negative*.

Ad II. *Affirmative*. Serventur autem Decreta praesertim S.R.C. n. 3682 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895, et S.C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum *De indulgentiis Tertiariorum* 28 Augusti 1903.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 10 Maii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Litterae S. C. Indulg. de Triduanis supplicationibus quotannis celebrandis in honorem augustissimi Eucharistiae Sacramenti.

Rme. Domine,

Decretum de quotidiana SS. mae Eucharistiae sumptione a S. Congr. Concilii, anno 1905 sub die 20 Decembris evulgatum quanto piorum fidelium plausu et quam ingenti amimi gaudio sit exceptum, apprime testantur epistolae quamplurimae, quae ad hanc Apostolicam Sedem undique sunt delatae, ex quibus eruitur in pluribus locis hanc piam et saluberrimam praxim quotidianae Communionis suscipiendae uberes fructus edere coepisse, et in posterum uberiores quoque in christiano populo fore edituram. Et merito: siquidem refrigerante hominum pietate, procul dubio remedium nullum aliud efficacius excogitari potest, quo elanguentia christianorum corda ad Deum redamandum vividius excitentur, quam frequens et quotidianus ad sacram Synaxim accessus, in qua Ille sumitur, qui fons est ardentissimae charitatis.

Quapropter Summus Pontifex, qui valde gavisus est de huiusmodi salutari fructu hucusque percepto, vehementer exoptans, ut ipse iugiter perseveret, imo maiora in dies incrementa suscipiat, mihi munus demandavit Amplitudinem tuam et totius Orbis

Catholici sacrorum Antistites hortandi, ut coeptis insistentes omnem impendant operam, quo Christifideles frequentius, imo quotidie, sacram Eucharistiam sumant; hoc enim divino Convivio supernaturalis eorumdem vita indesinenter alitur et efflorescit.

Ipse vero Beatissimus Pater ratus ad hunc optatum finem assequendum admodum conferre, si christiani populi assiduis precibus una simul effusis dulcissimam Deo vim inferant; in votis habet, ut quotannis, si fieri poterit, in singulis Cathedralibus Ecclesiis, infra Octavam solemnitatis Corporis Christi, vel si locorum et personarum adiuncta aliter expostulaverint, alio anni tempore a Rmis. Episcopis statuendo triduanæ Supplicationes celebrentur iuxta methodum heic subiectam.

I. Supplicationes semper peragantur feria VI., sabbato et die dominica vel immediate post solemnia Corporis Christi, vel alio tempore, uti supra relatum est. Hisce vero singulis diebus sermo habebitur, quo populus edoceatur de ineffabili Eucharistiae Sacramenti praestantia, et potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum.

Hoc expleto, publicae venerationi exponatur SSma. Eucharistia, eaque coram sequens recitabitur oratio:

“O dulcissime Iesu, qui in hunc mundum venisti, ut omnes animas vita ditares gratiae tuae, ad quam in illis servandam simulque fovendam in augustissimo Eucharistiae Sacramento salutare pharmacum earum infirmitatibus sanandis, et cibum divinum debilitati sustinendae temetipsum quotidie praebes, Te supplices deprecamur, ut super eas sanctum tuum spiritum benignus effundas, quo repletae, lethali labe si quae sint inquinatae, ad Te revertentes, vitam gratiae peccatis deperditam recuperent; quae vero, Te misericorditer largiente, iam Tibi adhaerent, quotidie, prout cuique dabitur, ad tuam caelestem Dapem devote accedant, qua roboratae, venialium culparum a se quotidie admissarum antidotum sibi comparare, vitamque gratiae tuae alere valeant, sicque magis magisque emundatae sempiternam in coelis beatitudinem consequantur. Amen.”

Dein vero, post cantum hymni “Tantum ergo” populo Benedictio SSmi. Sacramenti elargiatur.

II. Die vero Dominica, quae postrema erit earumdem supplicationum, mane, more sueto, missa parochialis celebrabitur, in qua habita a Parocho Homilia de Evangelio Dominicae infra octavam solemnitatis Corporis Christi, quod optime consonat mysterio Eucharistiae explanando, Christifideles coniunctim de altari sancta libabunt; sin autem alia eligatur Dominica extra praefatam octavam, loco Homiliae in Evangelium diei, concio fiat ad populum, qua ferventius ad Eucharistiam in ipsa Missa suscipiendam disponatur.

A meridie eadem sacrae functiones iterentur, quae anteactis diebus sunt peractae. In concione tamen Oratores ad ferventiorum erga sanctissimum Sacramentum pietatem hortentur fideles, speciatim vero ad frequentiorum coelestis Convivii participationem, iuxta probatam Catechismi romani doctrinam, uti innuit S. Congregationis Concilii memoratum Decretum sub num. VI. Tandem antequam hymnus "Tantum ergo" decantetur, hymnus Ambrosianus praemittatur.

Quo vero omnibus magis innotescat quam ardens sit desiderium Summi Pontificis frequentioris communionis promovendae, maximopere Ipse commendat, ut in curialibus etiam templis, prout quisque Episcopus pro sua prudentia et sagacitate diiudicabit, saltem locum habeat ea pia exercitatio, qua in Cathedralibus Ecclesiis celebranda superius et proposita die Dominica infra eandem solemnitatis Corporis Domini octavam, vel alio in anno Dominica.

Hisce autem piis exercitationibus ut alacrius intersint fideles, SSmus. Dominus Noster Indulgentias defunctis quoque applicabiles clementer elargitus est uti infra: nempe 1^o *septem annorum totidemque quadragenarum* quolibet Triduanarum precum die; 2^o *plenarium* semel in Triduo lucranda, die cuiuslibet arbitrio eligenda infra ipsum Triduum, si eidem qualibet die devote adfuerint, simulque sacramentali confessione expiati, s. Synaxim susceperint et ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; 3^o *Plenariam* die Dominica ab omnibus acquirendam, qui confessi ad sacras Epulas simul congregati accesserint in Cathedralibus Ecclesiis. vel etiam in Curialibus et uti supra preces effuderint.

Interim Amplitudini Tuae omnia felicia a Domino adprecor.

Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 10 Aprilis anno MDCCCCVII.

Amplitudinis Tuae, uti Frater

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indul. plen. toties quoties lucranda conceditur visitantibus Ecclesias Ord. S. Benedicti in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum; necnon visitantibus quamlibet ecclesiam, dummodo habitualiter gestent Numisma Iubilare S. Bened.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., et Bonifacius M. Krug, Abbas Ordinarius Montis Cassini, ad pedes S. V. provoluti, sequentia exponunt et postulant:

Summorum Romanorum Pontificum largitate nonnulli Religiosorum Ordines Indulgentia Plenaria, toties quoties a christifidelibus ipsorum Ecclesias statutis diebus visitantibus lucranda, aucti sunt.

Quare oratores a benignitate S. V. expostulare audent, ut etiam Ordini S. Patriarchae Benedicti, utpote inter Ordines occidentales antiquissimo et de Ecclesia civilique societate non parum merito, simile privilegium tribuere dignetur; ita quidem, ut huiusmodi Indulgentia Plenaria, animabus in Purgatorio detentis etiam applicabilis, a secundis Vesperis diei primae Novembris usque ad occasum solis diei sequentis, in qua Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum pie recolitur, quotannis a christifidelibus toties acquiri valeat, quoties ipsi visitaverint Ecclesias vel publica Oratoria Ordinis S. Benedicti nigri coloris, tam Monachorum, quam Sanctimonialium, si confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem S. V. preces effuderint.

Quae scilicet dies prae caeteris eligenda videtur:

1° Eo quod ex sedula opera S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis Ord. S. Benedicti, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum pro universa Ecclesia stabilienda initium duxerit;

2° Quia fideles die praefata frequentiores celebrare solent Ecclesias et inibi Sacramenta suscipere ad sublevandas animas piacularibus flammis addictas.

Insuper expostulant oratores Indultum, quo christifideles S. Numisma Iubilare S. Benedicti habitualiter gestantes, loco Indulgentiae de Portiuncula nuncupatae, quae ex authenticis documentis huic Numismati adnexa bona fide existimabatur, deinceps hanc alteram supramemorata die concessam acquirere valeant, visitantes quamcumque Ecclesiam vel publicum Sacellum, caeteraque pia opera, de quibus supra, praestantes, si valetudinis causa vel impedimento clausurae aut nimiae distantiae—scilicet unius saltem milliarii—Ecclesiam aut Oratorium Ordinis S. Benedicti adire nequiverint.

Et Deus, etc.

SSmus. Dnus. Nr. Pius PP. X, in Audientia habita die 27 Februarii 1907 ab infrascripto Card Praef. S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione,

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C. die 27 Februarii 1907.

A. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indul. 50 d. conceditur alumniis religiosarum familiarum quoties quamdam iaculat. precem recitant, cum intentione denuo religiosa vota nuncupandi.

Beatissime Pater,

Frater Maria Henricus Desqueyrous Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit, quod in diversis utriusque sexus communitatibus, ad saepius renovandam professionis religiosae memoriam, habitualis facta est illa ad sacratissimum Cor Iesu devota invocatio: *Cor Iesu, charitatis victima, fac me Tibi hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*

Instante exinde supplicat humilis orator, ut Sanctitas Vestra huic invocationi aliquam indulgentiam concedere dignetur, toties lucrandam, quoties recitabitur cum intentione religiosam professionem renovandi.

Et Deus, etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia habita die 27 Februarii 1907 ad infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Religiosarum familiarum alumniis et alumnabus, vota emittentibus, benigne concessit Indulgentiam quinquaginta dierum toties lucrandam, quoties ipsi vel ipsae, cum intentione denuo religiosa vota nuncupandi praefatam iaculatoriam precem corde saltem contrito ac devote recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Privileges of Third Order of St. Dominic (Secular).

SUMMARIUM INDULGENTIARUM, PRIVILEGIORUM AC INDULTORUM
SODALIBUS TERTII ORDINIS SAECULARIS S. P. DOMINICI CON-
CESSORUM.

I.—INDULGENTIAE PLENARIAE.

(a) Tertiariis ex utroque sexu confessis et S. Communionem refectis:

1. Die ingressus in Tertium Ordinem, quo eisdem habitus recipitur.

2. Die professionis.

3. Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint.

4. Semel in mense die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per quartam horae partem, vel per mediam horam orationi mentali vacaverint.

5. Quo die, canonice ordinati et confessi celebraverint primam Missam vel primae Missae alicuius sodalis astiterint confessi ac S. Communionem refecti.

(b) Iisdem Tertiariis si confessi et sacra Communionem refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus quibus absolutionem generalem seu benedictionem acceperint.

(1) Nativitatis D. N. I. C.; (2) Paschatis Resurrectionis; (3) Pentecostes; (4) SSmi. Corporis Christi; (5) Immaculae Conceptionis; (6) Annuntiationis; (7) Assumptionis; (8) SSmi. Rosarii; (9) S. P. Dominici; (10) S. Catharinae Senensis.

(c) Iisdem Tertiariis si confessi ac S. Communionem refecti ecclesiam Ordinis aut Sodalitii devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint diebus festis sequentibus.

(1) Nativitatis D. N. I. C.; (2) Circumcisionis; (3) Epiphaniae; (4) Paschatis; (5) Ascensionis; (6) Pentecostes; (7) SSmi. Corporis Christi; (8) SSmi. Cordis Iesu; (9) Purificationis B. M. V.; (10) Annuntiationis; (11) Visitationis; (12) Assumptionis; (13) Nativitatis; (14) SSmi. Rosarii; (15) Patrocinii B. M. V.; (16) Praesentationis; (17) Immaculae Conceptionis; (18) S. Raymundi de Pennafort C.; (19) Translationis S. Thomae Aquin.; (20) S. Catharinae de Riccis V.; (21) Translationis S. Catharinae Senensis; (22) S. Thomae Aquinatis Doct. C.; (23) S. Ioseph Sponsi B. M. V.; (24) S. Vincentii Ferreri C.; (25) S. Agnetis de Monte Politiano V.; (26) S. Petri Mart. O. P.; (27) S. Catharinae Senensis V.; (28) S. Pii V. Papae et C.; (29) S. Antonini C.; (30) Translationis S. P. Dominici; (31) S. Ioannis O. P.; et Sociorum MM. Gorgon; (32) S. Mariae Magd. Protect. O. P.; (33) S. P. Dominici; (34) S. Hyacinthi C.; (35) S. Rosae Limanae V.; (36) Commem. S. P. Dominici in Suriano; (37) S. P. Francisci Assis.; (38) S. Ludovici Bertrandi C.; (39) Omnium Sanctorum O. P.; (40) S. Catharinae Virg. Mart. Protect. O. P.; (41) Iis qui quatuor anniversariis vel officiis defunctorum in Ordine Praedicatorum praescriptis, uno scilicet pro animabus Fratrum, Sororum, ac Tertiariorum ipsius Ord. (die 10 Novembr.), altero pro animabus suorum consanguineorum et affinium (die 4 Febr.), tertio pro familiarum et benefactorum suorum animabus (die 5 Sept.), quarto pro sepultis in eorum ecclesiis et coemeteriis (die 12 Iul.), devote interfuerint ac confessi et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint atque uti supra oraverint.

(d) Iisdem Tertiariis morituris si uti supra dispositi vel saltem contriti SS. Iesu nomen ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

II.—INDULGENTIAE PARTIALES.

(a) *Septem annorum et totidem quadragenarum :*

1. Tertiariis qui saltem corde contrito diebus in praecedenti capite I. C. enumeratis ecclesiam Ordinis aut Sodalitii visitaverint ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint.

2. Qualibet vice per mediam horam orationis mentalis exercitio devote vacaverint.

(b) *Tercentorum dierum :*

Quoties aliquod pium opus pietatis vel caritatis, corde saltem contrito, exercuerint.

III.—INDULGENTIAE STATIONALES.

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii si ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta vel, ea deficiente, propriam ecclesiam Parochialem visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur quos lucrarentur si ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

IV.—INDULGENTIAE PRO RECITATIONE NONNULLARUM PRECUM.

1. Pro Responsorio : *O spem miram :*

Tertiarii quoties Responsorium : *O spem miram* in honorem S. Dominici recitaverint, indulgentiam quingentorum dierum semel quolibet die lucratur, et si per totum annum quotidie illud recitaverint, indulgentiam plenariam in festo : (a) S. P. Dominici (4 Aug.) ; (b) Translationis eiusdem S. P. (25 Maii), et (c) Commemorationis eiusdem in Suriano (15 Sept.).

2. Pro orationibus S. Catharinae Senensis vel ad ipsam :

Tertiariis indulgentiam centum dierum lucratur semel in die pro recitatione singularum ex his orationibus :

(a) Ad S. Catharinam Senensem *O virgo* cum versiculo et oratione.

(b) Pro Summo Pontifice ab ipsa S. Catharina dictata : *O Dio supremo ed ineffabile.*

(c) Pro Ecclesia pariter ab ipsa composita : *Ho ricorso a Voi.*

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in Purgatorio detentis.

V.—PRIVILEGIA.

1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare Missam celebraverint gaudent indulto personali altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2. Missae omnes quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatae.

VI.—INDULTA.

1. Tertiarii degentes in locis ubi nulla extat ecclesia Ordinis Praedicatorum vel Sodalitii lucrari valent eas omnes indulgentias quas dictam ecclesiam visitando lucrarentur, dummodo respectivam parochialem ecclesiam visitent, caeteris conditionibus adimpletis.

2. Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad mentem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitarent, caeteris tamen conditionibus adimpletis.

3. Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus sacellum visitando, caeteris adimpletis conditionibus.

4. Tertiarii recitantes Officium parvum B.M.V. secundum ritum FF. Praedicatorum easdem indulgentias lucrantur, quas lucrarentur si illud uti extat in Breviario Romano recitarent.

DECRETUM.

Quum, per decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902 undequaque abrogatis omnibus indulgentiis, quibus Tertiarii saecularis cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo Ordine respectivo perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit ut novum indulgentiarum indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent, Magister Generalis Praedicatorum, tali mandato obtemperans, novum praedictum indicem elaboravit, illumque huic S. Congregationi humillime subiecit, quae, adhibita etiam quorundam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit.

SSmus. vero Dominus N. Pius PP. X, in audientia diei 13 Iunii 1906, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex indulgentiis in supra proposito elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt benigne confirmavit, alias vero, loco earum quibus vi communicationis gaudebant clementer est elargitus; simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant indulgentiarum eisque potiantur privilegiis et indultis quae in praedicto elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit absque

ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secret. eiusdem S. C. die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✕ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentiae in favorem pii Operis a Maria Opifera.

Beatissimo Padre,

Il Sac. Michele Rua, rettore maggiore della Congregazione Salesiana, umilmente prostrato al bacio del sacro Piede, espone quanto segue :

Il glorioso Predecessore della S. V. Pio IX di s. m. con Breve del 9 Maggio 1876, elargì alla *Pia Opera di Maria Ausiliatrice*, istituita dal fondatore della predetta Congregazione, D. Giovanni Bosco, allo scopo di coltivare le vocazioni allo stato ecclesiastico, specialmente fra i giovani adulti, tutti i favori spirituali, che allora godevano i Terziarii di S. Francesco d'Assisi, sostituita la festa di S. Francesco di Sales a quella del Serafico, e le chiese della Congregazione Salesiana alle Minoritiche. Si è però dubitato, dopo le nuove concessioni fatte ai Terziarii Francescani, se ai Congregati della prefata Pia Opera sia rimasto o no il favore delle antiche. La Pia Unione dei Cooperatori Salesiani, che trovavasi in simile condizione, ottenne dalla S. V. nel 1904 speciali favori, abrogate le antiche concessioni.

Supplica pertanto l'oratore, che sia benignamente provveduto in simil guisa alla Pia Opera di Maria Ausiliatrice.

Che della grazia ecc....

Ex audientia SSmi. die 14 Novembris 1906.

SSmus. D. N. Pius PP. X, omnino abrogatis indulgentiis, privilegiis atque indultis a RR. PP. quomodocumque concessis in favorem Sodalium praefati pii Operis, sequentes spirituales gratias iisdem sodalibus benigne concessit, nempe: 1° omnes et singulas indulgentias, tam plenarias, quam partiales—non exceptis iis, quae visitationi Stationum Urbis adnexae sunt—Cooperatoribus Salesianae Sodalitatis, decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae d. d. 2 Octobris 1904 tributas; 2° omnia et singula indulta, quae in eodem decreto continentur; 3° ex privilegiis ibidem recensitis ea tantummodo, quae sub num. 1° et 2° veniunt; servatis tamen adamussim conditionibus, quae in pluries memorato decreto praescribuntur (1). Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 16 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Ind. 300 d. semel in die lucranda conceditur recitantibus singulas ex quatuor infrascriptis orandi formulis.

I. AD CHRISTUM DOMINUM.

Verbe incréé, Sagesse éternelle, Exempleire et Créateur des choses, Rédempteur des hommes, Vous qui accordâtes au B. Albert une vaste intelligence pour contempler dans leur ensemble tous les êtres, depuis Dieu, et ses perfections infinies, jusqu'aux constellations du ciel et aux moindres créatures terrestres avec leurs merveilleuses qualités, accordez-moi de comprendre aussi, selon les humbles proportions de mon esprit, le lien qui rattache entre elles les diverses sciences humaines et la mutuelle assistance qu'elles peuvent se prêter, pour servir ensemble l'unique Vérité. Alors je les entourerai toutes d'estime ainsi que ceux qui en cultivent les branches diverses, et j'appellerai de mes vœux l'heure bénie où tous les savants, de concert, s'étudieront à mettre leurs travaux persévérants, leurs connaissances acquises, leurs découvertes multiples au service de la Foi. Je vous demande cette grâce, ô Seigneur, pour votre gloire, pour l'honneur de votre sainte Eglise et pour le salut des âmes rachetées de votre précieux Sang.

Ainsi soit-il.

II. AD EUMDEM.

O Jésus, ami de l'enfance, Vous qui dès vos plus tendres années croissiez visiblement en sagesse et en grâce, devant Dieu et devant les hommes ; Vous qui, à l'âge de douze ans, assis dans le Temple au milieu des Docteurs, les écoutiez attentivement et faisiez leur admiration par la prudence et la sagesse de vos discours ; Vous qui accueilliez si volontiers les enfants, les bénissiez, et disiez à vos Disciples : *Laissez-les venir à moi, car à ceux qui leur ressemblent appartient le royaume des Cieux*, inspirez-moi, comme Vous inspirates au B. Pierre Canisius, modèle et guide du catéchiste parfait, un profond respect et une sainte affection pour l'enfance, un goût et un dévouement prononcés pour lui enseigner la doctrine chrétienne, une aptitude spéciale à lui en faire comprendre les mystères et aimer les beautés. Je Vous le demande, ô mon Jésus, par l'intercession de la Bienheureuse Vierge Marie.

Ainsi soit-il.

III. AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM SANCTISSIMI ROSARII REGINAM.

Vierge Marie, faites que la récitation de votre Rosaire soit pour moi chaque jour, au milieu de mes devoirs multiples, un lien d'unité dans les actes, un tribut de piété filiale, une douce récréation, un secours pour marcher joyeusement dans les sentiers du devoir. — Faites surtout, ô Vierge Marie, que l'étude de vos quinze mystères forme peu à peu dans mon âme une atmosphère lumineuse, pure, fortifiante, embaumée, qui pénètre mon intelligence, ma volonté, mon cœur, ma mémoire, mon imagination, tout mon être. Ainsi contracterai-je l'habitude de prier en travaillant, sans le secours des formules, par des regards intérieurs de l'admiration et de supplication, ou par les aspirations, d'amour. Je vous le demande, ô Reine du Saint Rosaire, par Dominique votre fils de prédilection, l'insigne prédicateur de vos mystères et le fidèle imitateur de vos vertus.

Ainsi soit-il.

IV. AD SANCTUM PATRIARCHAM JOSEPH.

Glorieux S. Joseph, modèle de tous ceux qui sont voués au travail, obtenez-moi la grâce de travailler en esprit de pénitence, pour l'expiation de mes nombreux péchés; de travailler en conscience, mettant le culte du devoir audessus de mes inclinations; de travailler avec reconnaissance et joie, regardant comme un honneur d'employer et de développer, par le travail, les dons reçus de Dieu; de travailler avec ordre, paix, modération et patience, sans jamais reculer devant la lassitude et les difficultés; de travailler surtout avec pureté d'intention et avec détachement de moi même, ayant sans cesse devant les yeux la mort et le compte que je devrai rendre du temps perdu, des talents inutilisés, du bien omis et des vaines complaisances dans le succès si funestes à l'œuvre de Dieu. Tout pour Jésus, tout par Marie, tout à votre imitation, o Patriarche Joseph! Telle sera ma devise à la vie et à la mort.

Ainsi soit-il.

Sanctissimus Dominus propria manu ista apposuit verba :

Fidelibus recitantibus hanc precem Indulgentiam 300 dierum semel in die lucranda concedimus.

Die 23 Novembris 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 15 Martii 1907.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Ind. 300 d. conceditur toties quoties recitantibus orationem

Veni S. Spiritus, reple...

Beatissime Pater,

Alexander Le Roy, Episcopus titularis Alindensis, Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto, necnon moderator generalis Archisodalitatis Spiritus Sancti, in Ecclesia Domus Primariae praefatae Congregationis Lutetiae Parisiorum canonice erecta, ad pedes S. V. provolutus, supplex postulat, quo magis augeatur devotio erga Spiritum Sanctum et frequentior fiat fidelium recursus ad Ipsum, ut Christifideles quoties per modum orationis iaculatoriae, quovis idiomate, recitaverint pervulgatam invocationem :

"Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende."

toties Indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, lucrari possint.

Et Deus...

SS. D. N. Pius Papa X in Audientia habita die 8 Maii 1907 ab infrascripto Card. Praef. S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Maii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

Pro R. P. D. DIOM. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

IOSEPHUS MARIA CAE. COSELLI, *Substitutus*.

L. ✠ S.

Actus heroicus revocari potest.

Ad hanc S. Congregationem Indulgentiarum transmissum est a S.C. Christiano Nomini propagando praeposita sequens dubium, cuius solutionem Rmus. Episcopus Chicoutimiensis postulavit, nempe :

An fidelis emittens *actum heroicum*, quod *votum* ordinarie vocatur, quo in suffragium defunctorum, divinae Maiestati offert omnes indulgentias, quas vivens lucrari potest, nec non omnia sua opera satisfactoria, et etiam suffragia sibimet post mortem conferenda, possit, quando ipsi libuerit, revocare ?

Et S.C. proposito dubio respondendum mandavit :

Affirmative.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 20 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

Pro R. P. D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretario*.

Iosephus M. Can. COSELLI, *Substitutus*.

URBIS ET ORBIS.

Commendatur et indulgentiis ditatur pia praxis Novendialium precum in honorem SS. Sacramenti festo Corporis Christi praemittenda.

Spiritualium omnium bonorum fons et caput est procul dubio Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, per quod Iesus Christus divitias sui erga homines amoris veluti effudit. Quare nihil tam excellentius et salutaris existimandum quam in christiano populo cultum huius Augustissimi Sacramenti promovere et amplificare, quo magis in eo uberiores eiusdem Sacramenti fructus proveniant; vividius nempe excitetur fides, spes firmius roboretur, et divinae caritatis ignis impensius foveatur, omnisque christianae virtutis splendor magis eluceat.

Quae omnia probe noscens Beatissimus Pater, ad augendum provehendumque amorem et obsequium erga S. Eucharistiam, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 8 Maii 1907 delatis precibus, quibus supplicatum est, ut Novendialium precum piam praxim in honorem huius Sacratissimi Mysterii ante Solemnia Corporis Christi praemittendam approbare et sacris etiam indulgentiis decorare dignaretur, libentissime annuens, supramemoratam piam praxim nedum auctoritate sua comprobavit sed et summopere commendavit. Insuper eadem Sanctitas Sua christifidelibus aliquo pietatis actu has novendiales preces sive privatim peragentibus sive ipsis publice in ecclesiis celebratis, iuxta normas ab Ordinariis praescribendas, devote adstantibus, has indulgentias, animabus igne Purgatorii detentis etiam profuturas, clementer est elargitus: 1^o. septem annorum totidemque quadragenarum singulis Novendialium precum diebus; 2^o. plenariam in uno quolibet eorum dierum, vel festo die Corporis Christi, vel quolibet ex octo insequentibus, modo rite confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Sanctitatis Suae Deo supplicaverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Maii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

**PONTIFICAL COMMISSION FOR STUDY OF
SCRIPTURE.**

**Ordini S. Benedicti committitur officium colligendi varias
lectiones, quae ad emendationem Vulgatae inservire poterunt.**

Reverendissimo P. Abate.

La Pontificia Commissione per gli Studii biblici, creata, pochi anni or sono, dal Sommo Pontifice Leone XIII di venerata memoria (1), ha per iscopo non solo di fornire all'insegnamento cattolico delle norme savie e sicure, che pur facendo ampio tesoro delle vere conquiste della scienza, non si discostino dalle tradizioni inespugnabili della Chiesa; ma ancora di dare un nuovo impulso agli studi biblici, più importanti forse, che non furono mai, nei tempi nostri così travagliati dal dubbio universale e dall'evoluzionismo razionalistico. Fra i più utili argomenti a proporre alla trattazione dei dotti è certamente uno studio accurato ed esauriente sulle varianti della Volgata latina. Già i Padri del Concilio di Trento, pur riconoscendo la Volgata quale edizione autentica per gli usi pubblici della Chiesa, non ne dissimularono le imperfezioni, onde espressero il voto che con ogni diligenza venisse sottomessa ad un esame minutissimo e ridotto a forma più definitivamente conforme ai testi originali. Questo compito affidarono essi alla sollecitudine della Sede Apostolica ed i Romani Pontifici, per quanto le condizioni dei loro tempi consentivano, non tardarono ad estendere alla emendazione della Volgata le loro sapienti cure, quantunque non fosse loro dato di giungere al perfetto coronamento della non facile impresa. Fintanto che giunga l'ora propizia per così importante revisione che ponga in grado di dare una edizione emendatissima della Volgata latina, è indispensabile un laborioso studio preliminare di preparazione mercè più diligente e compiuta raccolta delle varianti di essa Volgata che si trovano sia nei codici, sia negli scritti dei Padri; studio al quale varii dotti già si applicarono con intelligenza e zelo, tra i quali a buon diritto occupa un degno posto l'illustre ed infaticabile P. Vercellone Barnabita. Essendo però siffatto lavoro molto complesso, è sembrato opportuno che venisse ufficialmente affidato ad un Ordine religioso capace di disporre dei mezzi proporzionati alla difficile impresa. E' parso pertanto agli Eminentissimi Signori Cardinali della Pontificia Commissione per gli studi biblici, ottimo divisamento, che la Santità di Nostro Signore Papa Pio X si è degnata di approvare, che l'illustre e benemerito Ordine Benedettino, i cui pazienti e dotti lavori in ogni ramo di ecclesiastica erudizione costituiscono un vero monumento di glorie legittimamente raccolte nel corso di molti secoli, fosse

ufficialmente invitato ad incaricarsi di questo importantissimo e ponderoso studio.

Mi rivolgo quindi a Lei, Rmo. P. Abate Primate, che con tanto zelo presiede alla confederazione benedettina, di cui cotesto Monastero di S. Anselmo è degno centro, affinchè con quei sentimenti di devozione verso la Santa Sede, che le son proprii, si compaccia assumere in nome dell'Ordine stesso l'indicato còmpito e rallegrandomi con Esso Lei per l'alta fiducia riposta nell'inclita famiglia di S. Benedetto, spero che i figli di cotanto Padre corrispondano con alacre gioia e felice successo all'onorevole invito. Lieto di poter così dare anche da parte mia una pubblica testimonianza dell'amore singolare che io nutro per l'Ordine benedettino in genere, ed in ispeciale per S. Anselmo ed il suo degnissimo capo, con sensi della più distinta stima godo di riaffermarmi

Di Lei

affmo. servitore

M. Card. RAMPOLLA.

Roma, 30 Aprile 1907.

ROMAN DOCUMENTS

AND

DECREES.

Edited by Rev. D. DUNFORD.

VOL. II.

(JULY, 1907—JUNE, 1908.)

NEW YORK, CINCINNATI, CHICAGO
BENZIGER BROTHERS

PRINTERS TO THE HOLY APOSTOLIC SEE

1908

	PAGE
Blessing of Bishop given to Canon Theologian before Scripture Instruction	185
Books—	
Condemned. See "Index."	
Prohibited. See "Index."	
Breviary (Constitution on) Issued by P. Gregory XIII.	104
Briefs, Privileges granted to Archsodality for Watching the Blessed Sacrament at night	43
C.	
Calendar to be used in secular churches in Regular parishes ..	63
Canon Theologian receives Bishop's blessing before Scripture instruction. See "Blessing."	
Chairs (The use of) instead of Scamnum	191
China (Emperor of) Letter from the Pope to	116
Choir Service. Substitution for ..	164
Cistercians (Abbot General of) Letter from the Pope to	109
Clerics attending State Universities, Letter concerning	124
Communion and Confession. Conditions for Indulgence. See "Indulgence."	
Confession—	
And Communion. Conditions for Indulgence. See "Indulgence."	
Necessary for Indulgence. A Concession regarding	202
Within last five days of a Mission suffices for Pienary Indulgence. See "Indulgence."	
Consecration of an Altar. Concerning the validity of. See "Altar."	
Consistory of 16th Dec., 1907 ..	113
Constitution on Breviary issued by P. Gregory XIII. See "Breviary."	
Cor Jesu'. (Prayer) Indulgence for. See "Indulgence."	
Coronae Viæ Crucis—	
A New Concession Regarding Faculty for Blessing and Affixing Indulgences	199
Corpus Christi. Indulgence for Visiting Blessed Sacrament on. See "Indulgence."	
Crowns (Wooden) on the Altar ..	136
Crozier—	
Indulgences granted to Association of Priest Adorers	141
Indulgences granted to Priests of "Propagation of the Faith" ..	157
Custom (Immemorial) gives Parochial Jurisdiction	166

	PAGE		PAGE
D.		Incensation of the Blessed Sacrament when exposed all day. See "Blessed Sacrament."	
Distributions "Inter Praesentes" are Equivalent to Extraordinary Distributions	165	Indulgence—	
E.		(Crozier) granted to Association of Priest Adorers	141
Edict ordering scrutiny of writings of P. Pius IX. See "Pius IX."		(Cumulative) for the Rosary	67
Ejaculations indulgenced. See "Indulgence."		For prayer "Requiem aeternam"	145
Electric light—		For ejaculatory	195
Declaration concerning	98	For Scala Sancta	195
The use of in church	131	For Confession with Communion	196
Encyclical on Modernism. See "Modernism."		For prayer to Our Lady of Lourdes	198
Exorcism published by P. Leo XIII. . . .	102	"Toties quoties" for Visiting Churches of Congregation of Blessed Sacrament on Corps Christi	157
F.		For ejaculation (Holy Name)	200
Faculty (Benedictine) for transferring a Monk. See "Monk."		For two ejaculations	138
Fasting and abstinence. (Religious in Italy)	45	For prayer when putting on surplice	139
Feast of the Apparition of N. D. de Lourdes made universal. See "Our Lady."		For prayer for dying sinners	140
Feast of Seven Founders made universal. See "Seven Founders."		For offering Mass for dying sinners	140
Feast of St. Francis of Assisi may be transferred by Dominicans. See "Francis (St.)."		For ejaculatory prayer, "Cor Jesu," etc.	100
Francis (St.). Feast may be transferred by Dominicans	135	For various prayers	69
G.		For ejaculation "My Lord and my God"	66
Gasquet (Abbot), Letter from the Pope to	77	Granted for "Pia opera di Maria Ausiliatrice"	68
Gradual—		Granted to "Associatio sacerdotalis reparationalis"	143
Typical edition of	94	(Jubilee) granted to all visiting Lourdes crypt	112
(Vatican edition) Decree on	193	(Plenary) for the Confraternity of the Rosary	66
Gregory XIII., Constitution on Breviary. See "Breviary."		(Plenary) "toties quoties" extended to all Benedictine churches and public Oratories	75
H.		(Plenary) gained by Confession within last five days of a Mission (Plenary, Benedictine) not transferred with Feast of All Souls	188
Harbour, Blessing a new	63	(Plenary, Benedictine) extended to all semi-public Oratories	139
Holy Communion—		(Plenary) for special Act of Consecration to Our Lady, declared perpetual	141
At midnight Mass at Christmas	51	Rosary decades need not be said consecutively	65
In private Oratories	66	Irregularity, Dispensation from	56
During night adoration of the Blessed Sacrament	62	J.	
I.		Joseph's (St.) Missionary College, Mill Hill. Rules finally approved	203
Index—		Jurisdiction (Parochial). Admitted from Immemorial Custom. See "Custom."	
Books placed on the	159	L.	
"Il programma dei Modernisti" proscribed	89	Lamp (Sanctuary). Use of oil and wax for	99
"El immaculado San Jose" condemned	126	Lecot (Card.), appointed Legate for the Lourdes celebrations	111
The Review "Nova et Vetera" condemned	147	Lemmius (Fr.) Letter to, for Catechism on Modernism. See "Modernism."	
Two Modernist papers condemned	127		

	PAGE
Leo XIII. Exorcism published by. See "Exorcism."	
Letter—	
Appointing Ruthenian Bishop to the United States. See "Ruthenian."	
From the Pope to Abbot Gasquet. See "Gasquet."	
From the Pope to the Abbot General of the Cistercians. See "Cistercians."	
From the Pope appointing Card. Lecot Legate for the Lourdes celebrations. See "Lecot."	
From the Pope to the Bishop of Limerick. See "Limerick."	
From the Pope to the Archbishop of Quebec. See "Quebec."	
From the Pope to the Emperor of China. See "China."	
From the Pope approving new edition of the works of St. Alphonsus. See "Alphonsus (St.)."	
To the Italian Bishops concerning the preservation of Art Treasures. See "Art."	
To Fr. Lemmius for Catechism on Modernism. See "Modernism."	
"Libera me Domine" after a private Mass	194
Light (Eleotrio)—	
Declaration concerning. See "Eleotrio."	
In church. See "Eleotrio."	
Limerick (Bishop of), Letter from the Pope to	113
Loisy (Abbé) declared "excommuni- catus vitandus"	126
Lourdes celebrations. Card. Lecot appointed Legate. See "Lecot."	
Lourdes crypt. Jubilee Indulgence granted to all visiting. See "Indulgence."	
M.	
Marriage and Betrothals. Decree on. See "Betrothals."	
Marriage—	
Solutions to Questions on. See "Betrothals."	
Additional Solutions to Questions on. See "Betrothals."	
Martyrology. Additions to	191
Mass—	
(In Regular churches) at same time as parochial Mass	93
(Midnight) at Christmas	51
Stipendia for. See "Stipendia."	
Masses—	
Indulgence for offering for dying sinners. See "Indulgence."	
(Stipendia for) may be sent to Superiors in Eastern countries. See "Stipendia."	
Mission. Confession within last five days suffices for Plenary Indul- gence. See "Indulgence."	

	PAGE
Missionaries—	
Of Sacred Hearts of Jesus and Mary. Statutes granted to	137
(Precedence of) changing from one Vicariate to another. See "Pre- cedence."	
Modernism—	
Encyclical on	2
(Professors infected with) to be re- moved	91
(Catechism on). Letter to Fr. Lem- mius for	155
Modernist papers condemned. See "Index."	
Monk (Benedictine) may be trans- ferred	130

N.

"Ne temere." The Decree. See "Betrothals."	
"Ne temere." Some questions con- cerning the Decree. See "Betro- thals."	
"Nova et Vetera" (The Review) con- demned. See "Index."	

O.

Oocurrentia of secondary feast with primary lesser doubles	136
Oil for sanctuary lamp. See "Lamp."	
Oratories—	
(Priate) Holy Communion in. See "Holy Communion."	
(Public, Benedictine) Plenary In- dulgence for. See "Indulgence."	
(Semi-public Benedictine) Plenary Indulgence to all. See "Indul- gence."	
Oratory (Public). Proprietary rights regarding	190
Oriental Bishops, Allocution to the ..	120
Our Lady—	
Of Lourdes (Feast of the Apparition made universal).	96
Of Lourdes. Indulgence for Prayer to. See "Indulgence."	
Of the Sacred Heart. Concerning the scapular of. See "Scapular."	
(Special Act of Consecration) Ple- nary Indulgence declared per- petual. See "Indulgence."	

P.

Parish (The Vacating) by a Parish Priest	189
"Pascendi Dominioi Gregis." The Encyclical. See "Modernism."	
Pius IX., Edict ordering scrutiny of writings of	99
Poland. Agreement regarding the language in Seminaries	44
Precedence of Missionaries changing from one Vicariate to another ..	100

	PAGE		PAGE
Precedence in Transferring Feasts ..	194	Secular Churches in Regular Parishes.	
Priest Adorers (Association of), Crozier		The Calendar to be used in. See	
Indulgences granted to. See "Indul-		"Calendar."	
gence."		Seminaries—	
Privileges of Tertiary Sisters of Reg-		In Italy. Rules for	167
ular Orders. See "Tertiaries."		In Poland. Agreement regarding	
Processions, The presence of Regu-		language. See "Poland."	
lars in	93	Seven Founders (Feast of) made	
Professors infected with Modernism		universal	132
to be removed from Seminaries.		Sinners—	
See "Modernism."		(Dying). Indulgence for offering	
Propositions (Proscribed), Syllabus		Masses for. See "Indulgence."	
of. See "Syllabus."		Indulgence for prayer for. See	
Proscribed books. See "Index."		"Indulgence"	
		Statutes granted to Missionaries of	
		Sacred Hearts of Jesus and Mary.	
		See "Missionaries."	
		Stipendia—	
		For Masses	53
		May be sent to Religious Superiors	
		in Eastern Countries	127
		Substitution for Choir Service. See	
		"Choir."	
		Surplice. Indulgence for prayer	
		when putting on. See "Indul-	
		gence."	
		Syllabus of Proscribed Propositions	46
		T.	
		Tabernacle. A new form approved..	192
		"Tantum Ergo." The two verses not	
		to be separated	136
		Tax (Church), Letter concerning	
		French	123
		Tertiaries of Regulars. The Privi-	
		leges of	130
		Transfer of Feasts. The Order of	
		Precedence See "Precedence."	
		Triduum of Supplication to Blessed	
		Sacrament. Bishops may deter-	
		mine Time of	201
		U.	
		Universities of the State. Letter	
		concerning clerics attending. See	
		"Clericos."	
		W.	
		Wax for Sanctuary Lamp. See	
		"Lamp."	
		Women singing in Church	131

Q.

Quebec (Archbishop of), Letter from the Pope to	115
--	-----

R.

Regulars—	
As to Mass at same time as paro-	
chial Mass. See "Mass."	
As to their place in processions.	
See "Processions."	
Religious changing to a stricter life..	92
"Requiem aeternam, etc.," Indul-	
gence for. See "Indulgence."	
Right (Proprietary) as regards Public	
Oratories. See "Oratory."	
Rosary—	
Coufraternity, Plenary Indulgence	
for. See "Indulgence."	
Cumulative Indulgences for. See	
"Indulgence."	
Decades need not be said consecu-	
tively to gain indulgence. See	
"Indulgence."	
Ruthenian Bishop, Appointment of	79

S.

Sanatio for Invalid Receptions into	
Confraternity of Our Lady of Mt.	
Carmel	197
Scala Sancta. Indulgence for. See	
"Indulgence."	
Scamnum to be used instead of chairs.	
See "Chairs."	
Scapular of Our Lady of the Sacred	
Heart, Concerning the	146
Sea, Blessing the. See "Harbour"	

PAPAL LETTER.

EPISTOLA

**Qua Pius PP. X gratulatur Rectori et alumnis Collegii Urbani
Americae foederatae.**

DILECTO FILIO
THOMAE KENNEDY
PONTIFICIAE DOMUS ANTISTITI
RECTORI URBANI COLLEGII
PRO ALUMNIS FOEDERATARUM AMERICAE CIVITATUM.

PIUS PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum, haud ita pridem, te, una cum alumnis tuo regimini creditis, admissione Nostra donavimus, placuit testari coram amplissimis verbis qua existimatione quaque benevolentia Collegium vestrum prosequeremur. Et merito id quidem. Videmus enim, ex annuo in scholis periculo stataque praemiorum distributione, sic alumnos istos in disciplinarum sacrarum studia incubuisse strenue, ut tulisse primas laetarentur. Aliunde vero non ignorabamus diligentiae huic in sacris excolendis doctrinis parem esse et disciplinae servandae constantiam et exercendae pietatis ardorem. Libet igitur iterum per litteras gratulari tibi, qui egregie Rectoris munere fungis; gratulari simul alumnis omnibus, qui optime industriis tuis obsecundant. Crescat, hoc plane optamus et ominamur, crescat adolescentium numerus, qui ex Americae foederatis Civitatibus huc transmeent, catholicam sapientiam in ipso fidei centro apud Cathedram Beati Petri Apostolorum Principis hausturi. Equidem ex vestro Collegio, ut multa apud vestrates in Religionis utilitatem provenisse scimus, sic ampliora in posterum proventura confidimus. Hoc ut eveniat, tibi, dilecte fili, tuisque in Collegio moderando adiutoribus nec non alumnis singulis, Apostolicam benedictionem, caritatis Nostrae pignus et munerum divinorum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvii. Februarii mcmv., Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

ENCYCLICAL.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE X.

Litterae Encyclicae: De Modernistarum Doctrinis.

Pascendi dominici gregis mandatum Nobis divinitus officium id munus in primis a Christo assignatum habet, ut traditae sanctis fidei depositum vigilantissime custodiat, repudiatis profanis vocum novitatibus atque oppositionibus falsi nominis scientiae. Quae quidem supremi providentia pastoris nullo plane non tempore catholico agmini necessaria fuit; etenim, auctore humani generis hoste, numquam defuere *viri loquentes perversa* (Act. xx. 30), *vaniloqui et seductores* (Tit. i. 10), *errantes et in errorem mittentes* (II. Tim. iii. 13). Verumtamen inimicorum crucis Christi, postrema hac aetate, numerum crevisse admodum fatendum est; qui, artibus omnino novis astuque plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur. Quare silere Nobis diutius haud licet, ne muneri sanctissimo de esse videamur, et benignitas, qua, spe sanioris consilii, huc usque usi sumus, officii oblivio reputetur.

Qua in re ut moram ne interponamus illud in primis exigit, quod fautores errorum iam non inter apertos hostes quaerendi sunt modo; verum, quod dolendum maxime verendumque est, in ipso latent sinu gremioque Ecclesiae, eo sane nocentiores, quo minus perspicui.—Loquimur, Venerabiles Fratres, de multis e catholicorum laicorum numero, quin, quod longe miserabilius, ex ipso sacerdotum coetu, qui, fucoso quodam Ecclesiae amore, nullo solido philosophiae ac theologiae praesidio, immo adeo veneratis imbuti penitus doctrinis quae ab Ecclesiae osoribus traduntur, Ecclesiae eiusdem renovatores, omni posthabita modestia animi, se iactitant; factoque audacius agmine, quidquid sanctius est in Christi opere impetunt, ipsa haud incolumi divini Reparatoris persona, quam ausu sacrilego, ad purum putumque hominem extenuant.

Homines huiusmodi Ecclesiae Nos hostibus adscribere, etsi mirantur ipsi, nemo tamen mirabitu iure, qui, mente animi

seposita cuius penes Deum arbitrium est, illorum doctrinas et loquendi agendique rationes cognorit. Enimvero non is a veritate discedat, qui eos Ecclesiae adversarios quovis alio perniciosiores habeat.—Nam non hi extra Ecclesiam, sed intra, ut diximus, de illius perniciie consilia agitant sua : quamobrem in ipsis fere Ecclesiae venis atque in visceribus periculum residet, eo securiore damno quo illi intimius Ecclesiam norunt. Adde quod securim non ad ramos surculosque ponunt ; sed ad radicem ipsam, fidem nimirum fideique fibras altissimas. Icta autem radice hac immortalitatis, virus per omnem arborem sic propagare pergunt, ut catholicae veritatis nulla sit pars unde manus abstineant, nulla quam corrumpere non elaborent. Porro, mille nocendi artes dum adhibent, nihil illis callidius nihil insidiosius : nam et rationalistam et catholicum promiscue agunt, idque adeo simulatissime, ut incautum quemque facile in errorem pertrahant ; cumque temeritate maxime valeant, nullum est consecutionum genus quod horreant aut non obfirmate secureque obtrudant. Accedit praeterea in illis, aptissime ad fallendos animos, genus vitae cummaxime actuosum, assidua ac vehemens ad omnem eruditionem occupatio, moribus plerumque austeris quaesita laus. Demum, quod fere medicinae fiduciam tollit, disciplinis ipsi suis sic animo sunt comparati, ut dominationem omnem spernant nullaque recipiant frena ; et freti mendaci quadam conscientia animi, nituntur veritatis studio tribuere quod uni reapse superbiae ac pervicaciaetribuendum est.—Equidem speravimus huiusmodi quandoque homines ad meliora revocare : quo in genere suavitate primum tamquam cum filiis, tum vero severitate, demum, quanquam inviti, animadversione publica usi sumus. Nostis tamen, Venerabiles Fratres, quam haec facerimus inaniter : cervicem, ad horam deflexam, mox extulerunt superbius. Iam si illorum solummodo res ageretur, dissimulare forsitan possemus : sed catholici nominis e contra securitas agitur. Quapropter silentium, quod habere diutius piaculum foret, intercipere necesse est ; ut personatos male homines, quales reapse sunt, universae Ecclesiae demonstremus.

Quia vero modernistarum (sic enim iure vulgus audiunt) callidissimum artificium est, ut doctrinas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem seiunctas, ut nimirum accipites et quasi vagi videantur, cum e contra firmi sint et constantes ; praestat, Venerabiles Fratres, doctrinas easdem uno heic conspectu exhibere primum, nexumque indicare quo invicem coalescunt, ut deinde errorum caussas scrutemur, ac remedia ad averruncandam perniciem praescribamus.

Ut autem in abstrusiore re ordinatim procedamus, illud ante omnia notandum est, modernistarum quemlibet plures agere personas ac veluti in se commiscere; philosophum nimirum, credentem, theologum, historicum, criticum, apologetam, instauratorem: quas singulatim omnes distinguere oportet, qui eorum systema rite cognoscere et doctrinarum antecessiones consequutionesque pervidere velit.

Iam, ut a philosopho exordiamur, philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt, quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi huius humana ratio *phaenomenis* omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent: earundem praetergredi terminos nec ius nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut ut per ea quae videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiae obiectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subiectum historicum minime censendum esse.—His autem positis, quid de *naturali theologia*, quid de *motivis credibilitatis*, quid de *externa revelatione* fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistae penitus e medio tollunt, et ad *intellectualismum* amandant; ridendum, inquit, systema ac iamdiu emortuum. Neque illos plane retinet quod eiusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia: siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat: *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit* (*De Revel*, can. i.), itemque: *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit* (*Ibid.* can. ii.); ac demum: *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit* (*De Fide*, can. iii.).—Qua vero ratione ex *agnosticismo*, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistae transeant, qui contra totus est in inficiatione positus: quo idcirco ratiocinationis iure; ex eo quod ignoretur utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eandem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit; novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam; in quarum finibus non nisi *phaenomenis* possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est.—Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de Ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in caelum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

Hic tamen *agnosticismus*, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est : positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt.—Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda : et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda : primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest ; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, iu *subscscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa.—Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae : Scientia atque historia, inquit, duplici includuntur termino ; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent : hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc *incognoscibili*, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in *subscscientia* lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet *sensum* : hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tamquam obiectum tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi enim *sensu* modernistae non fidem tantum reperiunt ; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intelligunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet ? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, *sensum* illum religiosum in conscientia

apparentem: quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso *sensu*, animis manifestantem? Subdunt vero: cum fidei Deus obiectum sit aeque et caussa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quaelibet, pro diverso adspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc conscientiae ac revelationis promiscua significatio. Hinc lex, qua *conscientia religiosa* ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus aequanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatum, sive haec doceat sive de sacris disciplinave statuatur.

Attamen in toto hoc processu, unde, ex modernistarum sententia, fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consequutiones historico-criticas, quas inde illi eruunt. Nam *Incognoscibile*, de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare; sed contra in phaenomeno aliquo arcte inhaerens, quod, quamvis ad campum scientiae aut historiae pertinet, ratione tamen aliqua praetergreditur; sive hoc phaenomenon sit factum aliquod naturae, arcani quidpiam in se continens, sive sit quisvis unus ex hominibus, cuius ingenium acta verba cum ordinariis historiae legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab *Incognoscibili* allecta quod cum phaenomeno iungitur, totum ipsum phaenomenon complectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quaedam phaenomeni *transfiguratio*, per elationem scilicet supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam fides est inductura. Secundum, phaenomeni eiusdem aliquapiam, sic vocare liceat, *defiguratio* inde nata, quod fides illi, loci temporisque adiunctis exempto, tribuit quae reapse non habet: quod usuvenit praecipue, quum de phaenomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistae eruunt canones; qui, alteri additi iam ex agnosticismo habito, critices historicae fundamenta constituunt. Exemplo res illustrabitur; sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi, aiunt, scientia atque historia nil praeter hominem offendunt. Ergo, vi primi canonis ex agnosticismo deducti, ex eius historia quidquid divinum redolet delendum est. Porro, vi alterius canonis, Christi persona historica *transfigurata* est a fide: ergo subducendum ab ea quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum, vi tertii canonis, eadem persona Christi a fide *defigurata* est; ergo removenda sunt ab illa sermones, acta; quidquid, uno verbo, ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori

quibus vixit, minime respondet. Mira quidem ratiocinandi ratio: sed haec modernistarum critice.

Religiosus igitur *sensus*, qui per *vitam immanentiam* e latebris *subconscientiae* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, eiusmodi *sensus* paullatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem: sunt nempe illae *religiosi sensus* merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnino parem: nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiae*, non aliter, nata est.—Stupent profecto, qui haec audiant, tantam ad asserendum audaciam, tantum sacrilegium! Attamen, Venerabiles Fratres, non haec sunt solum ab incredulis effutita temere. Catholici homines, immo vero e sacerdotibus plures; haec palam edisserunt; talibusque deliramentis Ecclesiam se instauraturos iactant! Non heic iam de veteri errore agitur, quo naturae humanae supernaturalis ordinis veluti ius tribuebatur. Longius admodum processum est: ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo aequae ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quae a Vaticana Synodo iure summo sancitum fuit. *Si quis dixit hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit.* (De Revel., can. iii.)

Huc usque tamen, Venerabiles Fratres, nullum dari vidimus intellectui locum. Habet autem et ipse, ex modernistarum doctrina, suas in actu fidei partes. Quo dein pacto, advertisse praestat.—In *sensu* illo, inquiunt, quem saepius nominavimus, quoniam *sensus* est non cognitio, Deus quidem se homini sistit; verum confuse adeo ac permixte, ut a subiecto credente vix aut minime distinguatur. Necesse igitur est aliquo eundem sensum collustrari lumine, ut Deus inde omnino exiliat ac secernatur, Id nempe ad intellectum pertinet, curas est cogitare, et analysim instituere; per quem homo vitalia phaenomena in se exurgentia in species primum traducit, tum autem verbis significat. Hinc vulgata modernistarum enunciatio: debere religiosum hominem fidem suam *cogitare*.—Mens ergo, illi *sensui* adveniens, in eundem se inflectit, inque eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulae cuiusdam diagraphen collustret ut nitidius efferat: sic enim fere quidam modernistarum doctor rem explicat. In

eiusmodi autem negotio mens dupliciter operatur: primum, naturali, actu et spontaneo, redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari; secundo vero reflexe ac penitus, vel, ut aiunt, *cogitationem elaborando*, eloquiturgue cogitata *secundariis* sententiis. derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae *secundariae* sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent *dogma*.

Sic igitur in modernistarum doctrina ventum est ad caput quoddam praecipuum, videlicet ad originem dogmatis atque ad ipsam dogmatis naturam. Originem enim dogmatis ponunt quidem in primigeniis illis formulis simplicibus, quae, quodam sub respectu, necessariae sunt fidei; nam revelatio, ut reapse sit, manifestam Dei notitiam in conscientia requirit. Ipsum tamen dogma *secundariis* proprie contineri formulis affirmare videntur.—Eius porro ut assequamur naturam, ante omnia inquirendum est, quanam intercedat relatio inter *formulas religiosas* et *religiosum animi sensum*. Id autem facile intelliget, qui teneat *formularum* eiusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi suae fidei rationem reddat. Quamobrem mediae illae sunt inter credentem eiusque fidem; ad fidem autem quod attinet, sunt inadaequatae eius obiecti notae, vulgo *symbola* vocitant; ad credentem quod spectat, sunt mera *instrumenta*.—Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere: nam, qua *symbola*, imagines sunt veritatis, atque idcirco sensui religioso accommodandae, prout hic ad hominem refertur; qua *instrumenta*, sunt veritatis vehicula atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Obiectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet adspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis atque aliis uti potest conditionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias. Ita vero ad intimam *evolutionem* dogmatis expeditum est iter.—Sophismatum profecto coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat ac delet!

Evolvi tamen ac mutari dogma non posse solum sed oportere, et modernistae ipsi perfracte affirmant et ex eorum sententiis aperte consequitur.—Nam inter praecipua doctrinae capita hoc illi habent, quod ab *immanentiae vitalis* principio deducunt: *formulas religiosas*, ut *religiosae* reapse sint nec solum intellectus commentationes, vitales esse debere vitamque ipsam vivere *sensus religiosi*. Quod non ita intelligendum est, quasi hae formulae, praesertim si niere imaginativae, sint pro ipso religioso sensu inventae; nihil enim refert admodum earum originis, ut etiam

numeri vel qualitatis : sed ita, ut eas *religiosus sensus*, mutatione aliqua, si opus est, adhibita, *vitaliter* sibi adiungat. Scilicet, ut aliis dicamus, necesse est ut *formula primitiva* acceptetur a corde ab eoque sanciat; itemque sub cordis ductu sit labor, quo *secundariae formulae* progignuntur. Hinc accidit quod debeant hae formulae, ut vitales sint, ad fidem pariter et ad credentem accommodatae esse ac manere. Quamobrem, si quavis ex causa huiusmodi accommodatio cesset, amittunt illae primigenias notiones ac mutari indigent.—Haec porro formularum dogmaticarum cum sit vis ac fortuna instabilis, mirum non est illas modernistis tanto esse ludibrio ac despectui; qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi religiosum sensum vitamque religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpunt tamquam devio itinere incedentem, quod ab externa formularum significatione religiosam vim ac moralem minime distinguat, et formulis notione carentibus casso labore ac tenacissime inhaerens, religionem ipsam dilabi permittat.—*Caeci* equidem et *duces caecorum*, qui superbo scientiae nomine inflati usque eo insaniunt ut aeternam veritatis notionem et germanum religionis sensum pervertant : novo invento systemate quo, *ex proiecta et effrenata uovitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrina aliae inanes, fuitiles, incertae nec ab Ecclesia probatae adsciscunt, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur.* (Gregor. XVI. Ep. Encycl., "*Singulari Nos*" 7 kal. Iul. 1834).

Atque haec, Venerabiles Fratres, de modernista ut philosopho. —Iam si, ad credentem progressus, nosse qui velit unde hic in modernistis a philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus *realitatem* divini ut fidei objectum admittat, hanc tamen ab illo *realitatem* non alibi reperiri nisi in credentis animo, ut obiectum sensus est et affirmationis atque ideo phaenomenorum ambitum non excedit : utrum porro in se illa extra sensum existat atque affirmationem huiusmodi, praeterit philosophus ac negligit. E contra modernistae credenti ratum ac certum est, *realitatem* divini reapse in se ipsam existere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem haec credentis assertio nitatur ; reponent : in priva cuiusque hominis *experientia*. In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudomysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt : in *sensu religioso* quandam esse agnoscendum cordis intuitum ; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit, tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia praestantior : quam si quis, ut rational-

istae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus adiunctis, quae ad experientiam gignendum requirantur. Haec porro *experientia*, cum quis illum fuerit assequutus, proprie vereque credentem efficit. Quam hic longe absumus a catholicis institutis! Commenta eiusmodi a Vaticana Synodo improbata iam vidimus.—His semel admissis una cum erroribus ceteris iam memoratis, quo pacto ad atheismum pateat via, inferius dicemus. Nunc statim advertisse inquit, ex hac *experientiae* doctrina, coniuncta alteri de *symbolismo*, religionem quamlibet, ethnicorum minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni etenim in religione quavis experientiae huiusmodi occurrant? occurrisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistae veritatem experientiae abnunt, quam turca affirmet; verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistae denegant; quin immo, subobscuri alii, alii apertissime, religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse, manifestum est. Nam religioni cuiquam quo tandem ex capite, secundum illorum praecepta, foret falsitas tribuenda? Certe vel ex fallacia *sensus religiosi*, vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui *sensus religiosus* unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior: formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut *religiosi sensui* hominique credenti respondeat, quidquid de huius perspicuitate ingenii esse queat. Unum, ad summum, in religionum diversarum conflictu, modernistae contendere forte possint, catholicam, utpote vividior, plus habere veritatis; itemque christiano nomine digniorem eam esse, ut quae christianismi exordiis respondeat plenius.—Has consecutiones omnes ex datis antecedentibus fluere, nemini erit absonum. Illud stupendum commaxime, catholicos dari viros ac sacerdotes, qui etsi, ut autumari malumus, eiusmodi portenta horrent, agunt tamen ac si plene probent. Eas etenim errorum talium magistris tribuunt laudes, eos publice habent honores, ut sibi quisque suadeat facile, illos non homines honorare, aliquo forsitan numero non expertes, sed errores potius, quos hi aperte asserunt inque vulgus spargere omni ope nituntur.

Est aliud praeterea in hoc doctrinae capite quod catholicae veritati est omnino infestum.—Nam istud de *experientia* praeceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia huc usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistae sic traditionem intelligunt, ut sit *originalis experientiae* quaedam cum aliis communicatio per praedicationem, ope formulae intellectivae. Cui formulae propterea, praeter vim, ut aiunt, *repraesentativam*, *suggestivam* quandam adscribunt virtutem, tum in eo qui credit, ad *sensum religiosum* forte torpentem excitandum,

instaurandamque *experientiam* aliquando habitam, tum in eis qui nondum credunt, ad *sensum religiosum* primo gignendum et *experientiam* producendam. Sic autem experientia religiosa late in populos propagatur; nec tantummodo in eos qui nunc sunt per praedicationem, sed in posteros etiam, tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem.—Haec vero experientiae communicatio radices quandoque agit vigetque; senescit quandoque statim ac moritur. Vigere autem, modernistis argumentum veritatis est: veritatem enim ac vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit: religiones omnes quotquot extant veras esse, nam secus nec viverent.

Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistae statuunt inter fidem et scientiam: quo etiam scientiae nomine historia apud illos notatur.—Ac primo quidem tenendum est, materiam uni obiectam materiae obiectae alteri externam omnino esse ab eaque seiunctam. Fides enim id unice spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum; scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, inter fidem et scientiam nunquam esse posse discidium: si enim suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem nunquam poterunt, atque ideo nec contradicere.—Quibus si qui forte obiiciant, quaedam in aspectabili occurrere natura rerum quae ad fidem etiam pertineant uti humanam Christi vitam; negabunt. Nam, etsi haec phaenomenis accensentur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est modo, *transfigurata* ac *defigurata* fuerunt, a sensibili mundo sunt abrepta et in divini materiam translata. Quamobrem poscenti ulterius, an Christus vera patrarit miracula vereque futura praesenserit, an vere revixerit atque in caelum conscenderit; scientia agnostica abnuet, fides affirmabit; ex hoc tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophus philosophos alloquens, Christum scilicet unice contemplatus secundum *realitatem historicam*: affirmabit alter ut credens cum credentibus loquutus, Christi vitam spectans prout *iterum vivitur* a fide et in fide.

Ex his tamen fallitur vehementer qui reputet posse opinari, fidem et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subiectam. Nam de scientia quidem recte vereque existimabit; secus autem de fide, quae, non uno tantum sed triplici ex capite, scientiae subiici dicenda est. Primum namque advertere oportet, in facto quovis religioso, detracta *divina realitate* quamque de illa habet *experientiam* qui credit, cetera omnia, praesertim vero *religiosas formulas*, phaenomenorum ambitum

minime transgredi, atque ideo cadere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo excedere; quamdiu tamen in mundo deget, leges, obtutum, iudicia scientia atque historiae numquam, velit nolit, effugiet.—Praeterea, quamvis dictum est Deum solius fidei esse obiectum, id de divina quidem *realitate* concedendum est, non tamen de *idea* Dei. Haec quippe scientiae subest; quae, dum in ordine, ut aiunt, logico philosophatur, quidquid etiam absolutum est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de idea Dei ius habet, eamque in sui evolutione moderandi et, si quid extrarium invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum: evolutionem religiosam cum morali et intellectuali componi debere; videlicet, ut quidam tradit quem magistrum sequuntur, eisdem subdi.—Accedit demum quod homo dualitatem in se ipso non patitur, quamobrem credentem quaedam intima urget necessitas fidem cum scientia sic componendi, ut a generali ne discrepet idea, quam scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, ut scientiae extranea praedicetur, eidem subesse.—Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis quae Pius IX. decessor Noster tradebat, docens (Brev. ad Ep. Wratislav. 15 Iun. 1857): *Philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non praescribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri*. Modernistae negotium plane invertunt: quibus idcirco applicari queunt, quae Gregorius IX. item decessor Noster de quibusdam suae aetatis theologis scribebat (Ep. ad Magistros theol. paris. non. Iun. 1223); *Quidam apud vos, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate; coelestis paginae intellectum . . . ad doctrinam philosophicam rationalium inclinando, ad ostentationem scientiae, non profectum aliquem auditorum. . . . Ipsi, doctrinis variis et peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam*.

Quod profecto apertius patebit intuenti quo pacto modernistae agant, accomodate omnino ad ea quae docent. Multa enim ab eis contrarie videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos aestimet ancipites atque incertos. Verumtamen consulte id et considerate accidit: ex opinione scilicet quam habent de fidei atque scientiae seiunctione mutua. Hinc in eorum libris, quaedam offendimus quae catholicus omnino probet; quaedam, aversa pagina, quae rationalistam dictasse autumes. Hinc historiam scribentes, nullam de divinitate Christi mentionem iniiciunt; ad concionem vero in templis eam firmissime profitentur. Item, enarrantes historiam, Concilia et Patres nullo

loco habent; catechesim autem si tradunt, illa atque illos cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastora-lem a scientifica et historica secernunt. Similiter, ex principio quod scientia a fide nullo pacto pendeat, quum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhorrentes,* despicientiam praeceptorum catholicorum, sanc-torum Patrum, oecumenicarum synodorum, magisterii ecclesi-astici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiae subiiciendam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt quod sua dogmata philosophiae opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat; ipsi vero, veteri ad hunc finem theologia sublata, novam invehere contendunt, quae philosophorum delira-tionibus obsecundet.

Hic iam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad modernistas in theologico agone spectandos. Salebrosum quidem opus: sed paucis absolvendum.—Agitur nimirum de concilianda fide cum scientia, idque non aliter quam una alteri subiectâ. Eo in genere modernista theologus eisdem utitur principiis, quae usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat; principia inquam *immanentia* et *symbolismi*. Sic autem rem expedi-tissime perficit. Traditur a philosopho *principium fidei esse immanens*; a credente additur *hoc principium Deum esse*; concludit ipse *Deus ergo est immanens in homine*. Hinc *immanentia theologica*. Iterum: philosopho certum est *repraesentationes obiecti fidei esse tantum symbolicas*; credenti pariter certum est *fidei obiectum esse Deum in se*: theologus igitur colligit: *repraesentationes divinae realitatis esse symbolicas*. Hinc *symbolismus theologicus*.—Errores profecto maximi: quorum uterque quam sit perniciosus, conse-quentiis inspectis patebit.—Nam, ut de *symbolismo* statim dica-mus, cum symbola talia sint respectu obiecti, respectu autem credentis sint instrumenta; cavendum primum, inquiunt, cre-denti, ne ipsi formulae ut formula est plus nimio inhaereat, sed illa utendum unice ut absolutae adhaerescat veritati, quam formula reteggit simul ac tegit nititurque exprimere quin unquam assequatur. Addunt praeterea, formulas eiusmodi esse a credente adhibendas quatenus ipsum iuverint; ad commodum enim datae sunt non ad impedimentum: incolumi utique honore qui, ex sociali respectu, debetur formulis, quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam iudicarit, quamdiu scilicet idem magisterium secus quidpiam

* Prop. 29 damn. a Leone X. Bull. "*Exsurge Domine*" 16 maii 1520. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quid quid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.*

non edixerit.—De *immanentia* autem quid reapse modernistae sentiant, difficile est indicare; non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant, quod Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo; quod plane, si recte intelligitur, reprehensionem non habet. Alii in eo ponunt, quod actio Dei una sit cum actione naturae ut causae primae cum causae secundae; quod ordinem supernaturalem reapse delet. Alii demum sic explicant, ut suspicionem efficiant pantheisticae significationis; id autem cum ceteris eorum doctrinis cohaeret aptius.

Huic vero *immanentiae* pronunciato aliud adiicitur, quod a *permanentia divina* vocare possumus: quae duo inter se eo fere modo differunt, quo *experientia* privata ab *experientia* per traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit: sitque ab Ecclesia et Sacramentis deductum. Ecclesia, inquiunt, et Sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. Cavet id agnosticismus, qui in Christo nil praeter hominem novit, cuius conscientia religiosa, ut ceterorum hominum, sensim efformata est: cavet lex immanentiae, quae externas, ut aiunt, *applicationes* respuat: cavet item lex evolutionis, quae ut germina evolvantur tempus postulat et quandam adiunctorum sibi succedentium seriem: cavet demum historia, quae talem reapse rei cursum fuisse ostendit. Attamen Ecclesiam et Sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Qui vero? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt; christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est: ergo et christianorum vita. Si igitur haec vita, decursu aetatum, Ecclesiae et Sacramentis initium dedit: iure omnino dicetur initium huiusmodi esse a Christo ac divinum esse. Sic omnino conficiunt divinas esse etiam Scripturas sacras, divina dogmata.—His porro modernistarum theologia ferme absolvitur. Brevis profecto supellex: sed ei perabundans, qui profiteatur, scientiae, quidquid praeceperit, semper esse obtemperandum.—Horum ad cetera quae dicemus applicationem quisque facile per se viderit.

De origine fidei deque eius natura attigimus huc usque. Fidei autem cum multa sint germina, praecipua vero Ecclesia, dogma, sacra et religiones, libri quos sanctos nominamus; de his quoque quid modernistae doceant, inquirendum. Atque ut dogma initium ponamus, huius quae sit origo et natura iam supra indicatum est. Oritur illud ex impulsione quadam seu necessitate, vi cuius qui credit in suis cogitatis elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis. Est hic labor

in rimando totus expoliendoque primigeniam mentis *formulam*, non quidem in se illam secundum logicam explicationem, sed secundum circumstantia, seu, ut minus apte ad intelligendum inquirunt, *vitaliter*. Inde fit ut, circa illam, *secundariae* quaedam, ut iam innuimus, sensim enascantur formulae; quae postea in unum corpus coagmentatae vel in unum doctrinae aedificium, cum a magisterio publico sancitae fuerint utpote communi conscientiae respondentes, dicuntur dogma. Ab hoc secernendae sunt probe theologorum commentationes: quae ceteroqui, quamvis vitam dogmatis non vivunt, non omnino, tamen sunt inutiles, tum ad religionem cum scientia componendam et oppositiones inter illas tollendas, tum ad religionem ipsam extrinsecus illustrandam protuendamque; forte etiam utilitati fuerint novo cuidam futuro dogmati materiam praeparando.—De cultu sacrorum haud foret multis dicendum, nisi eo quoque nomine Sacramenta venirent; de quibus maximi modernistarum errores. Cultum ex duplici impulsione seu necessitate oriri perhibent; omnia etenim, ut vidimus, in eorum systemate impulsionebus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribuendum, altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequaquam possit sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus; quae Sacramenta dicimus. Sacramenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa; quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam; quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas, robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic Sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt: nihil praeterea. Clarius profecto dicerent, si Sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen Tridentina Synodus damnavit (Sess. vii., *de Sacramentis in genere*, can. 5) "*Si quis dixerit haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse anathema sit.*"

De librorum etiam sacrorum natura et origina aliquid iam delibavimus. Eos, ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen *experientiarum*, non cuique passim advenientium, sed extraordinarium atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae.—Sic prorsus modernistae docent de libris nostris tum veteris tum novi testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant quamvis experientia sit praesentis temporis, posse tamen illam de praeteritis aequae ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui credit vel exacta rursus per recordationem in modum *praesentium vivat*, vel futura per praeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in libris sacris censi queant. Sic igitur in hisce libris

Deus quidem loquitur per credentem; sed, uti fert theologia modernistarum per *immanentiam* solummodo et *permanentiam* *vitaalem*. Quaeremus, quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspiratione sacrorum librorum.—De qua praeterea inspiratione modernistae addunt, nihil omnino esse in sacris libris quod illa careat. Quod quum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, quum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praeceptis iudicamus, humanum scilicet opus, ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologo detur ea per *immanentiam* divina praedicandi; qui demum inspiratio coarctari possit? Generalem utique modernistae sacrorum librorum inspirationem asseverant; catholico tamen sensu nullam admittunt.

Largiorem dicendi segetem offerunt, quae modernistarum schola de Ecclesia imaginatur.—Ponunt initio eam ex duplici necessitate oriri, una in credente quavis, in eo praesertim qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet: altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in *collectivitate*, ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum. Quid igitur Ecclesia? partus est *conscientiae collectivae* seu consociationis conscientiarum singularium; quae vi *permanetiae vitalis*, a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis, a Christo.—Porro societas quaeprim moderatrice auctoritate indiget, cuius sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quae in religioso coetu, doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina: *disciplinaria*, *dogmatica*, *culturalis*.—Iam auctoritatis huius natura ex origine colligenda est; ex natura vero iura atque officia repetenda. Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit nimirum immediate a Deo; quare *autocratica* merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere. Quomodo Ecclesiae e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur, atque ideo eidem subest; quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, quum libertatis sensus in fastigium summum excrevit.

In civili statu conscientia publica populare regimen invexit. Sed conscientia in homine, aequae atque vita, una est. Nisi ergo in hominum conscientia intestinum velit excitare bellum ac fovere, auctoritati Ecclesiae officium inest democraticis utendi formis: eo vel magis quod, ni faxit, exitium imminet. Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autumet. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta.—Haec omnia modernistae ratiocinantur; qui propterea toti sunt in indagandis viis ad auctoritatem Ecclesiae cum credentium libertate componendam.

Sed enim non intra domesticos tantum parietes habet Ecclesia, quibuscum amice cohaerere illam oporteat; habet et extra. Non una namque ipsa occupat mundum; occupant aequae consociationes aliae, quibuscum commercium ut usus necessario intercedat. Quae iura igitur, quae sint Ecclesiae officia cum civilibus consociationibus determinandum est etiam, nec aliter determinandum nisi ex ipsius Ecclesiae natura, qualem nimirum modernistae nobis descripsere.—In hoc autem eisdem plane regulis utuntur, quae supra pro scientia, atque fide sunt allatae. Ibi *obiectis* sermo erat, haec de *finibus*. Sicut igitur *ratione obiecti* fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus: sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualement. Licuit profecto alias temporale spirituali subiici; licuit de *mixtis* quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe Ecclesia a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec ac philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis consiliis praeceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi quae civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est, toto nisu rejiciendus.—Ea nimirum, Venerabiles Fratres, unde haec omnia dimanant, eadem profecto sunt, quae Pius VI. decessor Noster, in Constitutione apostolica *Auctorem fidei*, solemniter damnavit.*

* Prop. 2. *Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae ut communicaretur Pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores dirigitur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: haeretica.*—Prop. 3. *Insuper, quae statuit Romanum Pontificem esse caput ministerii; sic explicata ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia: haeretica.*

Sed modernistarum scholae satis non est debere Statum ab Ecclesiae seiungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquirunt, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui. Hoc quidem illi aperte nondum forte asserunt; ratiocinationis tamen vi coguntur admittere. Posito etenim quod in temporalibus rebus Status possit unus, si accadat credentem, intimis religionis actibus haud contentum, in externos exilire, ut puta administrationem susceptionemve Sacramentorum; necesse erit haec sub Status dominium cadere. Ecquid tum de ecclesiastica auctoritate? Cum haec nisi per externos actus non explicetur; Statui, tota quanta est, erit obnoxia. Hac nempe consecutione coacti, multi e protestantibus *liberalibus* cultum omnem sacrum externum, quin etiam externam quamlibet religiosam consociationem e medio tollunt, religionemque, ut aiunt, *individualem* invehere adnituntur.—Quod si modernistae nondum ad haec palam progrediuntur, petunt interea ut Ecclesia quo ipsi impellunt sua se sponte inclinet seseque ad civiles formas aptet. Atque haec de auctoritate *disciplinari*.—Nam de *doctrinali* et *dogmatica* potestate longe peiora sunt ac perniciosiora quae sentiunt. De magisterio Ecclesiae sic scilicet commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque, qua utantur, formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam. In hac porro coniunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eadem perscribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistae collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum habeat; consequitur necessario, illud ab eisdem conscientiiis pendere, ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium hominum conscientias prohibere quominus impulsionem quas sentiunt palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissae non usus est sed abusus.—Similiter in usu ipso potestatis modus temperatioque sunt adhibenda. Librum quemlibet, auctore incio, notare ac proscribere, nulla explicatione admissa, nulla disceptatione, tyrannidi profecto est proximum.—Quare heic etiam medium est quoddam iter reperendum, ut auctoritati simul ac libertati integra sint iura. Interea temporis catholico sic est agendum,

ut auctoritatis quidem observantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi ingenio non intermittat. Generatim vero sic de Ecclesia praescribunt: quoniam ecclesiasticae potestatis finis ad spiritualia unice pertinet; externum apparatus omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur. In quo illud sane negligitur, religionem, etsi ad animos pertineat, non tamen unice animis concludi; et honorem potestati impensum in Christum institutorem recidere.

Porro ut totam hanc de fide deque vario eius germine materiam absolvamus, restat, Venerabiles Fratres, ut de utrorumque explicatione postremo loco modernistarum praecepta audiamus. —Principium hic generale est: in religione, quae vivat, nihil variabile non esse, atque idcirco variandum. Hinc gressum faciunt ad illud, quod in eorum doctrinis fere caput est, videlicet ad *evolutionem*. Dogma igitur, ecclesia, sacrorum cultus, libri, quos ut sanctos veremur, quin etiam fides ipsa, nisi intermortua haec omnia velimus, evolutionis teneri legibus debent. Neque hoc mirum videri queat, si ea prae oculis habeantur, quae sunt de horum singulis a modernistis tradita. Posita igitur evolutionis lege, evolutionis rationem a modernistis ipsis descriptam habemus. Et primo quoad fidem. Primigenia, inquit, fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quae ex ipsa hominum natura atque vita oriebatur. Evolutio vitalis progressum dedit; nimirum non novitate formarum extrinsecus accedentium, sed ex periversione in dies auctiore sensus religiosi in conscientiam. Dupliciter autem progressio ipsa est facta: *negative* primum, elementum quodvis extraneum, ut puta ex familia vel gente adveniens, eliminando; dehinc *positive*, intellectiva ac morali hominis expolitione, unde notio divini amplior ac lucidior *sensusque religiosus* exquisitior evasit. Progreddientis vero fidei eadem sunt causae afferendae, quam quae superius sunt allatae ad eius originem explicandam. Quibus tamen extraordinarios quosdam homines addi oportet (quos nos prophetas appellamus, quorumque omnium praestantissimus est Christus); tum quia illi in vita ac sermonibus arcani quidpiam praesetulerunt, quod fides divinitati tribuebat; tum quia novas nec ante habitas *experientias* sunt nacti, religiosae cuiusque temporis indigentiae respondentes.—Dogmatis autem progressus inde potissimum enascitur, quod fidei impedimenta sint superanda, vincendi hostes, contradictiones refellendae. Adde his nism quemdam perpetuum ad melius penetranda quae in arcanis fidei continentur. Sic, ut exempla cetera praetereamus, de Christo factum est: in quo divinum illud quaecumque, quod fides admittebat, ita pedetentim et gradatim amplificatum est, ut demum pro Deo haberetur.—Ad evolutionem

cultus facit praecipue necessitas ad mores traditionesque populorum sese accommodandi; item quorundam virtute actuum fruendi, quam sunt ex usu mutuati. Tandem pro Ecclesia evolutionis causa inde oritur, quod componi egeat cum adiunctis historicis cumque civilis regiminis publice investitis formis.—Sic illi de singulis. Hic autem, antequam procedamus, doctrina haec de *necessitatibus* seu *indigentis* (vulgo *dei bisogni* significantius appellant) probe ut notetur velimus; etenim, praeterquam omnium quae vidimus, est veluti basis ac fundamentum famosae illius methodi, quam historicam dicunt.

In evolutionis doctrina ut adhuc sistamus, illud praeterea est advertendum quod, etsi indigentiae seu necessitates ad evolutionem impellunt; his tamen unis acta, evolutio transgressa facile traditionis fines atque ideo a primigenio vitali principio avulsa, ad ruinam potius quam ad progressionem traheret. Hinc modernistarum mentem plenius sequuti, evolutionem ex conflictione duarum virium evenire dicemus, quarum altera ad progressionem agit, altera ad conservationem retrahit.—Vis conservatrix viget in Ecclesia, contineturque traditione. Eam vero exerit religiosa auctoritas; idque tam iure ipso, est enim in auctoritatis natura traditionem tueri; tam re, auctoritas namque, a commutationibus vitae reducta stimulis ad progressionem pellentibus nihil aut vix urgetur. E contra vis ad progrediendum rapiens atque intimis indigentis respondens latet ac molitur in privatorum conscientis, illorum praecipue qui vitam, ut inquit, propius atque intimius attingunt.—En hic, Venerabiles Fratres, doctrinam illam exitiosissimam efferre caput iam cernimus, quae laicos homines in Ecclesiam subinfert ut progressionis elementa.—Ex convento quodam et pacto inter binas hasce vires, conservatricem et progressionis fautricem, inter auctoritatem videlicet et conscientias privatorum, progressus ac mutationes oriuntur. Nam privatorum conscientiae, vel harum quaedam, in conscientiam collectivam agunt; haec vero in habentes auctoritatem, cogitque illos pactiones conflare atque in pacto manere.—Ex his autem pronum est intelligere, cur modernistae mirentur adeo, quum reprehendi se vel puniri sciunt. Quod eis culpae vertitur, ipsi pro officio habent religiose explendo. Necessitates conscientiarum nemo melius novit quam ipsi, eo quod propius illas attingunt, quam ecclesiastica auctoritas. Eas igitur necessitates omnes quasi in se colligunt: unde loquendi publice ac scribendi officio devinciuntur. Carpat eos, si volet, auctoritas; ipsi conscientia officii fulciuntur, intimaque experientia norunt non sibi reprehensiones deberi sed laudes. Utique non ipsos latet progressionem sine certaminibus haud

fieri, nec sine victimis certamina: sint ergo ipsi pro victimis, sicut prophetae et Christus. Nec ideo quod male habentur, auctoritati invident: suum illam exsequi munus ultro concedunt. Queruntur tantum quod minime exaudiuntur; sic enim cursus animorum tardatur: hora tamen rumpendi moras certissime veniet nam leges evolutionis coërceri possunt, infringi omnino non possunt. Instituto ergo itinere pergunt: pergunt, quamvis redarguti et damnati; incredibilem audaciam fucatae demissionis velamine obducentes. Cervices quidem simulate inflectunt; manu tamen atque animo quod susceperunt persequuntur audacius. Sic autem volentes omnino prudentesque agunt: tum quia tenent, auctoritatem stimulandam esse non evertebendam; tum quia necesse illis est intra Ecclesiae septa manere, ut collectivam conscientiam sensim immutent: quod tamen quum aiunt, fateri se non advertunt conscientiam collectivam ab ipsis dissidere, atque ideo nullo eos iure illius se interpretes venditare.

Sic igitur, Venerabiles Fratres, modernistis auctoribus atque auctoribus, nihil stabile nihil immutabile in Ecclesia esse oportet. Qua equidem in sententia praecursoribus non caruere, illis nimirum, de quibus Pius IX. decessor Noster iam scribebat: *Isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilegio ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat* (Encycl. "*Qui pluribus*," 9 Nov., 1846). De revelatione praesertim ac dogmate nulla doctrinae modernistarum novitas; sed eadem illa est, quam in Pii IX. syllabo reprobata reperimus, sic enunciata: *Divina revelatio est imperfecta et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat* (Syll. Prop. 5): solemnius vero in Vaticana Synodo per haec verba: *Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum in sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum* (Const. "*Dei Filius*," cap. iv.): quo profecto explicatiostrarum notionum, etiam circa fidem, tantum abest ut impediatur, ut imo adiuvetur ac provehatur. Quamobrem eadem Vaticana Synodus sequitur: *Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia* (Loc. cit.).

Sed postquam in modernismi assectatoribus philosophum, credentem, theologum observavimus, iam nunc restat ut pariter historicum, criticum, apologetam, reformatorem spectemus.

Modernistarum quidam, qui componendis historiis se dedunt, solliciti magnopere videntur ne credantur philosophi; profitentur quin immo philosophiae se penitus expertes esse. Astute id quam quod maxime: ne scilicet cuipiam sit opinio, eos praeiudicatis imbui philosophiae opinionationibus, nec esse propterea, ut aiunt, omnino *objectivos*. Verum tamen est, historiam illorum aut criticem meram loqui philosophiam; quaque ab iis inferuntur, ex philosophicis eorum principiis iusta ratiocinatione concludi. Quod equidem facile consideranti patet.—Primi tres huiusmodi historicorum aut criticorum canones, ut diximus, eadem illa sunt principia, quae supra ex philosophis attulimus: nimirum *agnosticismus*, theorema de *transfiguratione* rerum per fidem, itemque aliud quod de *defiguratione* dici posse visum est. Iam consecutiones ex singulis notemus.—Ex *agnosticismo* historia, non aliter ac scientia unice de phaenomenis est. Ergo tam Deus quam quilibet in humanis divinus inventus ad fidem reiiciendus est, utpote ad illam pertinens unam. Quapropter si quid occurrat duplici constans elemento, divino atque humano, cuiusmodi sunt Christus, Ecclesia, Sacramenta aliaque id genus multa; sic partiendum erit ac secernendum, ut quod humanum fuerit historiae, quod divinum tribuatur fidei. Ideo vulgata apud modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiae et Ecclesiam fidei, Sacramenta historiae et Sacramenta fidei, aliaque similia passim.—Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per *transfigurationem* ultra conditiones historicas elatum dicendum est. Adiectiones igitur a fide factas rursus secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei; sic, quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflata.—Praeterea, ex tertio philosophiae principio, res etiam, quae historiae ambitum non excedunt, cribro veluti cernunt, eliminantque omnia ac pariter ad fidem amandant quae ipsorum iudicio, in factorum *logica*, ut inquiunt, non sunt vel personis apta non fuerint. Sic volunt Christum ea non dixisse, quae audientis vulgi captum excedere videntur. Hinc de *reali* eius historia delent et fidei permittunt allegorias omnes quae in sermonibus eius occurrunt. Quaeremus forsitan qua lege haec segregentur? Ex ingenio hominis, ex conditione qua sit in civitate usus, ex educatione, ex adiunctorum facti cuiusquam

complexu : uno verbo, si bene novimus, ex norma, quae tandem aliquando in mere *subiectivam* recidit. Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere : quidquid vero paribus in adiunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt. — Sic igitur, ut concludamus, à *priori* et ex quibusdam philosophiae principiis, quam tenent quidem sed ignorare asserunt, in *reali*, quam vocant, historia Christum Deum non esse affirmant nec quidquam divini egisse ; ut hominem vero ea tantum patrasse aut dixisse, quae ipsi, ad illius se tempora referentes, patrandi aut dicendi ius tribuunt.

Ut autem historia ab philosophia, sic criticè ab historia suas accipit conclusiones. Criticus namque, indicia sequutus ab historico praebita, monumenta partitur bifariam. Quidquid post dictam triplicem obtruncationem superat *reali* historiae assignat ; cetera ad fidei historiam seu *internam* ablegat. Has enim binas historias accurate distinguunt ; et historiam fidei, quod bene notatum volumus, historiae *reali* ut realis est opponunt. Hinc, ut iam diximus, geminus Christus ; realis alter, alter qui nunquam reapse fuit sed ad fidem pertinet : alter qui certo loco certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur : eiusmodi, exempli causa, est Christus, quem Ioannis evangelium exhibet ; quod utique, aiunt, totum quantum est commentatio est.

Verum non his philosophiae in historiam dominatus absolvitur. Monumentis, ut diximus, bifariam distributis, adest iterum philosophus cum suo dogmate *vitalis immanentiae* ; atque omnia edicit, quae sunt in ecclesia historia, per *vitali emanationem* esse explicanda. Atqui vitalis cuiuscumque emanationis aut caussa aut conditio est in necessitate seu indigentia quapiam ponenda : ergo et factum post necessitatem concipi oportet, et illud historice huic esse posterius. — Quid tum historicus ? Monumenta iterum, sive quae in libris sacris continentur sive aliunde adducta, scrutatus, indicem ex iis conficit singularum necessitatum, tum ad dogma tum ad cultum sacrorum tum ad alia spectantium, quae in Ecclesiae, altera ex altera, locum habuere. Confectum indicem critico tradit. Hic vero ad monumenta, quae fidei historiae destinantur, manum admovet ; illaque per aetates singulas sic disponit, ut dato indici respondeant singula ; eius semper praecepti memor, factum recessitate, narrationem facto anteverti. Equidem fieri aliquando possit, quasdam Bibliorum partes, ut puta epistolas, ipsum esse factum a necessitate creatum. Quidquid tamen sit, lex est, monumenti cuiuslibet aetatem non aliter determinandam esse, quam ex aetate exortae in Ecclesia uniuscuiusque necessitatis. — Distinguendum praeterea est inter facti cuiuspiam exordium eiusdemque

explicationem: quod enim uno die nasci potest, non nisi decursu temporis incrementa suscipit. Hanc ob causam debet criticus monumenta, per aetates, ut diximus, iam distributa bipartiri iterum, altera quae ad originem rei altera quae ad explicationem pertineant secernens; eaque rursus ordinare per tempora.

Tum denuo philosopho locus est; qui iniungit historico sua studia sic exercere, uti evolutionis praecepta legesque praescribunt. Ad haec historicus monumenta iterum scrutari; inquirere curiose in adiuncta conditionesque, quibus Ecclesia per singulas aetates sit usa, in eius vim conservatricem, in necessitates tam internas quam externas quae ad progrediendum impellerent, in impedimenta quae obfuerunt, uno verbo, in ea quacumque quae ad determinandum faxint quo pacto evolutionis leges fuerint servatae. Post haec tandem explicationis historiam, per extrema veluti lineamenta, describit. Succurrit criticus aptatque monumenta reliqua. Ad scriptionem adhibetur manus: historia confecta est. —Cui iam, petimus, haec historia inscribenda? Historico ne an critico? Neutri profecto; sed philosopho. Tota ibi per *apriorismum* res agitur: et quidem per *apriorismum* haeresibus scatentem. Miseret sane hominum eiusmodi de quibus Apostolus diceret: *Evanuerunt in cogitationibus suis. . . . dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Ad Rom, I, 21 et 22); at bilem tamen commovent quum Ecclesiam criminantur monumenta sic permiscere ac temperare ut suae utilitati loquantur. Nimirum affingunt Ecclesiae, quod sua sibi conscientia apertissime improbari sentiunt.

Ex illa porro monumentorum per aetates partitione ac dispositione sequitur sua sponte non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologiae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda. —Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens. —Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum. —Haec autem ut confirment, critice, quam *textualem* nominant, adiutricem appellant; nitunturque persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco,

aliasque eiusmodi rationes proferunt. Diceret profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime iudicent quid suo quid alieno stet loco. —Hac via qui apti esse queant ad decernendum, aestimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantior. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit ut Scripturas sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed heu! non iis adiumentis Doctores nostri in sacros libros incubuerunt, quibus modernistae! scilicet magistram et ducem non habuere philosophiam, quae initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi iudicandi normam sibi delegerunt.—Iam igitur patere arbitramur, cuiusmodi in re historica modernistarum sit methodus. Praeit philosophus; illum historicus excipit; pone ex ordine legunt critique tum interna tum textualis. Et quia primae causae hoc competit ut virtutem suam cum sequentibus communicet, evidens fit, critice eiusmodi non quampiam esse critice, sed vocari iure *agnosticam immanentistam, evolutionistam*: atque ideo, qui eam profitetur eaque utitur, errores eidem implicitos profiteri et catholicae doctrinae adversari.—Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere. Id nempe geminam habet causam: foedus in primis, quo historici criticique huius generis arctissime inter se iunguntur, varietate gentium ac religionum dissensione posthabita: tum vero audacia maxima, qua, quae quisque effutiat, ceteri uno ore extollunt et scientiae progressionis tribuunt; qua, qui novum portentum aestimare per se volet, facto agmine adoriuntur; qui neget, ignorantiae accusent qui amplectitur ac tuetur, laudibus exornent. Inde haud pauci decepti qui, si rem attentius considerarent, horrerent.—Ex hoc autem praepotenti errantium dominio, ex hac levium animorum incauta assensione quaedam circumstantiis aeris quasi corruptio gignitur, quae per omnia permeat luemque diffundit.—Sed ad apologetam transeamus.

Hic apud modernistas dupliciter a philosopho et ipse pendet. *Non directe* primum, materiam sibi sumens historiam, philosopho, ut vidimus, praecipiente conscriptam: *directe* dein, mutuatus ab illo dogmata ac iudicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum praeceptum, debere novam apologesim contro-

versias de religione dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quamobrem apologetae modernistae suum opus aggrediuntur rationalistas monendo, se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis, quae veteri methodo descriptae sint; sed ex historia *reali*, modernis praeceptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi *ad hominem* argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur. De adserenda vero sua in scribendo sinceritate securi sunt: iam apud rationalistas noti sunt, iam, ut sub eodem vexillo stipendia merentes, laudati: de qua laudatione, quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur, eamque reprehensionibus Ecclesiae opponunt.—Sed iam quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat videamus. Finis, quem sibi assequendum praestituit, hic est: hominem fidei adhuc expertem eo adducere ut eam de catholica religione *experientiam* assequatur, quae ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet iter: *objectivum* alterum, alterum *subiectivum*. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat, ut eam in religione, praesertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret, quae psychologum quemque itemque historicum bonae mentis suadeat, oportere in illius historia *incogniti* aliquid celari. Ad hoc, ostendere necessum est, catholicam religionem, quae modo est, eam omnino esse quam Christus fundavit, seu non aliud praeter progredientem eius germinis explicationem, quod Christus invexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Idipsum porro hac formula exhiberi volunt: Christum adventum regni Dei nunciasse, quod brevi foret constituendum, eiusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post haec demonstrandum, qua ratione id germen, semper *immanens* in catholica religione ac *permanens*, sensim ac secundum historiam sese eolverit aptaritque succedentibus adiunctis, ex iis ad se *vitaliter* trahens quidquid doctrinalium, cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile: interea vero impedimenta si quae occurrerent superans, adversarios profligans, insectationibus quibusvis pugnisque superstes. Postquam autem haec omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas, itemque vitam foecunditatemque Ecclesiae id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in eiusdem Ecclesiae historia incolumes appareant, non tamen eidem historiae plene explicandae sint pares; *incognitum* coram stabit, suaeque sponte se offeret. Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice *apriorismo* philosophi agnostici et

evolutionistae, et germen ipsum sic gratis ab eis definiri ut eorum causae congruat.

Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant: subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur: quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt: iam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum.—Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* (Conc. Vat. *De Rev.*, c. 2), hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere; verbisque Augustini asserimus: *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur* (Epist. 28). Unde fiet quod idem sanctus Doctor adiungit: *In eis, scilicet Scripturis, quod vult quisque credet, quod non vult non credet.*—Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur; cuiusmodi sunt quae in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse: neque id mirum, inquiunt, videri debet: nam et ipse vitae legibus tenebatur!—Quid post haec de Ecclesia

dogmatibus? Scatent haec etiam apertis oppositionibus; sed, praeterquamquod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicae non adversantur; in iis quippe de infinito agitur cuius infiniti sunt respectus. Demum, adeo haec omnia probant tumenturque ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradicentia de ipso affirmando!—Probata vero contradictione, quid non probabitur?

Attamen qui nondum credat non *objectivis* solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam *subiectivis*. Ad quem finem modernistae apologetae ad *immanentiae* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque in intimis eius naturae ac vitae recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cuiuscumque sed talis omnino qualis catholica est: hanc enim *postulari* prorsus inquirunt ab explicatione vitae perfecta.—Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam reiiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solem et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam.— Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur, qui volunt moderatiores audiri. Nam qui *integralistae* appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est.—Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, sommatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus: methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem!

Pauca demum superant addenda de modernista ut reformator est. Iam ea, quae huc usque loquuti sumus, abunde manifestant quanto et quam acri innovandi studio hi homines ferantur. Pertinet autem hoc studium ad res omnino omnes quae apud catholicos sunt.—Innovari volunt philosophiam in sacris praesertim Seminariis: ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historium philosophiae inter cetera quae iam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia, quae una vera nostraeque aetati respondens. Ad theologiam innovandam, volunt, quam nos rationalem dicimus, habere fundamentum modernam philosophiam. Positivam vero theologiam,

niti maxime postulant in historia dogmatum.—Historiam quoque scribi et tradi expetunt ad suam methodum praescriptaque moderna.—Dogmata eorundemque evolutionem cum scientia et historia componenda edicunt.—At catechesim quod spectat ea tantum in catecheticis libris notari postulant dogmata, quae innovata fuerint sintque ad vulgi captum. Circa sacrorum cultum, minuendas inquirunt externas religiones prohibendumve ne crescant. Quamvis equidem alii, qui symbolismo magis favent, in hac re indulgentiores se praebeant.—Regimen ecclesiae omni sub respectu reformandum clamitant, praecipue tamen sub disciplinari ac dogmatico. Ideo intus forisque cum moderna, ut aiunt, conscientia componendum, quae tota ad democratiam vergit: ideo inferiori clero ipsisque laicis suae in regimine partes tribuendae, et collecta nimirum contractaque in centum auctoritas disper-tiunda.—Romana consilia sacris negotiis gerendis immutari pariter volunt; in primis autem tum quod a *Sancto Officio* tum quod ab *Indice* appellatur.—Item ecclesiastici regiminis actionem in re politica et sociali variandam contendunt, ut simul a civilibus ordinationibus exulet, eisdem tamen se aptet ut suo illas spiritu imbuat.—In re morum, illud asciscunt americanistarum scitum, activas virtutes passivis anteponi oportere, atque illas prae istis exercitatione promoveri.—Clerum sic comparatum petunt ut veterem referat demissionem animi et paupertatem; cogitatione insuper et facto cum modernismi praeceptis consentiat.—Sunt demum qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio coelibatum sublatum desiderent.—Quid igitur in Ecclesia intactum relinquunt, quod non ab ipsis nec secundum ipsorum pronunciata sit reformandum?

In tota hac modernistarum doctrina exponenda, Venerabiles Fratres, videbimur forte alicui diutius immorati. Id tamen omnino oportuit, tum ne, ut assolet, de ignorance rerum suarum ab illis reprehendamus; tum ut pateat, quum de modernismo et quaestio, non de vagis doctrinis agi nulloque inter se nexu coniunctis, verum de uno compactoque veluti corpore, in quo si unum admittas, cetera necessario sequantur. Ideo didactica fere ratione uti sumus, nec barbara aliquando respuimus verba, quae modernistae usurpant.—Iam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium haereseon conlectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre; rem nunquam plenius perfecisset, quam modernistae perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo

catholicam religionem, sed omnem penitus, quod iam innuimus, religionem deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus: hinc qui liberius apertiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistas auxiliores invenisse gratulantur. — Redeamus enimvero tantisper, Venerabiles Fratres, ad exitiosissimam illam *agnosticismi* doctrinam. Eâ scilicet, ex parte intellectus, omnis ad Deum via praecluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cuiusdam animi sensus et actionis. Sed hoc quam perperam, quis non videat? Sensus enim animi actioni rei respondet, quam intellectus vel externi sensus proposuerint. Demito intellectum; homo externos sensus ad quos iam fertur, proclivius sequetur. Perperam iterum; nam phantasiae quaevis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt; communi autem sensu docemur, perturbationem aut occupationem animi quampiam, non adiumento sed impedimento esse potius ad investigationem veri, veri inquimus ut in se est; nam verum illud alterum *subiectivum*, fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est aptum, nihil admodum homini confert, cuius scire maxime interest sic necne extra ipsum Deum, cuius in manus aliquando incidet.—*Experientiam* enimvero tanto operi adiutricem inferunt. Sed quid haec ad sensum illum animi adiiciat? Nil plane, praeterquam quod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione, firmior persuasio de veritate obiecti. Iam haec duo profecto non efficiunt ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque eius immutant naturam, semper deceptioni obnoxiam, nisi regatur intellectu; immo vero illam confirmant et iuvant, nam sensus quo intensior, eo potiore iure est sensus.—Cum vero de religiososenso hic agamus deque experientia in eo contenta, nostis probe, Venerabiles Fratres, quanta in hac re prudentia sit opus, quanta item doctrina quae ipsam regat prudentiam. Nostis ex animorum usu, quorundam praecipue in quibus eminet sensus; nostis ex librorum consuetudine, qui de ascensi tractant; qui quamvis modernistis in nullo sunt pretio, doctrinam, tamen longe solidiorem, subtilioremque ad observandum sagacitatem praeseferunt, quam ipsi sibi arrogant. Equidem Nobis amentis esse videtur aut saltem imprudentis summopere pro veris, nulla facta investigatione, experientias intimas habere, cuiusmodi modernistae venditant. Cur vero, ut per transcursum dicamus, si harum experientiarum tanta vis est ac firmitas, non eadem tribuatur illi, quam plura catholicorum millia se habere asserunt de devio itinere, quo modernistae incedunt? Haec ne tantum falsa atque fallax? Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia, nullo mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi nunquam

posse. Restat ergo iterum atheismus ac religio nulla.—Nec modernistae meliora sibi promittant ex asserta *symbolismi* doctrina. Nam si quaevis intellectualia, ut inquirunt, elementa nihil nisi Dei symbola sunt; ecquid symbolum non sit ipsum Dei nomen aut personalitatis divinae? quod si ita, iam de divina personalitate ambigi poterit, patetque ad pantheismum via.—Eodem autem, videlicet ad purum putumque pantheismum, ducit doctrina alia de *immanentia divina*. Etenim hoc quaerimus: an eiusmodi *immanentia* Deum ab homine distinguat necne. Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur reiicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui *immanentia* haec modernistarum vult atque admittit omne conscientiae phaenomenon ab homine ut homo est proficisci. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine: ex quo pantheismus.—Distinctio demum quam praedicant inter scientiam et fidem, non aliam admittit consecutionem. Obiectum enim scientiae in cognoscibilis realitate ponunt; fidei e contra in incognoscibilis. Iamvero incognoscibile inde omnino constituitur, quod inter obiectam materiam et intellectum nulla adsit proportio. Atqui hic proportionis defectus nunquam, nec in modernistarum doctrina, auferri potest. Ergo incognoscibile credenti aequae ac philosopho incognoscibile semper manebit. Ergo si qua habebitur religio, haec erit realitatis incognoscibilis; quae cur etiam mundi animus esse, nequeat, quem rationalistae quidam admittunt, non videmus profecto.—Sed haec modo sufficiant ut abunde pateat quam multiplici itinere doctrina modernistarum ad atheismum trahat et ad religionem omnem abolendam. Equidem protestantium error primus hac via gradum iecit; sequitur modernistarum error; proxime atheismus ingreditur.

II.

Ad penitiorem modernismi notitiam, et ad tanti vulneris remedia aptius quaerenda, iuvat nunc, Venerabiles Fratres, causas aliquantum scrutari unde sit ortum aut nutritum malum.—Proximam continentemque causam in errore mentis esse ponendam, dubitationem non habet. Remotas vero binas agnoscimus, curiositatem et superbiam.—Curiositas, ni sapienter cohibeatur, sufficit per se una ad quoscumque explicandos errores. Unde Gregorius XVI. decessor Noster iure scribebat (Ep. Encycl., *Singulari* Nos 7 kal. Iul. 1834): *Lugendum valde est quonam crolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere quam oporteat sapere, sibi que nimirum praefidens, veritatem quaerendam autumet*

extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur.—Sed longe maiorem ad obcaecandum animum et in errorem inducendum cohibet efficientiam superbia: quae in modernismi doctrina quasi in domicilio collocata: ex ea undequaque alimenta concipit, omnesque induit aspectus. Superbiâ enim sibi audacius praefidunt, ut tamquam universorum normam se ipsi habeant ac proponant. Superbiâ vanissime gloriantur quasi uni sapientiam possideant, dicuntque elati atque inflati: *Non sumus sicut ceteri homines*; et ne cum ceteris comparentur, nova quaeque etsi absurdissima amplectuntur et somniant. Superbiâ subiectionem omnem abiiciunt contenduntque auctoritatem cum libertate componendam. Superbiâ sui ipsorum obliti, de aliorum reformatione unice cogitant, nullaque est apud ipsos gradus, nulla vel supremæ potestatis reverentia. Nulla profecto brevior et expeditior ad modernismum est via, quam superbia. Si qui catholicus e laicorum coetu, si quis etiam sacerdos christianæ vitæ praecepti sit immemor, quo iubemur abnegare nos ipsi si Christum sequi velimus, nec auferat superbiæ de corde suo; nae is ad modernistarum errores amplectendos aptissimus est quam qui maxime!—Quare, Venerabiles Fratres, hoc primum vobis officium esse oportet superbis eiusmodi hominibus obsistere, eos tenuioribus atque obscurioribus muneribus occupare, ut eo amplius deprimantur quo se tollunt altius et ut, humiliore loco positi, minus habeant ad nocendum potestatis. Praeterea tum ipsi per vos tum per seminariorum moderatores, alumnos sacri cleri scrutemini diligentissime; et si quos superbo ingenio repperitis, eos fortissime a sacerdotio repellatis. Quod utinam peractum semper fuisset ea qua opus erat vigilantia et constantia!

Quod si a moralibus causis ad eas quae ab intellectu sunt veniamus, prima ac potissima occurret ignorantia.—Enimvero modernistae, quotquot sunt, qui doctores in Ecclesia esse ac videri volunt, modernam philosophiam plenis buccis extollentes aspernatique scholasticam, non aliter illam, eius fuco et fallaciis decepti, sunt amplexi, quam quod alteram ignorantes prorsus, omni argumento caruerunt ad notionum confusionem tollendam et ad sophismata refellenda. Ex connubio autem falsae philosophiae cum fide illorum systema, tot tantisque erroribus abundans, ortum habuit.

Cui propagando utinam minus studii et curarum impenderent! Sed eorum tanta est alacritas, adeo indefessus labor, ut plane pigeat tantas insumi vires ad Ecclesiae perniciem, quae, si recte adhibitæ, summo forent adiumento.—Germina vero ad fallendos animos utuntur arte; primum enim complanare quae obstant nituntur, tum autem quae prosint studiosissime perquirunt atque

impigre patientissimeque adhibent. Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra haec acerrima illorum pugna. Idcirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam quum incipit scholasticam horrere methodum. Meminerint modernistae ac modernistarum studiosi damnationem, qua Pius IX. censuit reprobendam propositionem quae diceret (Syll. prop. 13): *Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.*—Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius monumentum ac pondus elidant. Stabit tamen semper catholicis auctoritas Nicaenae Synodi II., quae damnavit eos, qui audent . . . secundum scelestos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare . . . aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiae catholicae. Stabit Synodi Constantinopolitanae IV. professio: *Igitur regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus necnon et localibus Conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiae traditae sunt, servare ac custodire profitemur.* Unde Romani Pontifices Pius IV. itemque huius nominis IX. in professione fidei haec quoque addi voluerunt: *Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.*—Nec secus quam de Traditione, iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae Patribus. Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiae summae, quae, nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non habeat.—Denique ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, naturam, iura sacrilege pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando. Valent enim de modernistarum grege, quae moerore summo Deceptor Noster scribebat: *Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nominumque ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem ignorantiae, scientiarum lumini et progressui infensam* (Motu pr. "Ut mysticam" 14 Martii 1891).—Quae cum sint ita, Venerabiles Fratres, mirum non est, si catholicos homines, qui strenue pro Ecclesia

decertant, summa malevolentia et livore modernistae impetunt. Nullum est iniuriarum gens, quo illos non lacerent: sed ignorantiae passim pervicaciaeque accusant. Quod si refellentium eruditionem et vim pertimescant: efficaciam derogant coniurato silentio. Quae quidem agendi ratio cum catholicis eo plus habet invidiae, quod, eodem tempore nulloque modo adhibito, perpetuis laudibus evehunt quotquot cum ipsis consentiunt; horum libros nova undique spirantes grandi plausu excipiunt ac suspiciunt; quo quis audentius vetera evertit, traditionem et magisterium ecclesiasticum respuit, eo sapientiorem praedicant; denique, quod quisque bonus horreat, si quem Ecclesia damnatione perculerit, hunc, facto agmine, non solum palam et copiosissime laudant, sed ut veritatis martyrem pene venerantur.—Toto hoc, tum laudationum tum improperiorum strepitu, percussae ac turbatae iuniorum mentes, hinc ne ignorantes audiant inde ut sapientes videantur, cogente intus curiositate ac superbia, dant victas saepe manus ac modernismo se dedunt.

Sed iam ad artificia haec pertinent, quibus modernistae merces suas vendunt. Quid enim non moliuntur ut assecularum numerum augeant? In sacris Seminariis, in Universitatibus studiorum magisteria aucupantur, quae sensim in pestilentiae cathedras vertunt. Doctrinas suas, etsi forte implicite, in templis ad concionem dicentes inculcant; apertius in congressibus enunciant; in socialibus institutis intrudunt atque extollunt. Libros, ephemerides, commentaria suo vel alieno nomine edunt. Unus aliquando idemque scriptor multiplici nomine utitur, ut simulata auctorum multitudini incauti decipiantur. Brevi, actione, verbis, proelo nihil non tentant, ut eos febri quadam phreneticos diceret.—Haec autem omnia quo fructu? Iuvenes magno numero deflemus, egregiae quidem illos spei, quique Ecclesiae utilitatibus optimam navarent operam, a recto tramite deflexisse. Plurimos etiam dolemus, qui, quamvis non eo processerint, tamen, corrupto quasi aëre hausto, laxius admodum cogitare, eloqui, scribere consuescunt quam catholicos decet. Sunt hi de laicorum coetu, sunt etiam de sacerdotum numero; nec, quod minus fuisset expectandum, in ipsis religiosorum familiis desiderantur. Rem biblicam ad modernistarum leges tractant. In conscribendis historiis, specie adserendae veritatis, quidquid Ecclesiae maculam videtur aspergere id, manifesta quadam voluptate, in lucem diligentissime ponunt. Sacras populares traditiones, apriorismo quodam ducti, delere omni ope conantur. Sacros Reliquias vetustate commendatas despectui habent. Vano scilicet desiderio feruntur ut mundus de ipsis loquatur; quod futurum non autumant

si ea tantum dicant, quae semper quaeve ab omnibus sunt dicta. Interea suadent forte sibi obsequium se praestare Deo et Ecclesiae : reapse tamen offendunt gravissime, non suo tantum ipsi opere, quantum ex mente qua ducuntur, et quia perutilem operam modernistarum ausibus conferunt.

III.

Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII. decessor Noster fel. rec., praesertim in re biblica, occurrere fortiter dicto actuque conatus est. Sed modernistae, ut iam vidimus, non his facile terrentur armis : observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in suas partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretum est, atque efficaciora moliri.—Vos tamen oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aequae et expectamus, a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

I.—Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur.—Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum ; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens vel denique quoquo modo non probabile ; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi* (Leo XIII., Enc. *Aeterni Patris*). Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita ; de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatam deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse.

Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime.—Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque

amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur* (Leo XIII., Litt. ap. *In magna* 10 Dec. 1889). Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aequè omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despiciere videantur.

De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: *In rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt* (Alloc. 7 Martii 1880). Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosequutus monuit: *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendor pristinae dignitatis delet, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur* (Loc. cit.). Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari praecipimus.

II.—His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit.—Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperte favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponeere videntur.—Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque

componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re at fortiter agitote.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus!—Theologiae ac Iuris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto.—Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI.; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus.—Clerici et sacerdotes qui catholicae cuiusque Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus.—Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter servantur.

III.—Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita ne legantur cavere, si nondum edita prohibere ne edantur.—Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis quod christianae vitae initia vitiant.—Nec secus iudicandum de quorundam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroque non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter, contendite, solemni etiam interdictione usu. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII. in Constitutione apostolica *Officiorum*

praescribebat : *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur.—Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant : tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiae fiducia de auctore concepta, quod postremum in Religiosorum forte ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint adiaphori, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi.—Et quoniam de his sermo incidit, vigilente Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem : certe in aliquarum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent ; item potioreque iure si episcopales audiant : qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant.—Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo xxvi. : *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

IV.—Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem ; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. —Quoniam vero magno numero ea sunt ex *Constitutione Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest ; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime : illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex

officio adsint, qui edenda cognoscant : hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis xli. et xlii. memoratae Constitutionis venia ut edantur indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit. Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen praeponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine.—In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur nec non a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa a censore, prout supra diximus, approbationis formula, adiectoque ipsius censoris nomine.—Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitteri poterit.—Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit ; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit.—Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae vel, si de Urbe agatur, moderatoris generalis secreto sententia audiatur : is autem de eligendi moribus, scientia de doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur.—Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus nunquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit.—Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo xlii. Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur : *Viri e clero seculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.* Qua si qui venia perniciose utantur, eâ, moniti primum, priventur.—Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta ; videant Episcopi ne quid hi peccent, si peccarint moneant atque a scribendo prohibeant. Idipsum religiosorum moderatores ut praestent gravissime admonemus : qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant.—Ephemerides et commentaria, quae a catholicis

scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere : si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

V.—Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student.—Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio, quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent ; ut nihil preponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat ; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat.—Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus.—Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII. gravissime commendavit (Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum*, 10 Febr. 1884) : *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas : pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque onestum futurum.*

VI.—Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite firmiterque servantur ? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi (Act. Consess. Epp. Umbriae, Novembri 1849, Tit. II., art. 6), ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores sic illi, iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuenter effectus, qui ex illa divulgatione manarunt, sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpent aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur vel quod peius est in dies confirmetur et crescat.*—Tale igitur Consilium, quod a *vigilantia* dici placet, in singulis dioecesebus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient : quae tractarint decreverint, ea arcani lege custodiunt.—Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigant vigilanter : pro cleri iuventaeque incolumitate

prudenter sed prompte et efficaciter praescribant.—Vocum novitatem caveant meminerintque Leonis XIII. monita (Instruct. S.C.NN.EE.EE. 27 Ian. 1902). *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens pietatem fidelium videre videatur loquaturque novum christianae vitae ordinem novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* Haec in libris praelectionibusque ne patiantur.—Libros negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi questiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus.

De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiçiam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto anno MDCCCXCVI. a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.*—Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII. sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ratibus tuendis, ab hinc annis xxx., edicebat (Decr. 2 Maii 1877): *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.* Hoc qui teneant, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et relativa dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero absoluta est semper in veritati nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum.—Illud demum Consilio *vigilantiae* demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiciant oculos, ne quid in illis modernismi

lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

VII.—Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesium Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumni iniungimus.

Haec vobis, Venerabiles Fratres, scribenda duximus ad salutem omni credenti. Adversarii vero Ecclesiae his certe abutentur ut veterem calumniam refricent, qua sapientiae atque humanitatis progressioni infesti traducimur. His accusationibus, quas christianae religionis historia perpetuis argumentis refellit, ut novi aliquod opponamus, mens est peculiare Institutum omni ope provehere, in quo, iuvantibus quotquot sunt inter catholicos sapientiae fama insignes, quidquid est scientiarum, quidquid omne genus eruditionis, catholica veritate duce et magistra, promoveatur. Faxit Deus ut proposita feliciter impleamus, suppetitias ferentibus quicumque Ecclesiam Christo sincero amore amplectuntur. Sed de his alias.—Interea vobis, Venerabiles Fratres, de quorum opera et studio vehementer confidimus, superni luminis copiam toto animo exoramus ut, in tanto animorum discrimine ex gliscentibus undequaque erroribus, quae vobis agenda sint videatis, et ad implenda quae videritis omni vi ac fortitudine incumbatis. Adsit vobis virtute sua, Iesus Christus, auctor et consummator fidei nostrae; adsit prece atque auxilio Virgo immaculata, cunctarum haeresum interemptrix.—Nos vero, pignus caritatis Nostrae divinique in adversis solatii, Apostolicam Benedictionem vobis, cleris populisque vestris amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII. Septembris mcmvii., Pontificatus Nostri Anno quinto.

PIVS PP. X.

THE SECRETARIATE OF BRIEFS.

Nova privilegia conceduntur piae Archisodalitati a nocturna SS. Sacramenti adoratione.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Piam Archisodalitatem a nocturna Sanctissimi Sacramenti adoratione a principio ad praesens usque tempus iugi constantis benevolentiae studio Romani Pontifices sunt prosequuti. Et sane placuit Decessoribus Nostris christiani populi pietatem erga Sacramentum amoris magis magisque in dies excitari; eaque de causa pluribus Societatem ipsam spiritualibus gratiis ac privilegiis ultro libenterque ditarunt. Haec animo repetentes, cum Venerabilis Frater Raphael Merry del Val Archiepiscopus titularis Nicaenus hodiernus ipsius Societatis Praeses enixas Nobis preces adhibuerit, ut alia prioribus addere privilegia de Apostolica benignitate dignaremur, Nos quibus nihil acceptius quam ut Archisodalitas tam frugifera potiora capiat in Domino incrementa, votis hisce annuendum existimamus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnia ac singula privilegia et indulgentias, quibus a Romanis Pontificibus ipsa Archisodalitas ad hanc usque diem ornata fuit et aucta, praesentium vi in perpetuum confirmamus. Praeterea largimur :

I. Ut a sacerdotibus qui praesunt vigiliis, Missa peragi queat novissimo dimidio horae respectivae vigiliae.

II. Ut hae Missae servatis rite servandis celebrari valeant ad ipsum altare ubi Augusti Sacramenti fit Expositio.

III. Ut omnes et singuli qui pervigiliis intersunt fideles, et qui vel morari debent in ecclesia vel admittantur, atque religiosae Communitates, quarum in ecclesia Expositio locum habeat, ad sacram Synaxim accedere possint in alterutra e Missis quae celebrentur in extremo dimidio horae vigiliae respectivae, licet ad altare Expositionis, ubi eadem Missae peragantur.

IV. Tandem ut Religiosi ipsam in Archisodalitatem, uti exercentes nunc et in posterum adlecti, etsi nequeant aliis vigiliis interesse praeter illas quae in proprii Instituti ecclesia

locum habeant, nihilominus participes esse queant omnium et singulorum privilegiorum atque indulgentiarum quibus fruuntur caeteri inscripti, quos nulla loci limitatio coercet.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV Septembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

ALOIS. Card. MACCHI.

SECRETARY OF STATE.

Conventio inter S. Sedem et Russiam circa linguam, historiam et literaturam russicas in Seminariis catholicis Poloniae.

Les soussignés, ayant été autorisés par leurs Gouvernements de conclure, au sujet de l'étude et des examens de la langue, de l'histoire et de la littérature russes dans les Séminaires catholiques de Pologne, un accord sur la base des Conventions de 1882 et de 1897 et du Pro-Memoria remis par le Cardinal d'Etat de Sa Sainteté au Chargé d'Affaires de Russie en date du 4 Août 1906, sont convenus des articles suivants :

I. Le plan et le programme de l'étude de la langue, de l'histoire et de la littérature russes sont formés par l'Evêque (à la direction duquel les Séminaires diocésains sont soumis) d'accord avec le Gouvernement, en conformité de la nature et du but des Séminaires. Les maîtres enseignant ces branches sont de même nommés par l'Evêque avec l'agrément préalable du Gouvernement.

II. Les examens de la langue, de l'histoire et de la littérature russes dans les Séminaires, à l'occasion du passage des élèves d'une classe à l'autre et de leur sortie du Séminaire, se font en présence du Gouverneur local ou d'une personne spécialement déléguée par lui à cet effet, assisté d'un Représentant de l'Arrondissement scolaire.

III. Le droit de donner des notes aux élèves est réservé aux professeurs. La présence du Représentant du Pouvoir et de l'autorité scolaire aux examens a seulement pour but de donner au Gouvernement le moyen de s'informer de première source sur la marche et les progrès de l'enseignement de matières non théologiques et de venir en aide à cet enseignement par les moyens qu'il a à sa disposition.

IV. Les examens à l'occasion du passage d'une classe à

l'autre sont seulement verbaux ; les examens à l'occasion de la sortie du Séminaire sont verbaux et par écrit.

V. Les thèmes pour les examens par écrit sont choisis par l'Evêque en conformité avec les cours de langue, d'histoire et de littérature russes faits aux élèves du Séminaire. Ils sont communiqués par l'Evêque qui extrait, en présence des élèves de la classe de sorte, un des billets cachetés indiquant le thème.

Toutes les dispositions de l'accord de 1882, ne portant pas directement sur l'enseignement dans les Séminaires du Royaume de Pologne de la langue, littérature et histoire russes, ni sur les examens de ces matières, restent en vigueur, ainsi que celles de la convention de 1897.

Rome, le 22 Juillet 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.
S. SAZONOW.

DECREES.

CONGREGATION OF THE INQUISITION.

**Declaratio circa ieiunia et abstinencias Familiarum Religiosarum
utriusque sexus proprias.**

FERIA IV., DIE 24 APRILIS 1907.

In generali conventu Supremæ Sacræ Congregationis S. Officii, habito supradicta feria ac die, proposito dubio: " Num articulo 6º Decreti feria IV., 5 Septembris 1906, *De ieiunii et abstinencie lege in Italia reformanda* quidquam derogatum fuerit ieiuniis et abstinenciis Religiosis utriusque sexus Familiis a propriis ipsarum Regulis et Constitutionibus præscriptis." ; Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales Inquisitores Generales, præhabito Rmorum. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt : " Negative ; ideoque quod ad ieiunia et abstinencias ex generali Ecclesiæ præcepto servandas, Religiosas utriusque sexus Familias, peculiari ieiunii aut abstinencie voto non adstrictas, eadem ac simplices fideles lege uti posse ; quod ad ieiunia vero et abstinencias eis proprias, standum esse uniuscuiusque ipsarum Regulis et Constitutionibus."

Et sequenti feria V., die 25 eiusdem mensis, SSmus. D. N. Pius divina providentia PP. X relata sibi Emorum. Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. U. I. Notarius.

Quo sub 65 propositionibus reprobantur ac proscribuntur praecipui errores reformismi seu modernismi.

FERIA IV., DIE 3 IULII 1907.

Lamentabili sane exitu aetas nostra freni impatiens in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur ut, dimissa humani generis quasi haereditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores qui, praetergressi fines a Patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine, eum dogmatum progressum quaerunt qui, reipsa, eorum corruptela est.

Ne vero huius generis errores, qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SSmo. D. N. Pio divina providentia PP. X ut per hoc Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis officium ii qui inter eos praecipui essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones quae sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur :

1. Ecclesiastica lex quae praescribit subiicere praeviae censurae libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificae librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesis latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae continentur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opiniones sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihil pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Perabolae evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud iudeos.

14. In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius Evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae.

17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo.

19. Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa.

22. Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non

sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Existere potest et reipsa existit oppositio inter facta quae in Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut criticus tamquam falsa reiicere possit facta quae Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tanquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliiis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.

28. Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo qui est obiectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliiis Synopticis contentae authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothese, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae.

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis

historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortalis apud Deum.

38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina.

39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent.

40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium, eique professionis christianae obligationes adnectens.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. xi., 23-25), historice sunt sumenda.

46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi adm. dum lente huiusmodi conceptui assuevit. Imo etiam postquam poenitentia tanquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum.

47. Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx., 22 et 23) minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

48. Iacobus in sua epistola (v., 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

49. Coena christiana paullatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt.

50. Seniores qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam.

51. Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio.

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum coeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat.

53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni aequae ac societas humana est obnoxia.

54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.

56. Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologiarum progressibus infensam.

58. Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.

59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.

61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et ideo nullum Scripturae caput habere eundem sensum pro critico ac pro theologo.

62. Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.

63. Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt.

64. Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V., die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo. D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua Decretum Emorum. Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatae ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

PETRUS PALOMBELLI, *S.R.U.I. Notarius.*

Piis ac religiosis Institutis conceditur indultum celebrandi tres Missas et S. Communionem distribuendi in nocte Nativitatis Domini.

FERIA V., DIE I AUGUSTI 1907.

SSmus. D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, ad fovendam fidelium pietatem eorumque grati animi sensus excitandos pro ineffabili Divini Verbi Incarnationis mysterio, motu proprio, benigne indulgere dignatus est ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditione omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

PETRUS PALOMBELLI, *S.R.U.I. Notarius.*

CONGREGATION OF THE INDEX.

Quo prohibentur quaedam opera a Dimnet, Le Roy, Le Morin et Houtin conscripta, nec non Coenobium.

FERIA VI., DIE 26 JULII 1907.

Sacra Congregatio Emorum. ac Rmorum. S. R. E. Cardinalium a SSmo. D. N. Pio PP. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorundemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 26 Iulii 1907, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

ERNEST DIMNET, *La pensée catholique dans l'Angleterre contemporaine.* Paris 1906.

EDOUARD LE ROY, *Dogme et critique.* Paris.

JEAN LE MORIN, *Vérités d'hier ? La théologie traditionnelle et ses critiques catholiques.* Paris 1906.

ALBERT HOUTIN, *La crise du clergé.* Paris 1907.

COENOBIUM, *Rivista internazionale di liberi studi.* Lugano 1906-1907.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 26 Iulii 1907.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*

FR. THOMAS ESSER, Ord. Praed., *a Secretis.*

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

De Observandis et Evitandis in Missarum Manualium Satisfactione.

Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit, cautelas vel maiores esse adhibendas, ut pia fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sanctae custodiatur. Qua ac causa Emi. S. C. Patres

semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae de SSmus. D.N. Pius PP. X. accurate perpendit, probavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio, manuales missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam foundationem non constituent, vel talem ac tam diuturnam ut tanquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit :

1° Neminem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

2° Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3° Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deprecant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4° Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 statutum fuerit "ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint propriis Ordinariis tradant, iuxta modum ab iis definiendum;" ad tollendas ambiguitates, Emi. Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra

quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum quae tum in hoc articulo tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5° Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatores voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

6° Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligationi teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

7° Ordinarii dioecesani missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet: "Missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, qui eis indigere noverint; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extra-dioecesanis, dummodo sibi noti sint omnique exceptione maiores," firma semper regula art 6° de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8° Vetitum cuique omnino esse, missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ab alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim, id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut

eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurret.

9° Juxta ea quae in superiore articulo constituta sunt, decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui* sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10° Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

11° Item sine nova et speciali S. Sedis venia (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cantelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrantibus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrudere ut ipsorum decori et ornameto consulatur.

12° Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11 quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni a *divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

13° Et cum in const. *Apostolicae Sedis* statutum sit, excommunicationi latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiungere "colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent;" S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14° Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum iam initae usque ad exitum anni a quo institutae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynae missarum, quae in beneficium Sanctuariorum

aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15° Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum; sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874, et *Hildesien.* 21 Ianuarii 1898.

In *Monacen.* enim, "attento quod eleemosynae missarum quorundam legatorum pro parte locum tenerent congruae parochialis, Emi. Patres censuerunt, licitum esse parochi, si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive cantatis." Et in *Hildesien.* declaratum est, "in legatis missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redituum portionem quae in limine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplimento."

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales missae, quae a fidelibus traduntur, ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione praesentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex S. Congregatione Concilii, die 11 Maii 1894.

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praenest., *Praefectus*.
L. ✠ S. C. DE LAI, *Secretarius*.

ROTTENBURGEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Denegatur dispensatio ab irregularitate ex gravi corporis defectu contracta.

Supplex libellus. Richardus Blankenhorn, 20 annorum, cupit ad ss. ordines promoveri, sed arcetur ob irregularitatem ex de-

fectu corporis eo quod in uno pede ita laesus est ut, teste Episcopo, "necesse esset patellam eius pedis totam exsecari. Quo factum est, ut pes iste non solum curtaretur, sed etiam totus rigidus fieret. Ob eam causam huius pedis genuflectere omnino non potest, alterius autem pedis genu, scamno aut mensae innixus, vix aliquantulum potest flectere." Imo idem Ordinarius retulit etiam quod sibi "utique constabat eum in exercito sacram functionum non omnia rite exequi posse. Certe quidem id populo admirationi erit, quod in expositione SS. Sacramenti non genuflectendo, sed stando, officio suo fungi debet et in celebratione Missae corpus tantum paululum inclinare, non vero genuflectere potest."

Observationes. In primis gratiae concessioni plura obstare videntur. Sane in cap. *Presbyterum, de cler. aegrot.*, interdicta fuit celebratio Missae sacerdoti, cui dimidium palmae cum duobus digitis manus fuerat amputatum. Exinde Pirhing (*Ius can., lib. 3, tit. 5, § 1*), D'Annibale (*Summ. theol. mor., vol. 1, n. 414*) alique arguunt ab altaris ministerio esse repellendos qui vel sacros ordines congrue exercere non valent, vel in eorum exercitio scandalum et fideliū admirationem parant. Age vero haec duo inconvenientia in casu locum habere ex supra relatis Episcopi litteris patet. Idque eo fortius est retinendum, quia heic non agitur de sacerdote uti in citato capite, in quo ecclesiae indulgentia maior esse solet, sed de simplici iuvene, qui neque studiis theologicis est initiatus, neque militiae ecclesiasticae adscriptus per clericalem tonsuram. Unde ex gratiae denegatione nullum damnum persentiet, sed bene potis erit, absoluto gymnasio, aliam vitae rationem ingredi, uti ait Episcopus.

Insuper neque suffragatur absoluta dioecesis necessitas ob cleri defectum, quum haec ex confessione Episcopi sit tantum relativa. Item desiderantur speciales oratoris intellectuales qualitates, quia Ordinarius praefert dumtaxat bonam iuvenis indolem et spectatam morum probitatem, et omnino silet de ingenio extraordinario. Hinc tutius et prudentius videretur ipsum non admittere ad sacros ordines, praesertim habita ratione actualium temporum, in quibus catholicae religionis hostes a minima quaque re ansam arripere solent ad probra et iniurias emovendas in eius ministros. Caeterum congruere videtur etiam huius S. C. praxis et iurisprudentia. Plura siquidem prostant exempla denegatae dispensationis in huiusmodi circumstantiis; ita in *Patavina* 27 Apr. 1861 gratia non fuit concessa clerico ob deformitatem in manu dextera; in *Pampilonen.* 22 Nov. 1856, et *Policastren.* 21 Martii 1863 clerico ob defectum in sinistra manu; in *Bergomen.* 22 Nov. 1903 clerico propter amborum pedum amputationem; tandem in *Cathacen.* 17 Dec. 1859 sacer-

doti, qui ob debilitatem nervorum ad deambulandum fulcro scipionis opus habebat.

Ex adverso pro gratiae concessionem sequentia adnotari possunt. Episcopus enim "vellet fieri posset ut iuvenis iste ad sacerdotium ab eo flagrantissime exoptatum perveniret, qua gratia sine dubio cum propter bonam ingenii indolem tum propter spectatam morum probitatem dignus esset." Deinde occurrit bonum dioecesis, cum vocationes ad statum ecclesiasticum quotidie rariores evadant. Neque desunt exempla factarum concessionum in huiusmodi casibus aequalis fortasse gravitatis. Ita in *Bergomen.* 13 Iunii 1868 consimilis gratia, cum clausula tamen *in exemplum non afferenda*, concessa fuit clerico, qui, ex amputatione passa, sinistro pede ligneo utebatur, licet paulisper claudicaret; in *Adrien.* 11 Dec. 1875 dispensatum fuit ab irregularitate cum clerico, cui pars cruris nempe coxa praecisa fuerat, et in eius locum instrumentum ligneum fuerat subrogatum; in *Mediolanen.* 14 Apr. 1894 cum clerico qui, ex passa cruris sinistri amputatione, genuflexiones cum difficultate peragebat; tandem in *Abellinen.* 26 Aug. 1905 cum clerico qui, ex caesione cruris dexteri, defectui genuflexionis supplebat, profunde personam inclinando.

Demum res fortasse comperendinari posset, et interim monere Episcopum ut oratorem subiiciat accuratae inspectioni medici, qui referat utrum inducta in artibus rigiditas, aliquo artis salutaris remedio, saltem aliquatenus temperari possit.

Decisio. Emi. Patres S. C. Concilii, re mature perpensa, die 24 Augusti 1907 responderunt:

In expositis circumstantiis non solere concedi.



Decree of the Sacred Congregation of the Council on Espousals and Matrimony.

De Sponsalibus et Matrimonio Iussu et Auctoritate SS. D. N. Pii PP. X a S. Congregatione Concilii Editum.

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesiae iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. 1, Sess. XXIV. de reform. matrim. edicens*: 'Qui aliter quam praesente parochi vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.'

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decre-

tum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentiae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est indicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudam deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SSmus. D. N. Pius PP. X. pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commissit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Emorum. Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis SSmus. Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In executione itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

DE SPONSALIBUS.

I. Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parochio, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parochio, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praest parociae canonice erectae; sed in regionibus, ubi parociae canonice erectae non sunt, etiam sacrodotis cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissae est, et parochio equiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

DE MATRIMONIO.

III. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parochio vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvo exceptionibus quae infra n. VII. et VIII. ponuntur.

IV. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt:

§ 1.^o a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2.^o intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3.^o dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. Licite autem adsistunt:

§ 1.^o constituto sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2.^o constituto insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii:

§ 3.^o quod si deficiat, ut parochus est loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii

alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset;

§ 4.^o Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parochus ne liceat eorum matrimoniis adistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adistendi impetaverit.

§ 5.^o In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parochus celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alio sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parochus et loci Ordinario n. IV. et V. superius statutas.

VII. Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emissio a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. § 1.^o Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimonium nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio abstiterit.

§ 2.^o Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3.^o Quoties matrimonium ad normam n. VII. aut VIII. contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. Parochi qui hec hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2ⁱ et

3ⁱ num. V., emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parochio remittant.

XI. § 1.^o Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2.^o Vigent quoque pro eisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis, sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3.^o Acatolici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios; et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SS. D. N. Pii PP. X., contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2^a mensis Augusti anni 1907.

✠ VINCENTIUS Card Episc. Praenest., *Praefectus*.
C. DE LAI, *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

Indultum S. Communionis in nocte adorationis.

Hodiernus Tornacensis Episcopus, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, supplex implorat ut in parochialibus ecclesiis et in publicis sacellis et Oratoriis Tornacensis dioecesis, in quibus per gyrum et ex ordine fit publica expositio SSmi. Sacramenti a vespere usque ad vespere, adoratores possint immediate post mediam noctem ad sacram Synaxim accedere in ecclesia vel Oratorio in quibus extat expositio praedicta.

SSmus. Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, attentis expositis, ita precibus annuere dignatus est, ut una hora post mediam noctem Sacra Synaxis adoratoribus distribui possit.

Valituro hoc indulto ad proximum tantum quinquennium. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 Ianuarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De Calendario dioecesis adhibendo ab ecclesiis saecularibus in paroecia regulari extantibus.

Rmus. Dnus. Iosephus M. Portugal, Episcopus dioeceseos de Aguas Calientes in Mexico, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione reverenter exposuit ; nimirum :

In loco *de Asientos* nuncupato, dioeceseos de Aguas Calientes, extat ecclesia parochialis et regularis ad Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci pertinens, quae Calendario ipsius Ordinis utitur, atque intra fines paroeciae habentur aliae ecclesiae Episcopi iurisdictioni subiectae. Hinc quaeritur, an in hisce ecclesiis adhiberi debeat idem Calendarium Ordinis Fratrum Minorum, quo utitur supradicta ecclesia parochialis ve potius Calendarium dioeceseos ?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum censuit :

Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, nisi aliqua ex dictis ecclesiis stabiliter administretur ab ipsis Fratribus Minoribus.

Atque ita rescipsit. Die 31 Maii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Benedictio novi portus.

Formula benedictionis novi portus ac maris.

Cantatur Psalmus 92.

Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se.

Etenim firmavit orbem terrae : qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : a saeculo tu es.

Elevaverunt flumina Domine : elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos : a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis ; domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Deinde Celebrans, stola et pluviâ albi coloris indutus, dicit, Choro respondente :

Ÿ. Kyrie eleison.

R. Christe eleison.

Ÿ. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperantes in te.

Ÿ. Mitte nobis Domine auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere nos.

Ÿ. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

Ÿ. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Ÿ. Benedictus Dominus die quotidie.

R. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

Ÿ. Vias tuas Domine demonstra nobis.

R. Et semitas tuas edoce nos.

Ÿ. Utinam dirigantur viae nostrae.

R. Ad custodiendas iustificationes tuas.

Ÿ. Erunt prava in directa.

R. Et aspera in vias planas.

Ÿ. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ÿ. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Prospicere, Domine, supplicationibus nostris, et benedicere istum, navesque huc appellentes aut hinc egredientes cum omnibus qui in eis sunt, sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulanti in diluvio; porrige eis, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti super mare: et mitte sanctum Angelum tuum de coelis, qui liberet et custodiat eos semper a periculis universis; atque famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis, transactisque, ac recte perfectis negotiis, iterato tempore ad propria cum gaudio revocare digneris: Qui vivis etc.

R. Amen.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infra-scripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptum ritum, seu formulam benedictionis *novi portus ac maris*, a Rmo. Dno. Episcopo Brugen. Supremae Apostolicae Sedis sanctioni humillime propositam atque ab eodem Sacro Consilio revisam, benigne approbavit atque indulsit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Iunii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

DECLARATIO.

De Sacra Synaxi in Oratoriis privatis distribuenda.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X in audientia habita die 8 Maii 1907 ab Emo. et Rmo. Dno. Cardinali Seraphino Cretoni S. R. C. Praefecto, statuere ac declarare dignatus est, ut in Indultis Oratorii privati intelligatur inclusa facultas sacram Communionem distribuendi iis omnibus christifidelibus, qui Sacrificio Missae adsistunt; salvis iuribus parochialibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, eadem die 8 Maii 1907.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Sodales Societatis SS. Rosarii indulgentias lucrari poterunt etiamsi singulas decadas ad libitum separent.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia mihi infrascripto concessa, die 13 Octobris 1906, benigne con-

cessit ut Sodales Societatis Rosarii quascumque Indulgentias recitationi adnexas lucrari valeant etiam singulas decadas ad libitum separando, non solum quando agitur de illo Rosario infra hebdomadam recitando cui Sodales tenentur, sed de aliis Rosariis intra quemcumque diem ultronea devotione recitatis.

In quorum fidem, etc.

Romae, 14 Octobris 1906.

L. ✠ S.

FR. HYACINTHUS M. CORMIER, M. G. O. P.

Indulgentia plenaria pro confratribus SS. Rosarii.

Beatissime Pater,

Fr. M. Henricus Desqueyrous, Procurator generalis Ordinis Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit quod in diversis regionibus, praesertim vero in Germania pius ille usus, inter Confratres SS. Rosarii, invaluit Rosarium integrum pro triumpho Sanctae Matris Ecclesiae recitandi, imo et ad hoc non pauci nomen suum dederunt, ut specialioris erga S. Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem devotionis testimonium praeberent. Petit ergo humilis orator, ut Confratribus SS. Rosarii, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, Rosarium integrum, etiam divisim, in una die naturali ad praedictam intentionem recitaverint, et aliquam ecclesiam vel publicum sacellum visitaverint, indulgentiam plenariam, etiam defunctis applicabilem, singulis diebus semel tantum lucranda, Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur.

Et Deus.

SSmus. D. N. Pius PP. X, in audientia die 12 Iunii 1907 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 12 Iunii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secretarius*.

Indulgentiae conceduntur adspicientibus sacram Hostiam et dicentibus "Dominus meus et Deus meus."

Beatissime Pater,

Iosephus Recoder de Dorda Annesci, Congregationis Missionis sacerdos, ad S. V. pedes humillime provolutus enixe postulat, ut ad augendam fidelium devotionem et venerationem

erga divinissimum Eucharistiae sacramentum concedere S. V. dignetur septem annos et septem quadragenas Indulgentiae omnibus et singulis christifidelibus, qui fide, pietate et amore sacratissimam Hostiam adspexerint, non solum cum in Missae Sacrificio elevatur, verum etiam cum solemniter exponitur; item ut Indulgentiam plenariam lucrari valeant semel in hebdomada quotquot talem piissimam praxim quotidie peregerint, et sacram Communionem rite dispositi receperint, additis, in ipsa oculorum elevatione, verbis: *Dominus meus et Deus meus!*

Et Deus...

Iuxta preces in Domino.

Die 18 Maii 1907.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. Congnis. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem...

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 12 Iunii 1907.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Urbis et Orbis.

In sola Rosarii Mariani recitatione conceditur cumulatio Indulgentiarum a PP. Praedicatoribus et a PP. Crucigeris nuncupatarum.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sequentia dubia solvenda sunt exhibita:

I. An christifideles habentes prae manibus aliquam ex Coronis benedictis tum a Patribus Ordinis Praedicatorum, tum a PP. Crucigeris, vel a sacerdotibus ad id facultate pollentibus, dum recitant Rosarium Marianum cumulare valeant Indulgentias, quae recitationi SSmi. Rosarii sunt adnexae, cum illis quae a PP. Crucigeris nomen habent?

II. An pariter cumulentur Indulgentiae, quando christifideles manu gestantes Coronam ditatam Indulgentiis PP. Crucigerum, recitent Orationem Dominicam vel Angelicam Salutationem, adnexam alicui orationi vel pio exercitio peculiaribus Indulgentiis iam ditato?

Et Sacra Congregatio, re mature perpensa, propositis dubiis respondendum mandavit: Negative ad utrumque; sed supplicandum SSmo., ut benigne concedere dignetur Indulgentias a PP. Crucigeris nuncupatas cumulari cum Indulgentiis recitationi SSmi. Rosarii iam tributis, in ipsa tantum Rosarii recitatione.

De quibus facta relatione SSmo. Dno. Nostro Pio PP. X in Audientia habita die 12 Iunii 1907 ab infrascripto Cardinali

Praefecto, idem SSmus. dubiorum resolutionem ratam habuit et confirmavit; simulque, de speciali gratia, petitam Indulgentiarum cumulationem in Mariani dumtaxat Rosarii recitatione clementer est elargitus, dummodo Coronae utramque benedictionem acceperint. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die et anno uti supra.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentiae conceduntur pro Pio Opere a Maria Adiutrice.

Beatissimo Padre,

Il Sac. Michele Rua, rettore maggiore della Congregazione Salesiana, umilmente prostrato al bacio del sacro Piede, espone quanto segue:

Il glorioso Predecessore della S. V. Pio IX di s. m. con Breve del 9 Maggio 1876, elargì alla *Pia Opera di Maria Ausiliatrice*, istituita dal fondatore della predetta Congregazione, D. Giovanni Bosco, allo scopo di coltivare le vocazioni allo stato ecclesiastico, specialmente fra i giovani adulti, tutti i favori spirituali, che allora godevano i Terziari di S. Francesco d'Assisi, sostituita la festa di S. Francesco di Sales a quella del Serafico, e le chiese della Congregazione Salesiana alle Minoritiche. Si è però dubitato, dopo le nuove concessioni fatte ai Terziari Francescani, se ai Congregati della prefata Pia Opera sia rimasto o no il favore delle antiche. La Pia Unione dei Cooperatori Salesiani, che trovavasi in simile condizione, ottenne dalla S. V. nel 1904 speciali favori, abrogate le antiche concessioni.

Supplica pertanto l'oratore, che sia benignamente provveduto in simil guisa alla Pia Opera di Maria Ausiliatrice.

Che della grazia ecc....

Ex audientia SSmi. die 14 Novembris 1906.

SSmus. D. N. Pius PP. X, omnino abrogatis indulgentiis, privilegiis atque indultis a RR. PP. quomodocumque concessis in favorem Sodalium praefati pii Operis, sequentes spirituales gratias iisdem sodalibus benigne concessit, nempe: 1° omnes et singulas indulgentias, tam plenarias, quam partiales—non exceptis iis, quae visitationi Stationum Urbis adnexae sunt—Cooperatoribus Salesianae Sodalitatis, decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae d. d. 2 Octobris 1904 tributas; 2° omnia et singula indulta, quae in eodem decreto continentur; 3° ex privilegiis ibidem recensitis ea tantummodo,

quae sub num. 1^o et 2^o veniunt ; servatis tamen adamussim conditionibus, quae in pluries memorato decreto praescribuntur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 16 Februarii 1907.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia pro iaculatoria prece "Cœur Eucharistique," etc.

Très Saint Père,

Mathias Raus Recteur Majeur des Rédemptoristes et Directeur Général de l'Archiconfrérie du Cœur Eucharistique de Jésus, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de vouloir bien accorder l'indulgence de trois cents jours, une fois par jour, applicable aussi aux âmes du Purgatoire, à l'oraison jaculatoire *Cœur Eucharistique de Jésus, ayez pitié de nous*, déjà enrichie de 50 jours d'indulgence par S. S. Léon XIII., 12 Décembre 1900.

Et que Dieu etc.

Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 26 Iulii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

**Indulgentia 50 dierum toties quoties adnectitur invocationi:
"Cor Iesu charitatis victima etc." lucranda, cum intentione
renovandi professionem religiosam recitatur.**

Beatissime Pater,

Frater Maria Henricus Desqueyrous Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit, quod in diversis utriusque sexus Communitatibus, ad saepius renovandam professionis religiosae memoriam, habitualis facta est illa ad sacratissimum Cor Iesu devota invocatio: *Cor Iesu, charitatis victima, fac me Tibi hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*.

Instanter exinde supplicat humilis orator, ut Sanctitas Vestra huic invocationi aliquam indulgentiam concedere dignetur, toties lucranda, quoties recitabitur cum intentione religiosam professionem renovandi.

Et Deus, etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia habita die 27 Februarii 1907 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus religiosarum Familiarum alumnis et alumnabus, vota emittentibus, benigne concessit indulgentiam quinquaginta dierum toties lucranda, quoties ipsi vel ipsae, cum intentione denuo religiosa vota nuncupandi, praefatam iaculatoriam precem corde saltem contrito ac devote recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentiae quibusdam orationibus pro rectis studiis ac christiana institutione iam concessae adscriptis Pio Operi a S. Catharina de Alexandria ad omnes extenduntur christifideles.

Très Saint Père,

Le Directeur de l'Œuvre de Sainte Catherine d'Alexandrie dont le siège est à Paris, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, sollicite pour les troies prières suivantes l'extension à tous les fidèles des indulgences qui ont déjà été accordées en faveur des Membres de l'Œuvre, par un rescrit du 14 Mai 1895, "100 jours d'indulgence applicable aux âmes du Purgatoire, pour la pieuse récitation de chacune de ces prières; cette indulgence ne peut être gagnée qu'une fois par jour."

I. PRIÈRE POUR LES BONNES ÉTUDES ET L'ENSEIGNEMENT CHRÉTIEN.

Seigneur Jésus-Christ, la Voie, la Vérité et la Vie, vous qui avez tant aimé les âmes, et qui, non content de nous avoir donné l'exemple, avez fait de si magnifiques promesses à ceux qui auront enseigné la vérité, remplissez tous ceux qui enseignent de votre esprit de science, de sagesse et de crainte; remplissez de votre grâce ceux qui sont enseignés, afin que, instruits d'une manière

salutaire et utile, leur intelligence conçoive ce qui est vrai, leur cœur retienne ce qui est bien, leur vie soit pleine de bonnes œuvres, et qu'en tous votre saint Nom soit glorifié.

O Jésus enseignant qui, tout ému de compassion sur vos enfants semblables à des brebis sans pasteur, avez dit à vos disciples : *Priez le Maître de la maison qu'il envoie des ouvriers*, daignez, nous vous en supplions, multiplier les dignes instituteurs de la jeunesse ; sanctifiez-les dans la vérité ; augmentez en eux la foi, l'espérance et la charité.

O bon Jésus, qui avez dit : *Laissez venir à moi les petits enfants*, ne permettez pas qu'un seul de ces petits que vous avez rachetés par votre précieux Sang périsse ; éloignez d'eux tout scandale d'impiété, de vice ou d'erreur ; nous vous le demandons au nom de votre sainte Passion, des douleurs de votre très sainte Mère et par l'intercession de saints Anges et de tous les Saints. Ainsi soit-il.

II. PRIÈRE À SAINTE CATHERINE D'ALEXANDRIE, INVOQUÉE COMME PROTECTRICE ET PATRONNE DES ÉTUDES ET DE L'ENSEIGNEMENT.

O glorieuse vierge et martyre sainte Catherine, qui, par votre science admirable, votre zèle pour la foi et votre glorieux martyre, avez gagné à Jésus-Christ un si grand nombre d'âmes, vous dont le patronage a été si souvent réclamé par les plus doctes, nous vous choisissons pour la protectrice et la patronne de nos études et de notre enseignement.

Obtenez-nous, à nous qui sommes vos clients, un amour généreux pour Jésus-Christ notre Sauveur, un zèle ardent pour le faire connaître et aimer, un attachement inviolable à la foi catholique et aux enseignements de la sainte Église.

Que, par votre intercession, le Seigneur daigne accorder à tous ceux qui enseignent la plénitude des dons du Saint-Esprit ; qu'ils unissent à une science vraie la sûreté et l'habileté des méthodes, la pureté de la foi, l'intégrité de la vie et une humble défiance d'eux-mêmes.

Demandez à Jésus votre Epoux qu'il prenne en pitié tous ceux qui sont enseignés ; qu'il les preserve des maîtres impies ou indifférents, des doctrines perverses ou erronées qu'il leur donne la rectitude de l'esprit, la docilité du cœur, et la grâce de progresser dans leurs études selon les desseins de la souveraine Sagesse.

Enfin, ô glorieuse Sainte, sollicitez du Père des lumières une telle effusion de grâces sur l'enseignement de la Jeunesse, qu'après avoir étudié, aimé et pratiqué la loi divine, tous ensemble, maîtres et disciples, parviennent à la montagne sainte qui est Jésus-Christ. Ainsi soit-il.

III. PRIÈRE À SAINTE CATHERINE D'ALEXANDRIE.

O glorieuse sainte Catherine, vierge sage et prudente qui avez mis la science de Jésus-Christ au-dessus de toute science, obtenez-nous de demeurer inviolablement attachés à la foi catholique, et de ne chercher, dans nos études et dans notre enseignement, qu'à étendre en nous et dans les autres le règne de Jésus-Christ Notre-Seigneur et de sa sainte Église. Ainsi soit-il.

Et que Dieu...

EX AUDIENTIA SSMI., DIE 29 APRILIS 1907.

SSmus. D. N. Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 29 Aprilis 1907.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus precem

“ Verbe incréé, Sagesse éternelle, etc.”

Verbe incréé, Sagesse éternelle, Exemple et Créateur des choses, Rédempteur des hommes, Vous qui accordâtes au B. Albert une vaste intelligence pour contempler dans leur ensemble tous les êtres, depuis Dieu, et ses perfections infinies, jusqu'aux constellations du ciel et aux moindres créatures terrestres avec leurs merveilleuses qualités, accordez-moi de comprendre aussi, selon les humbles proportions de mon esprit, le lien qui rattache entre elles les diverses sciences humaines et la mutuelle assistance qu'elles peuvent se prêter, pour servir ensemble l'unique Vérité. Alors je les entourerai toutes d'estime ainsi que ceux qui en cultivent les branches diverses, et j'appellerai de mes vœux l'heure bénie où tous les savants, de concert, s'étudieront à mettre leurs travaux persévérants, leurs connaissances acquises, leurs découvertes multiples au service de la Foi. Je vous demande cette grâce, O Seigneur, pour votre gloire, pour l'honneur de votre sainte Église et pour le salut des âmes rachetées de votre précieux Sang.

Ainsi soit-il.

Fidelibus recitantibus hanc precem, indulgentiam 300 dierum semel in die lucranda concedimus.

Die 23 Novembris 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 15 Martii 1907.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia 300 dierum ditatur oratio "O Jesus ami de l'enfance, etc."

O Jésus, ami de l'enfance, Vous qui dès vos plus tendres années croissiez visiblement en sagesse et en grâce, devant Dieu et devant les hommes ; Vous qui, à l'âge de douze ans, assis dans le Temple au milieu des Docteurs, les écoutiez attentivement, les interrogiez humblement et faisiez leur admiration par la prudence et la sagesse de vos discours ; Vous qui accueilliez si volontiers les enfants, les bénissiez, et disiez à vos disciples : *Laissez-les venir à moi, car à ceux qui leur ressemblent appartient le royaume des Cieux*, inspirez-moi, comme Vous inspirates au B. Pierre Canisius, modèle et guide du catéchiste parfait, un profond respect et une sainte affection pour l'enfance, un goût et un dévouement prononcés pour lui enseigner la doctrine chrétienne, une aptitude spéciale à lui en faire comprendre les mystères et aimer les beautés. Je Vous le demande, ô mon Jésus, par l'intercession de la Bienheureuse Vierge Marie.

Ainsi soit-il.

Fidelibus recitantibus hanc precem, indulgentiam 300 dierum semel in die lucranda concedimus.

Die 23 Novembris 1901

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 15 Martii 1907.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia 300 dierum adnectitur cuidam preci in honorem B. M. V. SSmi. Rosarii.

Vierge Marie, faite que la récitation de votre Rosaire soit pour moi chaque jour, au milieu de mes devoirs multiples, un

lien d'unité dans les actes, un tribut de piété filiale, une douce récréation, un secours pour marcher joyeusement dans les sentiers du devoir. — Faites surtout, ô Vierge Marie, que l'étude de vos quinze mystères forme peu à peu dans mon âme une atmosphère lumineuse, pure, fortifiante, embaumée, qui pénètre mon intelligence, ma volonté, mon cœur, ma mémoire, mon imagination, tout mon être. Ainsi contracterai-je l'habitude de prier en travaillant, sans le secours des formules, par des regards intérieurs de l'admiration et de supplication, ou par les aspirations, de l'amour. Je vous le demande, ô Reine du Saint Rosaire, par Dominique votre fils de prédilection, l'insigne prédicateur de vos mystères et le fidèle imitateur de vos vertus.

Ainsi soit-il.

Fidelibus recitantibus hanc precem, indulgentiam 300 dierum semel in die lucranda concedimus.

Die 23 Novembris 1906.

PIUS PP. X.

Praeentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 15 Martii 1907.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus quandam precem in honorem S. Ioseph.

Glorieux S. Joseph, modèle de tous ceux qui sont voués au travail, obtenez-moi la grâce de travailler en esprit de pénitence, pour l'expiation de mes nombreux péchés; de travailler en conscience, mettant le culte du devoir au-dessus de mes inclinations; de travailler avec reconnaissance et joie, regardant comme un honneur d'employer et de développer, par le travail, les dons reçus de Dieu; de travailler avec ordre, paix, modération et patience, sans jamais reculer devant la lassitude et les difficultés; de travailler surtout avec pureté d'intention et avec détachement de moi même, ayant sans cesse devant les yeux la mort et le compte que je devrai rendre du temps perdu, des talents inutilisés, du bien omis et des vaines complaisances dans le succès si funestes à l'œuvre de Dieu. Tout pour Jésus, tout par Marie, tout à votre imitation, o Patriarche Joseph! Telle sera ma devise à la vie et à la mort.

Ainsi soit-il.

Fidelibus recitantibus hanc precem, Indulgentiam 300 dierum semel in die lucranda concedimus.

Die 23 Novembris 1906.

PIUS PP. X.

Praeentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 15 Martii 1907.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Damnatur opusculum cui titulus El Immaculado San Jose.

Illme. ac Rme. Domine,

Delatum est ad Supremam hanc Congregationem S. Officii opusculum editum anno currenti in ista civitate (Biblioteca Española; Caballeros, 41), cui titulus *El Immaculado San José*. Apuntes vindicativos de su Concepción purísima; Su honor de Esposo; Sus derechos de Padre; Su Primacía restauradora. (Artículos publicados en *La Senal de la Victoria* con aprobación eclesiástica) por José D. Maria Corbató, M. C., quo ad examen vocato, praesertim quod spectat ad doctrinam ab auctore expositam et propugnatam de divina paternitate S. Iosephi reali et proprie dicta, Eminentissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales decreverunt: "Opusculum de quo agitur inserendum in Indicem librorum prohibitorum ex Decreto feriae IV; idque significandum quamprimum R. P. D. Archiepiscopo Valentino, ut opportune moneat fideles." Quod dum, ut mei muneris est, cum Ampl. Tua communicare proporo capta occasione fausta quaeque ac felicia, omnia Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae addictissimus in Domino.

Romae, die 26 Februarii 1907.

S. Card. VANNUTELLI.

R. P. D., Archiep. Valentin.

L. ✠ S.

Indulgentia plenaria toties quoties lucranda extenditur ad omnes ecclesias et Oratoria publica totius Ordinis S. Benedicti.

Beatissimo Padre,

La pietà verso i defunti, tanto nobilmente sentita dal popolo cristiano, ha ricevuto un nuovo possente stimolo dalla conces-

sione fatta dalla S. V. il 27 Febbraio 1907, all'inclito Ordine Benedettino, di potersi cioè da qualunque fedele, che visiti qualche chiesa o pubblico oratorio dell'Ordine medesimo, il giorno 2 del mese di Novembre, acquistare, *toties quoties*, l'Indulgenza plenaria, applicabile anche ai defunti.

Ora, essendo la predetta concessione limitata alle chiese ed agli oratorii dei Benedettini di color nero, il Maggiore degli Eremiti Camaldolesi di Monte Corona, figli anch'essi del gran Patriarca dei Monaci di Occidente, affinchè le anime dei defunti, nel giorno del loro massimo suffragio, vengano più largamente espiate, e per togliere qualunque dubbio nei fedeli, se una data chiesa goda o no del privilegio, umilmente prostrato ai piedi della S. V., La supplica a voler benignamente estendere la suddetta Indulgenza a tutte le chiese ed a tutti gli oratorii pubblici dei Monaci e delle Monache dell'Ordine Benedettino, senza distinzione di colore o di famiglia. Che della grazia ecc.

Ex audientia SSmi., die 2 Septembris 1907.

SSmus. D. N. Pius PP. X praedictam plenariam Indulgentiam benigne extendere dignatus est ad omnes ecclesias et ad universa publica Oratoria, tam Monachorum quam Monialium, Ordinis S. Benedicti, nulla facta distinctione formae et coloris habitus, vel familiae, servatis conditionibus in rescripto S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, d. d. 27 Februarii huius decurrentis anni enunciatis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 2 Septembris 1907.

Pro Emo. Card. Praefecto,

Fr. H. M. GOTTI.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

PAPAL LETTER.

Letter of His Holiness Pope Pius X. to Abbot Gasquet.

EPISTOLA

GRATULATORIA QUA NONNULLA PRIVILEGIA INDULGENTIASQUE
PONTIFEX LARGITUR IN TRECENTESIMO ANNO AB INSTITU-
TIONE CONGREGATIONIS ANGLO-BENEDICTINAE.

DILECTO FILIO
AIDANO GASQUET ABBATI
ET CONGREGATIONIS ANGLO-BENEDICTINAE PRAESIDI.
LONDINUM.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Tertio exeunte saeculo, postquam nobile istud Gregorii Magni Coenobium initia cepit, iure vos ac merito hanc faustitatem eventus celebraturi propediem estis; quae faustitas recordationem habet rerum, non apud vos tantum, sed late apud catholicos, anglos praesertim, memorabilium. Primum enim revocatur mens ad ea tempora, quum laetissimam institutorum vestrorum segetem, cum ipso catholico nomine, in Anglia immanis clades oppressit: tempora illa quidem religioni calamitosissima, sed maximarum virtutum ornata exemplis, quibus sese et Ecclesiam maiores precipue vestri illustrarunt. Eluxit in his venerabilis vir, Ioannes Roberts, qui, ut plures ex eadem disciplina monachi, primatum Apostolicae Sedis profuso sanguine asseruit; Congregationis Anglo-Benedictinae ornamentum idem et tutela; quo potissimum auctore accedente ope munifica Cavareli, Atrebatensis Abbatis, Gregorianum Coenobium Congregationis reliquiis, velut e naufragio collectis, excipiendis Duaci constitutum accepimus. Prosperae deinceps, adversaeque iterum res vobis consecutae, argumento fuere, provisum esse divinitus, ut bona semina sempiternae Anglorum salutis, a Gregorio profecta, nequaquam interiret penitus, sed tempestatis impulsu vobiscum advecta in Galliam, eadem longo intervallo rursus ad Anglos, novae procellae acta impetu, redirent. Ergo Sodalitium vestrum, aliis alibi apertis domibus,

ipsoque Coenobio, ex auctoritate Pauli V, Pontificis Maximi, tanquam centro et capite instauratae Congregationis facto, sensim visum est, satis diuturno spatio, reviviscere, quoad tutum ei honestumque hospitium Gallia praebuit; ubi vero, non multum a pristina amplitudine et gloria abesse coeperat, maxima illa rerum omnium conversione exterminatum e finibus Galliae, istuc, unde discesserat, remigravit. Ex eo tempore licuit vobis, quasi postliminio reversis, longinquam intermissionem operae studii et contentione sarcire; fundatoque feliciter apud Downside Gregoriano Coenobio, longe lateque ad incrementum religionis humanitatisque christianae beneficam vim, instituto vestro insitam, proferre. Cognitum est, amplissimos viros, optime de Ecclesia meritos, ex isto sanctimoniae sapientiaeque domicilio prodivisse: hodieque id ipsum tum disciplinae integritate, tum studiis et artibus florere, vel Collegium indicat, Coenobio adiectum, ubi virtutum doctrinaeque ornatu lectissimorum adolescentium numerus instruitur. Ad haec et talia recolenda commodam occasionem proximi dies dabunt, eamque non vacuam fructu; vestrorum quippe recte factorum cogitatio et augebit erga vos gratiam bonorum et industriam diligentiamque in vobis exacuet. Nos vero ut eadem solemnia, quibus celebritatem additura est novi eiusque splendidi, ut intelligimus, templi dedicatio, celebriora etiam per Nos fiant, libenter indulgemus vobis, quae infra scripta sunt. Die xix huius mensis, quo die statum festorum triduum incipiet, in festo Sancti Ianuarii liceat vobis ritu votivo in honorem Sancti Gregorii Sacrum facere. Quicumque in Coenobium die xx convenerit, ut Sacro solemniter intersit, is in eum diem lege ieiunii et abstinentiae a carnibus solutum se sciat. Eodem die, festo Sancti Eustachii, solemne Sacrum ad precandam requiem vitae functis sodalibus, ipsorum propinquis, omnibusque bene de Coenobio meritis, fieri fas sit. Praeterea Venerabili Fratri Cuthberto, Episcopo Neoportensi, potestatem facimus, quam ipse, si impeditus aliqua causa fuerit, delegare alteri possit Pontificia benedictione populum lustrandi. Denique iis, qui solemniter sacro adfuerint, plenariam admissorum veniam sub statis conditionibus semel tribuimus. Praeter haec autem, quae ad tempus collata sunt, duo mansura munera vobis conferimus, unde Nostra erga Ordinem vestrum benevolentia perpetuo constet. Unum est, ut Sacerdotes ad altare maximum sacris operantes, in novo Sancti Gregorii templo, possint, quemadmodum ad altare Gregorianum in Monte Coelio, perlitare. Alterum est, ut adeuntibus die 11 mensis Augusti eadem Coenobii eiusdem et domorum reliquarum quae sunt Congregationis vestrae potiores videlicet Sancti Laurentii ad Ampleforth,

Sancti Edmundi Duacensis, Sancti Michælis ad Belmont et Sanctae Mariae ad Stanbrook, quoniam istae ab aedibus Fratrum Franciscalium admodum distant, Indulgentiam Portiunculae impetrare liceat. Atque haec omnia vobis Apostolica auctoritate concedimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Vos vero ex his voluntatis Nostrae testimoniis sumite animos et efficite, ut sacra ista solemnia tanquam auspiciū studiosioris in officio constantiae vobis attulisse videantur. Caelestium autem donorum, quae adprecamur ex animo, pignus itemque praecipuae Nostrae benevolentiae indicem, tibi, dilecte Fili, universaeque Congregationi Anglo-Benedictinae, praesertim dilectis Filiis Edmundo Ford, Priori Sancti Gregorii, eiusque sodalibus, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Septembris, Natalis Virginis Deiparae anno MDCCCXV, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

DE CONSTITUENDO RUTHENI RITUS EPISCOPO PRO CIVITATIBUS
FOEDERATIS AMERICAЕ SEPTENTRIONALIS.

Delegatio Apostolica, Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis.

Die 16 Septembris, 1907.

Illme. ac Revme. Domine,

Mandatis mihi a SSmo. Domino Nostro Pio Divina Providentia Papa X, commissis, libentissime obsequens, Amplitudini Tuae exemplar Litterarum Apostolicarum, "Ea semper," de constituendo Rutheni Ritus Episcopo in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, heic inclusum, transmittō, cum eas, prout in iisdem Litteris cautum est, nuper sollemniter promulgaverim.

Non dubito quin Amplitudo Tua omnia et singula in eis contenta sedulo observaverit, atque observanda curaverit.

Quaeque fausta a Deo Amplitudini Tuae adprecans, permaneo

Addictissimus in Christo,

L. ✠ S.

† DIOMEDES, Archiep. Larissensis,

Delegatus Apostolicus.

Pius Episcopus.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ea semper fuit Apostolicae Sedis peculiaris quaedam ac propria sollicitudo ut varii ac diversi, quibus exornata splendet catholica Ecclesia, diligenter custodirentur ritus, quemadmodum provisa plura et statuta a Decessoribus Nostri, in venerabiles maxime liturgias Orientalium Ecclesiarum, perspicue declarant.

Iam, illud Nobis enarratur, Ruthenos catholicos, numero plurimos, ex Hungaria et Galicia in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis migrasse, suâque ibi collocata sede, complura sibi comparassetempla, singularum dioecesium probantibus Episcopis, iisdemque, ut par est, sacra eos potestate moderantibus. Dignam sane quae maximis extollatur laudibus, eorum caritatem Praesulum arbitramur, qui, summo studio miraue sollicitudine, catholicis dissimili ritu filiis praesto adhuc esse non desivere. His quidem Episcopis visum est, facilius posse Ruthenorum ritum adservari integrum et consentaneo decore administrari; posse etiam fideles Ruthenos, hoc tali accedente praesidio, efficacius contra pericula armari, quibus, schismaticorum civium opera, patent, si Episcopus iisdem ritus Rutheni detur. Nos autem eiusmodi amplexi sententiam, rationumque, quas supra memoravimus, permoti momentis, id consilii suscepimus, Episcopum diligere ac nominare, qui, potestate opportune instructus, illud enitatur et contendat ut ritus graecus Ruthenus, variis in missionibus Foederatarum Civitatum, incorrupte servetur.

Huius Episcopi munus quo aptius cum ordinaria iurisdictione Episcoporum cohaereat qui iis praesunt dioecesium ubi Ruthenorum sodalitates sitae sunt, quaedam Nos, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum sacri Consilii Christiano Nomini Propagando negotiisque orientalis ritus cognoscendis, statuenda, pro rei gravitate, censuimus, id certo rati, horum adiumento praescriptorum, nihil assequendis commodis obstiturum, animorumque concordiae, quae debet viros e sacro ordine populosque utriusque ritus coniungere, iri consultum.

CAPUT I.

De Episcopo Rutheni Ritus.

Art. I. Nominatio Episcopi Rutheni ritus pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, Apostolicae Sedi est omnino reservata.

Art. II. Episcopus Rutheni ritus sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate est, ac sub vigilantia Delegati Apostolici Washingtoniensis. Iurisdictionem autem ordinariam nullam habet, sed tantummodo sibi delegandam a singulis Ordinariis in quorum dioecesi Rutheni commorantur. Eius officium est circa ritus Rutheni integritatem vigilare, sacra olea pro Ruthenis conficere, ecclesias Rutheni ritus dedicare, Confirmationem Ruthenis ministrare, pontificalia in ecclesiis Ruthenorum peragere, et, prae habitis in singulis casibus litteris dimissoriis Ordinarii loci, clericos Rutheni ritus ordinare.

Art. III. Salvo iure et officio Ordinarii loci, Episcopus Rutheni ritus visitationem missionum Ruthenarum inire poterit, prae habita

in scriptis licentia eiusdem Ordinarii, qui illi conferet facultates quas concedendas iudicaverit.

Art. IV. Episcopus Rutheni ritus in visitatione rationes ab unoquoque rectore missionis exposcet administrationis bonorum missionis eiusdem, curabitque ne rector nomine ac iure proprio ea retineat, pro quorum acquisitione fideles quovis modo subsidia contulerint; simul autem operam dabit, ut iuxta leges sive dioecesanarum, sive constitutas in III Plenario Concilio Baltimorensi, ea bona vel quamprimum transferantur sub nomine Ordinarii loci, vel alio tuto ac legali modo ab eodem Ordinario approbando firmiter adscripta sint et maneant favore missionis.

Art. V. Peracta visitatione, Episcopus Rutheni ritus certiore faciet de statu morali et de oeconomica administratione missionis visitatae Ordinarium loci, qui opportune decernet quae ad bonum missionis in Domino expedire censuerit.

Art. VI. Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum Rutheni ritus et Episcopos dioecesanos, deferantur, in devolutivo tantum, ad Delegatum Apostolicum Washingtoniensem, salva, item in devolutivo, appellatione ad Apostolicam Sedem.

Art. VII. Donec aliter ab Apostolica Sede decernatur, ordinaria residentia Episcopi ritus Rutheni erit in urbe Philadelphia.

Art. VIII. Ad constituendam annuam stipem pro sustentatione Episcopi ritus Rutheni concurrere debent singulae Ruthenae communitates, eidem solvendo annuam praestationem instar cathedratici, iuxta praxim et normas vigentes in dioecesibus Civitatum Foederatarum, in quibus missiones Ruthenae constabilitae inveniuntur.

Art. IX. Episcopus Rutheni ritus tertio quoque anno plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali Missionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico Washingtoniensi, qui eam transmittet ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis.

CAPUT II.

De Clero Rutheno.

Art. X. Cum nondum habeantur sacerdotes Rutheni, qui vel nati vel saltem educati sint in Civitatibus Foederatis Americae; Episcopus Rutheni ritus, praevia intelligentia cum Delegato Apostolico et Ordinario loci, omni studio curet, ut seminarium pro clericis Ruthenis in iisdem Civitatibus Foederatis educandis quantocius instituat. Interim vero clerici Rutheni in seminaria latina locorum, in quibus nati sunt, vel domicilium acquisiverunt, admittantur. Sed non nisi caelibes, sive nunc sive in posterum, ad sacros Ordines promoveri poterunt.

Art. XI. Antequam habeatur numerus sufficiens presbytero-

rum Ruthenorum, qui in Civitatibus Foederatis Americae educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio Ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarius loci, audito, si ita existimaverit, Episcopo Rutheni ritus, idoneum sacerdotem Ruthenum illic iam morantem ipsi praeficiat. Si nullus idoneus in dioecesi habeatur, ipsum postulet ab alio Episcopo Civitatum Foederatarum. Si vero nullum inibi inveniat, de re certiore reddat S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, cui curae erit providere.

Art. XII. Sacerdos eligendus, sit caelebs, vel saltem viduus et absque liberis, integer vitae, zelo ac pietate praeditus, satis eruditus, lucri non cupidus, et a politicis factionibus alienus.

Art. XIII. Sacerdoti ex Europa vocato praedicta Sacra Congregatio tradet documentum, quo ipsi concedatur facultas se conferendi in Civitates Foederatas Americae ad assumendam spirituales curam alicuius determinatae missionis Ruthenae.

Art. XIV. Presbyteris Ruthenis in America commorantibus penitus interdicitur, ne baptizatos Sacro Chrismate consignent; et si secus fecerint, sciant se invalide egisse.

Art. XV. Quilibet Ruthenus sacerdos ex Europa proveniens et in Civitatibus Foederatis Americae commorans pro fidelium Rutheni ritus spirituali cura, semper manebit incardinatus dioecesi originis; attamen Episcopus Ruthenus originis iurisdictionem suam in eum nullimode exercebit quoadusque ipse in Civitatibus Foederatis commorabitur. In patriam autem supra dicti sacerdotes redire nequeant absque expressa licentia Ordinarii Americani, in scriptis concedenda, in cuius dioecesi sacrum ministerium exercent. Quod si de una in aliam dioecesim Civitatum Foederatarum se conferre cupiant, requiritur consensus Episcopi *a quo et ad quem*, opportune facto certiore Episcopo Rutheni ritus.

Art. XVI. Laici Rutheni candidati ad Ordines, cuiuscumque originis et domicilii fuerint, illi dioecesi incardinati censeantur, a cuius Ordinario acceptati fuerint, et pro qua emiserint iuramentum missionis seu stabilitatis ad inserviendum in dicta dioecesi. Ab ea autem dioecesi, in qua incardinati sunt, in aliam transire nequeant, nisi praehabito consensu Ordinarii *a quo et ad quem*, ac opportune reddito certiore Episcopo Rutheni ritus.

Art. XVII. Omnes rectores missionum Ruthenarum Civitatum Foederatarum sunt amovibiles ad nutum Ordinarii loci, opportune effecto certiore Episcopo Rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. XVIII. Datur tamen facultas presbytero amoto appellationem interponendi, in devolutivo, contra decretum remotionis ad tribunal Delegati Apostolici Washingtoniensis, qui intra tres

menses a die appellationis causam definire curabit, salvo semper iure recursus ad S. Sedem, item in devolutivo.

Art. XIX. Sustentationi sacerdotis providebit communitas Ruthena iuxta praxim et normas dioceseos, in cuius finibus communitas invenitur.

Art. XX. Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario loci iuxta consuetudines locales, audito Episcopo Rutheni ritus.

CAPUT III.

De Fidelibus Ruthenis.

Art. XXI. Fideles Rutheni iis in locis in quibus nulla ecclesia nec sacerdos ritus eorum habeatur, ritui latino sese conformabunt; eisque eiusmodi facultas conceditur etiam ubi propter longinquitatem Ecclesiae suae non eam possint nisi cum gravi incommodo adire: quin tamen ex hoc ritus mutatio inducatur.

Art. XXII. Laici Rutheni, qui verum et stabile domicilium in Civitatibus Foederatis constituerint, transire possunt ad ritum latinum, obtenta tamen prius, in singulis casibus, venia Apostolicae Sedis.

Art. XXIII. Si contingat ut hi quandoque in patriam revertantur, tunc etsi ex Pontificio rescripto ritum latinum susceperint, licebit eis, Apostolica Sede exorata, ad pristinum ritum redire.

Art. XXIV. Non licet Missionariis latinis, sub poenis ab Apostolica Sede decernendis, quempiam Ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere.

Art. XXV. Fideles Rutheni, etiam in locis in quibus adest presbyter Rutheni ritus, apud sacerdotem latinum ab Ordinario loci approbatum peccata sua confiteri, et beneficium sacramentalis absolutionis valide et licite obtinere possunt.

Sciant autem sacerdotes Rutheni ritus, censuras et reservationes casuum in diocesi, in qua ministerium exercent, sive vigentes sive ferendas, clerum etiam et populum eiusdem Rutheni ritus afficere.

Art. XXVI. Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis, et festis in utroque ritu in eandem diem incidentibus, sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco existat, Rutheni interesse tenentur.

CAPUT IV.

De Matrimoniis Inter Fideles Mixti Ritus.

Art. XXVII. Matrimonia inter catholicos Ruthenos et latinos non prohibentur; sed maritus latinus uxoris Ruthenae ritum non sequatur, nec uxor latina ritum mariti Rutheni.

Art. XXVIII. Si vero vir latinus in uxorem duxerit mulierem Ruthenam, integrum erit mulieri ad ritum latinum, sive in actu matrimonii, sive postea, durante matrimonio, transire, quin electionem semel factam, vivente viro, revocare possit.

Art. XXIX. Soluta matrimonio, mulieri Ruthenae, quae ritum mariti amplexa fuerat, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

Art. XXX. Uxori Ruthenae quae maluerit in proprio ritu permanere, licebit tamen in ieiuniis et festis suum maritum sequi.

Art. XXXI. Vir Ruthenus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi, eique pariter licebit in ieiuniis et festis ritui uxoris latinae sese conformare. Soluta matrimonio, poterit in ritu latino permanere, vel ritum Ruthenum resumere.

Art. XXXII. Matrimonium inter virum latinum et Ruthenam mulierem latine coram parochio latino contrahatur; inter virum vero Ruthenum et mulierem latinam contrahi potest vel Ruthene coram parochio Rutheno, vel latine coram parochio uxoris.

Art. XXXIII. Si uterque contrahens in suo ritu permaneat, competit presbyteris respectivi ritus officium parochi erga illos exercere in rebus quae hic recensentur, nempe: in communionis paschalis, viatici et extremae unctionis administratione, in adstantia in mortis articulo, in exequiis persolvendis atque in humatione: excepto necessitatis casu.

Art. XXXIV. Nati in Civitatibus Foederatis Americae ex patre latino et matre Ruthena, latino ritu sunt baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus.

Art. XXXV. Si vero pater sit Ruthenus, et mater latina, liberum erit eidem patri, quod proles vel ritu Rutheno baptizetur, vel etiam ritu latino, si in gratiam uxoris latinae ipse consenserit.

Art. XXXVI. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritu sunt legitime baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus latini vel Rutheni professio, ita ut ad latinum ritum spectent qui latino ritu baptizati sunt; qui vero ritu Rutheno sunt baptizati, in Ruthenorum numero sint habendi.

Excipitur casus quando iis Baptismus alieno ritu collatus fuerit ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, vel in loco, in quo parentes tempore nativitatis morabantur, parochus proprii ritus non adesset; tunc enim ad parochum ritus, quem parentes profitentur, pertinebunt, iuxta superius statuta.

In charitate Christi, qua fideles omnium rituum peramanter complectimur, haec statuenda censuimus pro spirituali bono animarumque salute fidelium Ruthenorum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis commorantium; ac minime dubitamus quin ipsi Nostram hanc et Apostolicae Sedis erga eos sollicitudinem perfecta obedientia, imo et grato animo excipiant.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam, licet privilegiata, ex caussa, colore et capite, nulloque unquam tempore de aliquo nullitatis vitio seu defectu inexcogitato et substantiali notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse; sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter statuendi et interpretandi facultate: irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilem Fratrem Diomedem, Archiepiscopum titularem Larissensem, Nostrumque apud Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Delegatum, executorem praesentium Apostolica auctoritate constituimus, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, ab eo subdelegandum, praesentes Nostras Litteras sollemniter publicet, ac omnia et singula in eis contenta a cunctis observanda curet. Eidem vero praecipimus ut singulorum actorum in praesentium evulgatione et executione exemplar authenticum intra sex menses ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in Archivo S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Orientalis Ritus adservari mandamus.—Non obstantibus Decessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus, etiam in generalibus et provincialibus Conciliis editis, et quarumcumque Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, aliisque quibuslibet, etiam Motu proprio, in contrarium praemissorum concessis, licet expressa mentione dignis; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum his litteris inserta essent, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Harum vero transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eandem ubique fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, decreti, mandati, voluntatis, exemptionis, derogationis, indulti, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimonongentesimo septimo, decimo octavo calendae Iulias, die festo S. Basilii Magni, Pontificatus Nostri anno quarto.

A. Card. DI PIETRO Pro-Dat.—R. Card. MERRY DEL VAL.
VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi. Reg. in Secret. Brevium. V. CUGNONIUS.

MOTU PROPRIO.

De Sententiis Pontificalis Consilii rei biblicae provehendae praepositi ac de censuris et poenis in eos qui praescripta adversus modernistarum errores neglexerint.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE X

Praestantia Scripturae Sacrae enarrata, eiusque commendato studio, Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus*, datis 14 Calendas Decembris a. 1893, Leo XIII., Noster immortalis memoriae Decessor, leges descripsit quibus Sacrorum Bibliorum studia ratione proba regerentur; Librisque divinis contra errores calumniasque Rationalistarum assertis, simul et ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae *critica sublimior* audit; quas quidem opiniones nihil esse aliud palam est, nisi *Rationalismi commenta*, quemadmodum sapientissime scribebat Pontifex, *e philologia et finitimis disciplinis detorta*.

Ingravescenti autem in dies periculo prospecturus, quod inconsultarum deviarumque sententiarum propagatione parabatur, Litteris Apostolicis *Vigilantiae studii*que memores, tertio Calendas Novembris a 1902 datis, Decessor idem Noster, Pontificale, Consilium seu *Commissionem* de re Biblica condidit, aliquot doctrina et prudentia claros S. R. E. Cardinales complexam, quibus, Consultorum nomine, complures e sacro ordine adiecti sunt viri, e doctis scientia theologiae Bibliorumque Sacrorum delecti, natione varii, studiorum exegeticorum methodo atque opinamenti dissimiles. Scilicet id commodum Pontifex, aptissimum studiis et aetati, animo spectabat, fieri in Consilio locum sententiis quibusvis libertate omnimoda proponendis, expendendis disceptan-

disque; neque ante, secundum eas Litteras, certa aliqua in sententia debere Purpuratos Patres consistere, quam quum cognita prius et in utramque partem examinata rerum argumenta forent, nihilque esset posthabitu, quod posset clarissimo collocare in lumine verum sincerumque propositarum de re Biblica quaestionum statum: hoc demum emenso cursu, debere sententias Pontifici Summo subiici probandas, ac deinde per-vulgari.

Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus, qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrept, falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque, malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par este obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatase exceperint aut excipiant.

Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum, quo offendant, caeteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronunciatis.

Ad haec, audentiores quotidie spiritus complurimum modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum *Lamentabili sane exitu*, quod V Nonas Iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis iubentibus, edidit, verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis*, datis die 8 mensis Septembris istius eiusdem anni, Auctoritate Nostra Apostolica iterum confirmamusque tum *Decretum* illud Congregationis Sacrae Supremae, tum *Litteras* eas Nostras *Encyclicas*, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatas tueatur, censura ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Aposto-*

licae Sedis irrogata, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommunicatio salvis poenis est intelligenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque haeresum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime quum modernistarum errores, id est *omnium haereseon collectum*, propugnant.

His constitutis, Ordinariis dioecesium et Moderatoribus Religiosarum Consociationum denuo vehementerque commendamus, velint pervigiles in magistros esse, Seminariorum in primis: repertosque erroribus modernistarum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad praescripta Sedis Apostolicae, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus interdicant: a sacris item ordinibus adolescentes excludant, qui vel minimum dubitationis iniiciant doctrinas se consecrari damnatas novitatesque maleficas. Simul hortamur, observare studiose ne cessent libros aliaque scripta, nimium quidem percrebrescentia, quae opiniones proclivitatesque gerant tales, ut improbatis per Encyclicas Litteras Decretumque supra dicta consentiant: ea submovenda curent ex officinis librariis catholicis multoque magis e studiosae iuventutis Clerique manibus. Id si sollerter accuraverint, verae etiam solidaeque faverint institutioni mentium, in qua maxime debet sacrorum Praesulum sollicitudo versari.

Haec Nos universa rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 18 mensis Novembris a. 1907, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.

THE ROMAN VICARIATE.

Libellus cui titulus: "Il Programma del Modernisti," proscribitur, et auctores ceterique cooperatores excommunicationis soli Pontifici reservatae afficiuntur.

DECRETUM.

Petrus Tituli SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Cardinalis Respighi SS. D. N. Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae eiusque Districtus Iudex Ordinarius, etc.

Cum Nobis constet librum, qui inscribitur "*Il Programma dei Modernisti*"—Risposta all'Enciclica di Pio X *Pascendi Dominici gregis*—edito in Roma dalla Società internazionale scientifico-religiosa coi tipi di A. Friggeri—Via della Mercede 28, 29 in Roma "in hac Urbe venundari; cumque eius lectionem Christifidelibus scandalo et detrimento esse vehementer putemus; eum Auctoritate Nostra Ordinaria, proscribimus atque proscriptum declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae Iurisdictioni subiecto eundem librum vendere aut legere vel retinere liceat sub culpa lethali.

Cum porro huius libri auctores et scriptores in adserta *Responsione* acriter tueantur systema, quod in Encyclica *Pascendi dominici gregis*—*omnium haereseon conlectum*—esse affirmatur; SS. Dominus Noster Pius PP. X per hoc Decretum auctores et scriptores, ceterosque omnes, qui quoquomodo ad hunc librum conficiendum operam contulerunt, Excommunicationis poena afficit, a qua Sibi soli absolutionem reservat. Addit SS. Dominus Noster, hoc Decretum valere perinde ac si traditum esset in manus uniuscuiusque ex dictis auctoribus et scriptoribus, qui si sint sacerdotes et actum Ordinis exerceant, in Irregularitatem incurrunt.

Nil autem satius esset, ait SSmus., quam ut omnes Episcopi, in sua quisque Dioecesi, hanc proscriptionem indicarent et censuram promulgarent.

Datum Romae, die 29 Octobris 1907.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vic.

FRANCISCUS Can. FABERI, *Secretarius*.

ALLOCUTION.

Pii PP. X ad Legationem extraordinariam Abyssiniae.

Sono veramente lieto dei sentimenti, che in nome vostro e di Sua Maestà il Re dei Re, Signore e Imperatore dell'Etiopia, colla guida del Santo Vangelo, avete espressi di rispetto e di ossequio alla Cattedra di San Pietro; e successore benchè indegno del Santo Apostolo, mi gode l'animo di esternare a Voi e al Vostro Gran Signore la mia riverente ammirazione.

Padre dei popoli del mondo, mentre stendo a tutti le braccia, e a tutti indirizzo la mia parola per chiamarli alla luce della verità, faccio questo con affetto particolare col grande Imperatore dell'Etiopia informato a tanta riverenza verso la Chiesa cattolica, della quale riconosce la dignità, il potere e per le divine promesse la certa durata.

Mi è cara poi in modo speciale questa occasione per rinnovare la mia gratitudine e riconoscenza al grande Imperatore per l'alta protezione ch'egli dona ai miei Missionari, che predicano nell'immenso suo impero il vangelo di Gesù Cristo. Assicuratelo pure il vostro gran Signore, che i buoni Padri non saranno mai ingrati alla sua protezione e ai suoi favori, e lontani affatto da ogni ribellione, nemici d'ogni insidia, d'ogni inganno e d'ogni astuzia, predicando ai suoi popoli la dottrina del Vangelo, che è dottrina di carità, d'umiltà e di perfetta soggezione alle autorità costituite, renderanno a lui i migliori servigi, preparandogli sudditi fedeli, soldati valorosi e forti campioni per sostenere la sua autorità e difendere il suo trono.

E oltre questo vantaggio non gli mancheranno a grande compenso le divine benedizioni per la sua prosperità, benedizioni che auguro di cuore a lui gran Signore, alla Imperatrice, ai Principi della sua Casa e del suo Impero, e a Voi in modo particolare, che vi farete interprete fedele di questi miei sentimenti.

Tu sei sublime per nome e per fama grande Apostolo. Tu figlio e seguace dell'Apostolo S. Pietro e delle sue orme imitator fedele, Tu siedi sulla sua sublime ed eccelsa Cattedra che è in Roma e colla tua predicazione riempi l'Italia e tutte le altre nazioni.

A Te, Padre venerato, che sei estraneo ad ogni astuzia e contesa mi spedisce il mio Signore ed Imperatore dell'Etiopia. Imperocchè Tu sei il fondamento della Chiesa, Tu la pietra della Fede Cristiana, siccome nell'Evangelo il N. S. G. Cristo ha detto al Tuo padre S. Pietro (Matt. XVI-18-19)—Tu sei

Pietro e su questa pietra io fonderò la mia Chiesa e le porte d'inferno non prevarranno contro di essa.—E a te darò le chiavi del regno dei cieli e qualunque cosa avrai tu legato su la terra sarà legata in Cielo e qualunque cosa avrai tu sciolto su la terra sarà sciolta in Cielo.—E presso S. Giov. XXI-15-17 si dice a Pietro: Pasci le mie pecorelle—Pasci le mie agnelle. In un altro passo sta scritto (Matt. 18-16)—*In ore duorum vel trium stat omne verbum.*

E senza dubbio pertanto che fra tutte le altre Cattedre la tua è la più sublime, ed eccelsa è la Tua dignità, dappoichè sei Tu che siedi sulla Cattedra del Principe degli Apostoli.

E per questa ragione che il mio Signore ed Imperatore a Te mi manda onde inchinarmi dinnanzi al Tuo Trono e baciare col cuore e col labbro le tue sacre mani. E sebbene Sua Maestà imperiale sia lungi col corpo, è a Te vicina col cuore e colla mente. A questo fine exiandio mi manda a Te per parlare cioè in sua vece e nella sua persona godere del Tuo aspetto, ed ancora per visitare Roma e le molte cose che in essa si ammirano ed in modo speciale le Tombe degl'illustri Santi Apostoli Pietro, erede delle chiavi del regno de' Cieli, e di Paolo detto il Vaso d'elezione da G. Cristo medesimo.

Le virtù pertanto e la forza di questi Apostoli e il dono del Tuo aiuto, incominciando sin da questo giorno sian sempre col mio Signore l'Imperatore Menelik e con me!

DECREES.

CONGREGATION OF THE INQUISITION.

Prorsus amoveantur a Seminariis necnon ab aliis studiorum domibus Moderatores et Magistri qui modernismi erroribus sunt infecti, et alumni prohibentur perniciosi libelli.

AD REVERENDISSIMOS LOCORUM ORDINARIOS FAMILIARUMQUE
RELIGIOSARUM MODERATORES.

Recentissimo Decreto "*Lamentabili sane exitu*" die 3 Iulii c. a. ab hac S. Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis, iussu D. N. Pii Papae X, notati atque proscripti sunt praecipui quidam errores qui nostra aetate a scriptoribus, effrenata cogitandi atque scrutandi libertate abreptis, sparguntur, et altioris scientiae fuco et specie propugnantur.

Quum autem errores occulti serpere, et, quod maxime luctuosum est, incautos animos, iuvenum praesertim, occupare soleant, ac semel admissi difficillime radicitus ex animo evelantur, immo, etiam eradicati, plerumque sponte sua repullulent, opportunum visum est Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus, in rebus fidei et morum una mecum Inquisitoribus Generalibus, Decreto supra laudato monita quaedam adiungere, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobando erroribus sibi proposuerat, consequendum.

Memores igitur imprimis sint ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum saecularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus, Lyceis, Gymnasiis aliisque educationis collegiis vel institutis, a iuvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Necessarium pariter erit interdicere, praesertim Seminariis alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici iuris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videatur, nisi de consensu Ordinarii.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reproarent atque reiicerent.

His autem pro zelo, quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adicere non omittant consilia ac remedia quae pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna iudicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 28 Augusti 1907.

S. Card. VANNUTELLI.

CONGREGATION OF BISHOPS AND REGULARS.

Transitus ad Strictiorem Religionem.

Moniales Monasterii Incarnationis Abulae, Ord. Carmelitarum Calceatarum consilium inivere religionem discalceatarum amplectendi, cui consilio quatuor tamen ex 18 religiosis obstiterunt. Res delata est huic S. C. quae de more plenam informationem a Procuratoribus Generalibus utriusque Ordinis exquisivit et insuper vota Archiep. Toletan. et Episcopi Malacen. qui a. 1890 regimen dioec. Abulensis susceperat. Archiep. Toletan. petitioni substantialiter favet, at cavendum insinuat dissentientes moniales ad alterum sui sui Ordinis monasterium transferendas esse. Episcopus vero Malacen. rem pluribus perpensis, declarat : 1° sub aspectu mystico seu historico res immutandas non esse, quippe Monast. Incarnationis ubi S. Theresia ante Discalceationem plurimum commorata est, tali historiae et asceseos splendore illustratur, ut sane in obscuriorem et strictiorem formam iuxta discalceationis rituali redactum, plurimis imminueretur. 2° Neque sub aspectu monastico, maioris scilicet perfec-

tionis, res urget : quam ut uterque Procurator Generalis confirmat, abstractione facta ab unius alteriusve monialis peculiaribus necessitatibus, non videtur id consilii ineundum esse, quod nec ipsa S. Reformatrix nec quae per tria saecula moderatrices successerunt, necessarium iudicarunt. Quin immo ipsa S. Theresia, reformatione peracta, hoc monasterium iterum petiit, in eoque absque ulla immutatione ut Priorissa degit. 3° Demum sub aspectu *domestico* domus monasterii utique vetusta sed neutiquam collabens est neque rei familiaris angustiae per hanc innovationem satis provisum iri. Quibus positis dubio :

“ Se e come debba accettarsi la domanda fatta dalle Carmelitane calzate del Monastero della Incarnazione nella dioc. di Avila in Ispagno di abbracciare la regola delle Carmelitane Scalze nel caso.”

Emi. Patres in Congr. Gen. 7 Iunii 1907 responderunt :

“ *Pro nunc non expedire.*”

An Regulares Missam celebrare valeant in festis, tempore paroecialis, et an ac quomodo Processionibus interesse teneantur.

Episcopus dioecesanus, quum rescivisset, Fratres Conventuales civitatis vulgo *Pirano* nedum diebus festis primam Missam litare eodem tempore quo in collegiata ecclesia celebratur Missa paroecialis, verum etiam Processionibus Rogationum nullatenus interesse, aliis vero Processionibus accedere e via conventui proxima ; litteris diei 17 Dec. 1903, dictos Religiosos adhortatus est ut in posterum diebus dominicis et festis primum Sacrum peragerent post expletam parochialem Missam ; atque ad iuris tramitem intervenirent omnibus Processionibus loci solemnibus, ne Rogationibus quidem exceptis, accedendo ab ipsa collegiata ecclesia.

Sed renuentibus PP. Conventualibus, idem Episcopus, die 19 Ian. 1904, huic S. C. quaestionem detulit solvendam. Dein actum quidem fuit rem componere ex bono et aequo, sed quum id incassam cessisset, Procurator Generalis PP. Conventualium, die 6 Maii 1906, institit, ut controversia dirimeretur, iuris ordine servato.

DUBIA.—I. An in loco Pyrrhano, dioecesis Tergestinae, approbanda sit consuetudo, vi cuius RR. PP. Conventuales Missam in diebus festis celebrent tempore Missae paroecialis, in qua locum habet Homilia.

II. An PP. Conventuales Pyrrhani teneantur interesse Processioni Rogationum, cui intervenit Capitulum, clerus et archipresbyter localis.

III. An, quum PP. Conventuales intersunt Processionibus, accedere debeant Processioni in ecclesia parochiali, vel potius in via conventui proxima, prout modo in usu habent.

RESOLUTIONES.—Sacra C. EE. et RR., omnibus rite perspectis, die 18 Ianuarii 1907 respondendum mandavit :

Ad I. Reformato dubio: An RR. PP. Conventuales in loco Pyrrhano, dioecesis Tergestinae, ius habeant celebrandi Missam diebus festivis tempore Missae parochialis, in qua locum habet Homilia :

Affirmative et ad mentem.

Ad II. Ad mentem.

Ad. III. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.

CONGREGATION OF RITES.

De Typica Editione Vaticana Gradualis Romani.

Hanc Vaticanam Gradualis Sacrosanctae Ecclesiae Romanae Editionem, Sacra Rituum Congregatio, attentis atque confirmatis Decretis suis, datis diebus xi et xiv Augusti anni 1905, uti authenticam ac typicam declarat et decernit ; quippe quae pro Missis de Tempore et de Sanctis, necnon et pro Missarum Ordinario, Cantum gregorianum exhibet, prout is fuit a SS. D. N. Pio Papa X feliciter restitutus, ipsiusque iussu et auctoritate diligenter ac rite revisus et recognitus. Ea quidem fuit totius operis norma, quam varia plane instituerant et iniunxerant documenta Pontificia, et perspicue rursus ac plenius exponit et inculcat Commentarium de ratione editionis Vaticanae Cantus Romani quod Graduali praemittitur.

Haec autem Editio, ut in usum apud omnes ecclesias hic et nunc deveniat ita sancitum est, ut caeterae quaelibet Cantus Romani Editiones, ad tempus tantummodo iuxta Decreta praedicta toleratae, nullo iam in futurum iure gaudeant, quo typicae substitui possint.

Quo vero forma Cantus aptius posset restitui, restitutae sunt etiam nonnullae hic illic quoad verba lectiones, quamvis ab hodierno textu Missalis alienae. Quarum restitutio, quum ab ipso Summo Pontifice, in audientia die xiv Martii anni 1906 Emo. Cardinali Pro-Praefecto huius Sacrae Congregationis indulta, expresse fuerit approbata atque praescripta, in futuris Gradualis Editionibus omnino erit observanda.

Iuxta tenorem quoque utriusque Decreti suprascripti, ad eos tantum editores seu typographos, quibus id a Sede Apostolica

conceditur, pertinet privilegium evulgandi eundem Cantum, qui, quum sit vetus Ecclesiae Romanae patrimonium, eiusdem prorsus extat proprietas. Cautum est insuper, ne quid quovis praetextu editores praesumant addere, demere aut mutare, quod ipsius Cantus integritati atque uniformitati discrimen inferat. Qualiscumque igitur Editio Cantus gregoriani ad usum liturgicum destinata, ut sit legitima, et ab Ordinario queat permitti, debet esse typicae huic omnino conformis, quoad ea praesertim, quibus sive in praefatis Decretis, sive in alio diei xix Februarii anni 1906 specialiter provisum est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die vii Augusti, 1907.

L. ✠ S.

C. Card. CRETONI, S.R.C. Praefectus.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secretarius.

Solvuntur dubia circa incensationem in expositione

SS. Sacramenti.

Hodiernus Calendarista dioecesis Derthonensis, de consensus sui Rmi. Episcopi a S. R. C. sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit, nimirum :

I. Quoties incensandum SS^mum. Eucharistiae Sacramentum, si hoc exponatur pro benedictione ?

II. Quum SS^mum. Sacramentum a mane usque ad vespas maneat expositum celebrans qui cum ministris accedit ad altari expositionis post praescriptam reverentiam et antequam aliquid cantetur debetne facere incensationem ?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita respondendum censuit :

Ad 1^{am}. Iuxta responsum diei 14 Maii 1907, in *Pinerolien.* nempe: Pro expositione in pyxide incensationem non requiri. Quoad expositionem vero in ostensorio duplicem incensationem requiri, unam post expositum SS^mum. Sacramentum, antequam incipiantur preces, alteram ad stropham *Genitori*, etsi inter expositionem et *Tantum ergo* nullae interponantur preces; et haec est praxis Ecclesiarum Urbis.

Ad 2^{am}. Negative.

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1907.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, S.R.C. Praefectus.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., S.R.C. Secretarius.

Decretum S. Pontificis quo festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae extenditur ad Universam Catholici Orbis Ecclesiam.

Immaculatae Mariae Virginis vulgatum nomen *de Lourdes*, e celeberrimis ipsius Deiparae apparitionibus quae prope Lapurdum, Tarbiensis Dioecesis oppidum, anno quarto a dogmatica definitione de Immaculato Conceptu eiusdem Virginis evenerunt, quum in dies magis magisque inclaruerit, simulque Fidelium pietas et cultus ob innumera exinde accepta beneficia, saepissime additis prodigiis, ubique terrarum mirifice adauctus sit; multi Romanae Ecclesiae Patres Purpurati, ac plurimi sacrorum Antistites et Praesules e cunctis orbis regionibus, praeunte Episcopo Tarbiensium, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X supplicia vota enixe porrexerunt rogantes, ut festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae, vulgo *de Lourdes*, a fe. re. Leone XIII petentibus tantummodo Ecclesiis et Religiosis Familiis concessum, ad universam Catholici Orbis Ecclesiam suprema Auctoritate Sua benigne extendere dignaretur.

Quare Sanctitas Sua, exceptis libentissime eiusmodi precibus, Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, qui Lapurdense Sanctuarium permultis attributis privilegiis cohonestarunt; innumeris quoque peregrinationibus permotus, quae, mira sane Fidei professione, frequentissimo Fidelium turmarum concursu nunquam intermisso ad memoratum Sanctuarium peraguntur: maxime vero pro Suamet erga Dei Genitricem primaeva labe expertem constanti pietate, ac spe fretus ob ampliorem Immaculatae Virginis cultum, rebus in arctis Christi Ecclesiae adauctum iri potens Ipsius opiferae auxilium; festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae, quod a plurimis Dioecesibus et Regularibus Familiis iamdiu celebratur, inde ab anno insequenti, qui a Deiparae Virginis ad Gavi Fluminis oram apparitionibus quinquagesimus erit, vel a nongentesimo nono supra millesimum, in universali Ecclesia sub ritu duplici maiori, cum Officio et Missa iamdiu approbata, undecima die Februarii quotannis recolendum iussit: servatis Rubricis et Decretis. Praesens vero Decretum per me infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum expediri mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 13 Novembris 1907.

L. ✠ S. SERAPHINUS Card. CRETONI, S.R.C. Praefectus.
DIOMEDES PANICI, Arch. Laod., S.R.C. Secretarius.

*Die 11 Februarii in festo Apparitionis B. M. V.
Immaculatae duplex maius.*

Officium et Missa propria, a S. R. C. approbata, die 11 Iulii 1890, cum sequenti additione ad calcem VI. Lectionis: "Tandem Pius X

Pontifex Maximus, pro sua erga Deiparam pietate, ac plurimorum votis annuens sacrorum Antistitum, idem festum ad Ecclesiam universam extendit."

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente me infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptam additionem inserendam Officio proprio de Apparitione B. Mariae Virginis Immaculatae, benigne approbare dignatus est. Die 27 Novembris 1907.

L. ✠ S. SERAPHINUS Card. CRETONI, S.R.C., *Praefectus*.
DIOMEDES PANICI, Arch. Laod., S.R.C., *Secretarius*.

De valida consecratione cuiusdam altaris.

Beatissimo Padre,

Il Guardiano dei Frati Minori dimoranti nel Convento di Sant' Antonio in Bologna, premesso il bacio dei Vostri sacri piedi, umilmente dimanda che sia autenticamente sciolto un dubbio sulla validità della consacrazione dell' altare dell' Immacolata, eseguita l' anno scorso 1906 dal Cardinale Arcivescovo Svampa; dubbio che tiene agitati alcuni celebranti per le seguenti ragioni:

1°. Le cose dell' altare sono così disposte, che la mensa o tavola dell' altare è composta di due tavole di marmo, una sovrapposta all' altra, ma così bene unite che ne formano una sola, in modo che non sapendolo, non si crederebbe alla pluralità delle tavole;

2°. La scatola contenente le sacre Reliquie, posta nel centro della tavola, posa sulla seconda tavola, perchè alquanto voluminosa, benchè resti incastonata per la sua massima parte nella tavola consacrata;

3°. Questa mensa così formata posa, oltrechè sul parapetto o pallio dell' altare, su quattro colonnette di marmo, le quali alle due estremità sono prolungate dai relativi capitelli colla piastrella o quadretto di marmo, che unisce la mensa al capitello ed alla colonna mediante un maschio, che congiunge tutte queste parti.

Pertanto l' umile oratore, considerando che (a) la mensa non è rigorosamente una sola, e (b) la mensa non posa immediatamente sulla colonna o base dell' altare, dimanda se la consacrazione dell' altare sia valida, e nel caso negativo come regolarsi e rimediare alla cosa.

Che della grazia ecc.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, attentisque superius expositis una cum Decretis praesertim illo sub n. 3884

Camberien. 8 Februarii 1896 (1), ad propositum dubium de validitate consecrationis supradicti altaris rescribendum censuit: *In casu consecratio altaris valida habenda est*. Atque ita rescripsit.

Die 6 Septembris 1907.

Pro Emo. Dno. Card. Praefecto

Fr. H. M. Card. GOTTI.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Permittitur compositio olei et cerae in lampade Sacramenti.

Hodiernus Episcopus Carcassonen. a Sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

An permitti possit quaedam compositio ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem quae continuo ardere et lucere debet ante altare et tabernaculum ubi asservatur SSmm. Eucharistiae Sacramentum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, propositae quaestioni respondendum censuit: *Affirmative, nihilque obstare in casu*.

Atque ita rescripsit. Die 8 Novembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

DECLARATIO

Decretorum de luce electrica.

Nonnullis Postulatis lucis electricae usum in ecclesia respicientibus Sacra Rituum Congregatio, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, ita respondere censuit:

Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altari iuxta decretum *Natcheten*. 16 Maii 1902, sed etiam loco candelarum vel lampadum quae coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento vel Sacris Reliquiis aut imaginibus Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad prudens Ordinarii iudicium permittitur: dummodo species non habeatur theatralis ad mentem decreti n. 3859 diei 4 Iunii 1895.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 22 Novembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

EDICTUM

Pro perquisitione scriptorum Servi Dei Pii PP. IX.

Avendo la Santità di Nostro Signore Pio Papa X con apposito Decreto del giorno 31 maggio del corrente anno commessa a noi in Roma unitamente a Monsignor Promotore della fede coll'intervento dell'infrascritto Notaro e Cancelliere la perquisizione di tutti gli scritti del Servo di Dio Pio Papa IX, mentre dal suddetto Monsignor Promotore se ne adempiono le ricerche in altri luoghi particolari, in conformità dell'enunciato Decreto, Noi come Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti col presente Editto comandiamo ed ordiniamo a tutte e singole le persone di qualunque stato, grado e condizione, tanto ecclesiastiche secolari e regolari, quanto laiche dell'uno e dell'altro sesso, che ritenessero presso di sè, o in qualunque modo sapessero che da altri si ritengano lettere e scritti di qualsivoglia genere del medesimo Servo di Dio Pio Papa IX, di esibirli e depositarli nel primo caso originalmente negli Atti dell'infrascritto Notaro e Cancelliere, e di denunziare nel secondo caso negli stessi Atti le persone presso le quali attualmente esistano o siansi conservati in passato, e ciò nel termine di due mesi decorrendi dalla data del presente Editto, sotto pena delle censure ecclesiastiche da incorrersi dai trasgressori appena spirato inutilmente il predetto termine.

Il presente Editto pubblicato mediante affissione astringerà ciascuna persona come se le fosse stato personalmente intimato.

Dato dalla Nostra Residenza, questo dì 7 Dicembre 1907.

S. Card. CRETONI, *Prefetto*.

Avv. G. SAVIGNONI, *Notaro, Cancelliere ed Archivista*.

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Pro indulgentia plenaria in fine Missionum valet etiam confessio peracta infra quinque ultimos dies.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter haec exponit :

Saepe ab Apostolica Sede omnibus fidelibus, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum et Spiritualium exercitiorum, quae a sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus habeantur, saltem ultra dimidium temporis interfuerint, aut alias saltem quinque conciones eiusmodi audierint, et benedictioni cum Cruce in postrema concione ab iisdem sacerdotibus impertiendae

devote adstiterint, sub suetis conditionibus indulgentia plenaria concedi solet.

Quum vero inter istas condiciones etiam confessio sacramentalis postuletur, frequenter autem accadat, ut nequeant biduo omnium confessiones audiri, et exinde plures ex fidelibus indulgentiae gratia frustrati evadant; humilis orator generale indultum a Sanctitate Vestra enixe petit, vi cuius confessiones intra ultimos quinque dies praedictarum concionum periodorum peractae a christifidelibus, qui ut supra adstiterint, ipsis pro lucranda ultimo die indulgentia plenaria suffragetur, dummodo ceteras condiciones, in respectivis indultis requisitas, rite adimpleant.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X in audientia habita die 28 Augusti 1907 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 28 Augusti 1907.

Pro Emo. Dno. Card. Praefecto

Fr. H. M. Card. GOTTI.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia pro iaculatoria prece ad Cor Iesu Eucharisticum.

Cor Iesu Eucharisticum, cordis sacerdotalis exemplar, miservere nobis.

Trecentos dies de vera indulgentia in Domino concedimus.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Septembris 1907.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF PROPAGATION OF FAITH.

De praecedentia missionariorum de uno ad alium Vicariatum transeuntium.

Illmo. e Revmo. Signore,

In data 3 Gennaio 1906 alcuni sacerdoti di cotesto Vicariato coll'autorizzazione della S. V. mi proposero dei dubbi relativi

alla precedenza dei Missionari che passano da un Vicariato ad un altro. Tale questione fu proposta all'esame degli Emi. Padri di questa S. Congregazione nell'adunanza generale del 21 Gennaio di quest' anno, e di nuovo nell'altra del 29 Luglio, sotto i seguenti dubbi :

I. Se le primitive patenti di Missionario Apostolico debbano tenersi a calcolo per la precedenza, quando trattasi di un Missionario che passa da uno ad un altro Vicariato ?

Et quatenus negative :

II. Se abbia da accordarsi tale precedenza almeno ai Missionari che vengano trasferiti per il solo bene della Missione *ad quam*, o per causa di malattia o di vecchiaia ?

A tali quesiti, i prelodati Emi. Padri, dopo matura considerazione, stimarono rispondere :

Ad I. Affirmative, *salvis peculiaribus statutis a S. Sede approbatis et dispositionibus S. Congregationis in casibus particularibus.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Tale risposta poi il Nostro S. Padre degnavasi di approvare nell'udienza concessa, il 6 del corr. mese di Agosto, a Mons. Segretario di questa S. Congregazione.

Tanto doveva comunicare alla S. V., e colgo l'occasione per augurarle ogni bene da Dio.

Di S. V.

Roma, 23 Agosto 1907.

Mons. Agapito Fiorentini
Vicario Apost. dello Sciam-si Settentrionale.

Devotissimo Servo

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Prefetto.*
LUIGI VECCIA, *Segretario.*

APPENDIX.

**Exorcismus in Satanam et Angelos Apostatas, iussu Leonis PP.
XIII editus.**

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Ad. S. Michaellem Archangelum.

PRECATIO.

Princeps gloriosissime coelestis militiae, sancte Michael Arch-angele, defende nos in praelio *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus* (Ephes. 6). Veni in auxilium hominum; quos *Deus ad imaginem similitudinis suae fecit*, et a tyrannide diaboli *emit pretio magno* (Sap. 2. I. Cor. 6).—Te custodem et patronem sancta veneratur Ecclesiae; tibi tradidit Dominus animas redemptorum in superna felicitate locandas. Deprecare Deum pacis, ut conterat satanam sub pedibus nostris, ne ultra valeat captivos tenere homines, et Ecclesiae nocere. Offer nostras preces in conspectu Altissimi, ut cito anticipent nos misericordiae Domini, et apprehendas draconem, serpentem antiquum, qui est satanas, ac ligatum mittas in abyssum, *ut non seducat amplius gentes* (Apoc. 20).

EXORCISMUS.

In nomini Iesu Christi Dei et Domini nostri, intercedente Immaculata Virgine Dei Genitrice Maria, beato Michaële Archangelo, beatis Apostolis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, et sacra ministerii nostri auctoritate confisi, ad infestationes diabolicae fraudis repellendas securi aggredimur.

PSALMUS 67.

Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum, a facie eius.

Sicut deficit fumus, deficient, sicut fluit cera a facie ignis, pereant peccatores a facie Dei.

℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae.

℞. Vicit Leo de tribu Iuda, radix David.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

℞. Quemadmodum speravimus in te.

Exorcizamus te, omnis immunde spiritus, omnis satanica potestas, omnis incursio infernalis adversarii, omnis legio, omnis congregatio et secta diabolica; in nomine et virtute Domini nostri Iesu † Christi, eradicare et effugare a Dei Ecclesia, ab animabus ad imaginem Dei conditis ac pretiosi divini Agni sanguine redemptis †. Non ultra audeas, serpens callidissime, decipere humanum genus, Dei Ecclesiam persequi, ac Dei electos excutere et cribrare sicut triticum †. Imperat tibi Deus altissimus †, cui in magna tua superbia te similem haberi adhuc praesumus; *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I. Tim. 2.) Imperat tibi Deus Pater †, imperat tibi Deus Filius †, imperat tibi Deus Spiritus Sanctus †. Imperat tibi Christus, aeternum Dei Verbum caro factum †, qui pro salute generis nostri tua invidia perdit, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem* (Phil. 2), qui Ecclesiam suam aedificavit supra firmam petram, et portas inferi adversus eam nunquam esse praevalituras edixit, cum ea ipse permansurus *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 20). Imperat tibi Sacramentum Crucis †, omniumque christianae fidei Mysteriorum virtus †. Imperat tibi excelsa Dei Genitrix Virgo Maria †, quae superbissimum caput tuum a primo instanti immaculatae suae conceptionis in sua humilitate contrivit. Imperat tibi fides sanctorum Apostolorum Petri et Pauli caeterorumque Apostolorum †. Imperat tibi Martyrum sanguis, ac pia Sanctorum et Sanctarum omnium intercessio †.

Ergo, draco maledicte et omnis legio diabolica, adiuramus te per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum qui *sic...dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Ioan. 3); cessa decipere humanas creaturas, eisque aeternae perditionis venenum propinare: desine Ecclesiae nocere et eius libertati laqueos iniicere. Vade satana, inventor et magister omnis fallaciae, hostis humanae salutis. Da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis; da locum Ecclesiae uni, sanctae, catholicae et Apostolicae, quam Christus ipse acquisivit sanguine suo. Humiliare sub potenti manu Dei, contremisce et effuge, invocato a nobis sancto et terribili nomine Iesu, quem inferi tremunt, cui Virtutes coelorum et Potestates et Dominationes subiectae sunt; quem Cherubim et Seraphim indefessis vocibus laudent, dicentes; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.

R/. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R/. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus coeli Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem; quia non est Deus praeter te, nec esse potest nisi tu creator omnium visibilium et invisibilium, cuius regni non erit finis: humiliter maiestati gloriae tuae supplicamus, ab omni infernalium spirituum potestate, laqueo, deceptione et nequitia nos potenter liberare, et incolumes custodire digneris. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.

Ut Ecclesiam tuam secure tibi facias libertate servire: Te rogamus, audi nos.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris; Te rogamus, audi nos.

(Et aspergatur locus aqua benedicta).

Concordat cum suo originali, asservato penes Secretariam S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae.

In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 7 Ianuarii, 1902.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., S.R.C. Secretarius.

Constitutio Gregorii PP. XIII. qua Rubricae Brevliarii Romani magnopere illustrantur.

GREGORIUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Pastoralis Officii cura nos admonet ut ea, quae magis conducere censemus pro locorum et personarum qualitate, concedamus. Sane licet alias, post Missalis et Breviarii ex Decreto sacri Concilii Tridentini editionem, fel. rec. Pius V. praedecessor Noster, dilecti Nobis filii Ludovici de Torres Malacitani et Camerae Apostolicae clerici, qui tunc ex Hispaniarum regnis, ad quae ab eodem praedecessore pro certis gravibus negotiis ad rempublicam christianam spectantibus missus fuerat Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ipse Ludovicus a viris gravissimis ad hunc effectum a carissimo filio Nostro Philippo Hispaniarum rege catholico deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum regna praedicta

duxerit reformanda et concedenda ; nihilominus quia ut idem Ludovicus Nobis retulit, re ipsa compertum est adhuc aliqua ad Missalis et Breviarii impressionem, quae in illa provincia magnis impensis curantur, desiderari : Nos eius dictis certam adhibentes fidem ; ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio et ex certa scientia Nostra ac de Apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur declaranda duximus et concedenda.

In primus illud Nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cum enim praedecessor Noster praedictus indistincte concesserit, ut ecclesiae Hispaniae possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae illique plures sint numero, ex hoc sequebatur, ut Officium maioris partis feriarum anni omitteretur et ordo Breviarii fere subverteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, et praedecessoris praedicti mentem sano modo interpretantes, declaramus, unamquamque Hispaniae ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius dioecesis sunt naturales, vel eius ecclesiae seu dioecesis sunt patroni, vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu dioecesi requiescant. De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales vel patroni alterius dioecesis etiamsi illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius dioecesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani. Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius dioecesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis intra limites illius dioecesis existentibus, eandem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.

Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales : ita quod omnes ecclesiae et Religiones existentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum Officia, quae sunt : Festivitas Expectationis Dominae nostrae, quae celebratur die xviii mensis Decembris. Et quoniam dicta die iuxta Breviarium Romanum feria habet antiphonas proprias ad Laudes, ne antiphonae praedictae omittantur, et ut festivae singulis annis in illa provincia decantentur : mandamus ut dictae antiphonae feriales quae in die in qua Officium Expectationis celebratur dicendae essent, reponantur die xvii Decembris, omissa ea, quae ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea, quae ad Canticum ponitur in Psalterio : et idem fiat de antiphonis in die sancti Thomae occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando Festum Expectationis huiusmodi in Sabbato venerit ; ut scilicet antiphonae in die sancti Thomae occurrentes, tunc reponantur xvi Decembris, dempta ea quae dicitur ad Canticum, ut supra.

Item festivitas Triumphi Sancti Crucis, quae celebratur die xvi Iulii. Item festivitas sancti Ildephonsi, Archiepiscopi Tole-
tani, Confessoris. Item festivitas sancti Isidori, Archiepiscopi
Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, et recitetur
Credo in celebratione Missae. Insuper celebretur festivitas
sanctae Annae Matris Beatae Mariae Virginis, in omnibus locis,
ubi fuerat ecclesia vel cappella dictae Sanctae ad praesens, vel ubi
aedificabitur ecclesia in futurum. Item concedimus ut quaelibet
ecclesia et monasterium Hispaniae, habens aliquas reliquias
insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti, etiam
alienigeni non existentis in Breviario, vel de quo in dicto
Breviario fit tantum commemoratio, possit illius festivitatem
celebrare et Officium duplex facere, et de alio Sancto eodem die
occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio; si vero fuerit
duplex vel semiduplex, transferatur in primam diem simili
festo non impeditum. Et quoniam in regno Castellae in pluri-
bus ecclesiis celebratur die xxx Decembris Translatio sancti
Iacobi Apostoli, Hispaniarum patroni, praecipuum duplex, et in
Breviario ponitur die xxix festivitas sancti Thomae Archiepis-
copi Cantuariensis et Martyris, semiduplex, et in anno quo
festivitas sancti Thomae occurrit in Dominica, iuxta regulam
Breviarii transfertur in diem sequentem, quo die in eo regno
celebratur supradicta festivitas sancti Iacobi, posteaque per
plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari
festivitas praedicti sancti Thomae: volumus, ut in eo anno
festum ipsum sancti Thomae transferatur ad primam diem
duplici non impeditam quae erit Vigilia Epiphaniae, et tunc de
Vigilia fiat tantum commemoratio: ad Vesperas autem Epipha-
niae nulla fiat commemoratio de festo sancti Thomae praedicti.

Cum vero in ecclesiis et regionibus Hispaniae vigeat con-
suetudo, ut diebus Paschalibus et festivitibus maioribus cele-
bret Missam conventualem Antistes vel alia persona principalis,
et regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus dominicis infra
annum sacerdos, qui celebrabit Missam conventualem, exeat
ante celebrationem Missae cum pluviali vel cappa et cum
ministris ad incipiendum in altari maiori antiphonam *Asperges*, et
aspergendum aqua benedicta populum: concedimus, ut Antistes
seu alia persona principalis celebrans Missam conventualem
praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet
alius simplex sacerdos eius loco, et ut talis sacerdos non deferat
pluviale, sed albam et stolam, vel superpelliceum et stolam, nec
procedat associatus cum ministris, sed solum cum acolythis.

Haec autem omnia et singula, Breviarium et Missale con-
cernentia, per felicitis recordationis Pium V, et Nos concessa pro
Hispaniarum provinciis, volumus ut intelligantur etiam concessa

ecclesiis insularum et terrae firmæ Indiarum dicto regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus ut Missæ Sanctorum, quæ iuxta Motum proprium dicti Pii V, in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per præsentis Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus et indulgemus : non obstantibus præmissis Litteris prædecessoris prædicti in Breviario et Missali, ac regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviariis et Missalibus impressis nec non omnibus et singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus et decretis : quæ omnia Nos ad effectum præsentium in dictis provinciis locum sibi non vindicare decernimus ; ac aliis, quæ dictus prædecessor in suis Litteris obstare non voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentis Litteræ omnibus innotescant, volumus, et districte præcipiendo omnibus et singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, ut illas in cuiuslibet Missalis et Breviarii principio imprimant, et imprimi current ; alias illis non appositis, et impressis præsentis nemini suffragentur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xxx Decembris MDLXXIII, Pontificatus Nostri anno primo.

CAES. GLORIERIUS.

LETTERS.

EPISTOLA

QUA NONNULLAS PONTIFEX INCULCAT PRAEScriptionES IN
UTILITATEM TOTIUS ORDINIS CISTERCIENSIIUM REFORMATORUM
VENERABILI FRATRI AUGUSTINO EPISCOPO TIT. CONSTANTIENSI
ORDINIS CISTERCIENSIIUM REFORMATORUM ABBATI GENERALI

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Inter plura et egregia, quae fel. rec. Leo PP. XIII Decessor Noster in bonum rei christianae perfecit, illud profecto est censendum, quod tres Congregationes Cisterciensium Trappistarum in Ordinem Cisterciensium Reformatorem seu Stricteris Observantiae sub unius Superioris Generalis regimine coëgit. Nos autem magno animi solatio affecti sumus, cum accepimus illam unitatem aequalitatemque disciplinae iam nunc esse omnino perfectam, eamque fructus, Ecclesiae et christiano populo salutare, efferre. Verum, ut bene coepta promoveantur in melius, opportunum Nobis visum est nonnulla praescriptionum inculcare capita his litteris; unde plane intelligere poteritis, quanta vos benevolentia prosequamur, quantoque studio utilitati Ordinis vestri consultum esse velimus.

I. Primum, dilecti filii, quae idem Decessor Noster, praesertim in litteris suis Apostolicis, quarum initium est ‘*Non mediocri*,’ anno MDCCCII die xxx Iulii editis, in gratiam vestri Ordinis decrevit et statuit, ea omnia et singula, auctoritate Nostra Apostolica, approbamus et confirmamus.

II. Deinde vos omnes, Superiores ac subditos, vehementer admonitos volumus ut semper sanctam disciplinam custodientes, ex proprio Ordinis vestri instituto sine intermissione precationi et poenitentiae pro animarum salute incumbatis. Etenim si unquam alias, sane in hac rerum acerbitate, qua Ecclesia Dei premitur, huiusmodi religiosorum hominum officium necessarium est.

III. Praesertim vero vos, dilecti filii, qui eiusdem Ordinis domorum Moderatores estis, magnopere in Domino hortamur, rogamus, obsecramus, ut nihil faciatis reliqui quod ad pristinam

Ordinis dignitatem revocandam pertineat. Itaque pro munere, quod geritis, studete, ut propriae Ordinis leges ubique inviolate servantur; nominatimque haec attendite:

1. Norunt omnes, nihil ad relaxandam regularem disciplinam plus valere, quam nimiam in recipiendis alumnis facilitatem. Quare Superiores, ad quos id spectabit, sedulo curent, ut in posterum nullus admittatur in Ordinem, quin eius utilitati et decori inservire posse aut velle videatur.

2. Summae etiam curae vobis esto ut secundum Ordinis vestri leges recta studiorum ratio vigeat, et ne quis ad maiores Ordines promoveatur, quin studio sacrae theologiae diligenter, ut oportet, operam dederit.

3. Regularis observantia non raro ob id collabi solet, quod Ecclesiae leges atque ipsa religiosorum Ordinum statuta super bonorum administratione non, uti par est, sancte custodiuntur. Quapropter, ad maxima deprecanda mala, omnibus et singulis Superioribus edicimus, ut, quoties agatur de bonis emendis, alienandis, permutandis, de mutuo contrahendo quod decem millia libellarum attingat, de aedificio extruendo, demoliendo, restaurando, aut de alia impensa facienda, extraordinaria et notabili, quae pertineat scilicet ad summam pecuniae dictam, ne quid tale faciant, nisi et habita Capituli Generalis aut Abbatis Generalis venia, et ea fideliter servando, quae Constitutionibus et Decretis Apostolicae Sedis praescripta sunt.

4. Quoniam praesidium valde efficax ad disciplinam regularem conservandam aut instaurandam inest in Visitatione canonica, quae quotannis in singulis Ordinis domibus est peragenda, ideo Visitatores hortamur in Domino rogamusque, ut gravissimum officium suum diligentissime impleant, et de monasteriorum statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico Abbatem Generalem certiores faciant; Superiores autem domorum moneamus, ut Visitatori accuratissimam relationem de statu oeconomico sui quisque monasterii exhibeat.

5. Negotia sive totius Ordinis, sive singulorum vel monasteriorum vel monachorum, quae in Romana Curia expedienda sunt, Procurator Generalis, qui ex principiis iuris communis est gestor negotiorum Ordinis apud Apostolicam Sedem, ipse de mandato Abbatis Generalis solus omnia curet expedienda, deque iis, iniussu suo, cum Cardinalibus aut cum quibusvis Romanae Curiae Officialibus tractare quidquam nemo audeat.

Has leges potissimum sanctas esse vobis volumus: eis autem vos non solum pro vestro erga Vicarium Iesu Christi obsequio, sed etiam pro studio quo Institutum vestrum colitis, fore ut religiose semper obtemperetis, certo scimus.

Auspiciem divinorum munerum et paternae benevolentiae

Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, et Ordini tuo universo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxxi Maii MDCCCcv, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP X.

Pius X Illmum. ac Rmum. Card. Lecot, Archiepiscopum Burdigalen, Legatum renuntiat, ut personam SS. Pontificis gerat, in solemnibus Lapurdi agendis, recurrente 50° anniversario Apparitionum B. M. Virginis, in oppido Lapurdensi, vulgo Lourdes.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Solemnia sacra, quae in mensem Februarium proximum apparantur ad oppidum Lourdes, anno exeunte quinquagesimo ex quo Immaculata Dei Mater mire se illic conspiciendam dedit, etsi audimus magnis piorum studiis celebratum iri, eorum tamen celebritatem Nostra quoque augendam auctoritate ducimus. Etenim, quoniam hoc toto tempore maxima et innumerabilia in salutem populi Christiani beneficia e Lourdensi specu manarunt, ut ibi Beatissima Virgo tamquam fontem benignitatis misericordiaeque suae statuuisse videatur, sane decet ad ea ipsa recolenda pietati communi Nostram antecedere, Nosque apud augustam Ecclesiae Parentem quasi interpretes gratiae publicae existere. Itaque cupimus, ut in eis agendis solemnibus personam Nostram ipse geras; atque his te litteris Legatum Nostrum renuntiamus, hoc addito, ut post Pontificale Sacrum, nomine Nostro benedicas populo: cui benedictioni quotquot intererunt, modo criminum confessione abluti Sancta de altari libaverint, iis damus, ut plenariam de admissis suis veniam impetrent. Tibi autem, Dilecte Fili Noster, auspicem divinorum munerum ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die 24 Decembris a. 1907, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.

*Victori Luciano S. R. E. Pres. Card. Lécot.
Archiepiscopo Burdigalensi.*

Indulgentia plenaria in forma Jubilaei, conceditur omnibus Christifidelibus cryptam vulgo nuncupatam "de Massebielle," Lapurdi sitam, recurrente quinquagesimo anniversario Apparitionis B. M. Virg. Immaculatae, visitantibus.

PIUS PP. X.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Summa Deus hominum miseratione motus, mirifica subinde facit, quibus religionis veritatem adserendo, dum fidelium animos erigit eisque solatium affert, infirmis quoque corporibus medetur. Neque terrarum petentibus, qui sive opibus, sive humana scientia, sive etiam publicis muneribus elati, fidem saepe vel despiciunt, vel ei pro viribus adversantur, sed simplicibus filiis suis et haud raro parvulis arcana Dominus revelat. Ita quidem Lapurdi in Galliis evenit, ubi quinquaginta abhinc annis per sequestrem Virginem divina misericordia manifesta apparuit. Cum enim Deipara labis nescia humili puellae in crypta quae prope illud oppidum patet, ac vulgo *de Massabielle* nuncupatur, sese pluries conspiciendam obtulisset et ipsam atque homines universos esset poenitentiam agere hortata, coelestem hunc visum omnigenis gratiis prodigiisque confirmavit. Unde factum est, ut ad perpetuam portenti memoriam templum, divite ornatu decorum, ibi extrueretur, minoris deinde Basilicae titulo ac privilegiis locupletatum, quo cum pariter atque ad cryptam frequentissimus omni tempore et ex omni natione populi concursus celebraretur Pietatis Matris imploraturi ac saepe exorantis opem. Felix illa civitas unum nunc ex maximis Orbis Sanctuarium, catholicae veritatis testimonium, possidet ac tuetur. Verum cum propediem quinquagesimus agatur annus, a quo ob tam mirificum factum cultus erga Deiparam Virginem sine labe conceptam eiusque SSmm. Rosarium magis magisque in dies auxerit, Nos quo insignis huiusmodi miraculi commemoratio in uberius animarum bonum cedat, spirituales Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores, licet indignos, Nos esse voluit Altissimus, libenti quidem animo reserandos censuimus. Quare omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Cryptam quam supra diximus, civitatis Lapurdensis, intra fines Tarbien. Diocesis, uno anni die, ad cuiusque fidelium arbitrium eligendo, a die XI Februarii, primae Deiparae Virginis Apparitionis anniversario, proximi anni MCMVIII usque ad diem pariter Februarii undecimum sequentis anni MCMIX devote visitaverint, ibique ante Deiparae imaginem, ab origine Immaculatae,

pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, in forma Iubilaei concedimus et largimur. Quo autem Christifideles coelestium huiusmodi munerum facilius participes fiant, Venerabili Fratri ipsi Episcopo Tarbien. facultatem facimus aliquot in sua Diocesi Presbyteros saeculares vel regulares, ad sacramentales confessiones excipiendas adprobatos, deputandi, qui fausta occasione eosdem Christifideles ad Iubilaeum lucrandum, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus censuris et casibus Sedi Apostolicae reservatis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, in foro conscientiae tantum absolvere possint, servata tamen Constitutione *Pontificis Maximi* a rec. me. Leone XIII Decessore Nostro die XV Februarii anno MDCCCLXXIX data, iis vero omnibus exceptis, quae in eadem Constitutione excipienda praescribuntur. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 27 Novembris 1907, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Sec. Status.*

VENERABILI FRATRI, EDVARDO THOMAE, EPISCOPO
LIMERICIENSI,
PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Tuum illud opusculum, in quo scripta Cardinalis Newman tantum abesse ostendis ut Encyclicis Nostris Litteris Pascendi sint dissentanea ut valde cum iisdem congruant, vehementer Nobis probari scito; melius enim cum veritati servire, tum hominis dignitati non poteras. Apparet, inter eos, quorum errores per eas Litteras damnavimus, quasi quoddam constitutum esse factum, ut quae ipsi commenti sint, hisce e preclarissimi viri nomine commendationem petant. Ita contendunt passim, se ex illo fonte et capite praecipua quaedam sumpsisse, ob eamque causam non potuisse a Nobis suas ipsorum improbari doctrinas, quin simul atque adeo prius improbavimus quae talis tantusque auctor docuisset. Quod, nisi cognitum sit, elati animi tumor quantum ad obruendam mentem valeat, incredibile videatur inveniri, qui sese putent atque ostendent catholicos, quum in ipsa intima religionis disciplina auctoritatem privati doctoris, quamvis insignis, magisterio Apostolicae Sedis anteponent. Quorum non modo tu contumaciam coarguis, sed fallaciam.

Nam, si in iis, quae hic ante catholicam professionem scripserat, licet fortasse aliquid deprehendere quod similitudinem quandam habeat cum certis Modernistarum formulis, jure id negas istis suffragari : propterea quod et longe alia ibidem est subjecta vocibus sententia, aliudque scribentis est propositum, et ipse auctor, in aditu ad Ecclesiam Catholicam, omnia sua scripta Catholicae Ecclesiae ipsius auctoritati detulit, utique emendanda, si viderentur. Quod autem ad libros attinet, quos magno vel numero vel pondere confecit catholicus, vix opus est cognationem cum hac haeresi ab eis repellere. Etenim in luce Angliae, quod nemo ignorat, sic Henricus Newman perpetuo causam catholicae fidei scribendo egit, ut ejus opera simul civibus suis maxime esset salutaris, simul a decessoribus Nostris maximi fieret ; itaque dignus est habitus, quem Leo XIII., aestimator certe sagax hominum atque rerum, Cardinalem dicerit ; cui quidem in omni deinceps vita merito fuit carissimus. Profecto in tanta lucubrationum ejus copia quidpiam reperiri potest, quod ab usitata theologorum ratione alienum videatur : nihil potest, quod de ipsius fide suspicionem afferat. Recteque affirmas, mirum non esse si, quum indicia haeresis novae nulla apparent, certis quibusdam in locis non ita cautum adhibuit loquendi genus : sed perperam doloseque Modernistas facere, qui illa verba, invito totius orationis contextu, ad suam ipsorum sententiam detorqueant. Nos igitur gratulamur tibi, quod memoriam optimi et sapientissimi viri, pro tua scriptorum ejus omnium notitia egregie ab injuria vindicaris : simulque, quantum in te fuit, effeceris, ut inter populares tuos, Anglos praesertim, jam desinant qui hoc nomine abuti consueverunt, imperitos decipere. Atque utinam illi auctorem rite sequantur Newman, non ita nempe ut, prejudicatis opinionibus addicti scrutentur ejus volumina ex hisque dolo malo eliciant aliquid, quo illas confirmari contendant ; verum ut sincera et integra ejusdem principia, documenta spiritusque percipiant. Multa e tali magistro discent praeclara : in primis autem sanctum habere magisterium Ecclesiae, inviolate tueri traditam a Patribus doctrinam, et, quod caput est ad custodiam catholicae veritatis, Successori Beati Petri summa cum fide obsequi et obedire.

Tibi praeterea, Venerabilis Frater, tuoque clero et populo, quod missa communi stipe tenuitati Nostrae subvenire pie studuistis, grates agimus, ex animo ; atque ad concilianda vobis primumque omnium tibi, divinae benignitatis munera, itemque ad testandam benevolentiam Nostram, peramanter Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die X. Martii, anno MCMVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.

Pius X ad Illmum. et Revmum. Begin, Archiepiscopum Quebecen. Laudat ejus zelum prudentiamque praesertim in his quae ad diariorum vere et exclusive catholicorum diffusionem et efficacitatem pertinent.

VENERABILI FRATRI LUDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO
QUEBECENSUM.

PIUS P. P. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Qua tu prudentia et vigilantia Archidioecesim regas tuam, e salubri opportunoque consilio, quasi ex argumento omnium certissimo, perspeximus, quod, discrimine vario gravissimoque gregis commotus, recens es amplexus, actionis catholicae socialis apud tuos statuendae eam in rem ut, pro Pontificum monitis, quotquot catholice sentiunt actione iungantur catholica, legitimae libertatis ope sub institutis ac disciplina reipublicae pugnaturi. At illud praeterea pervidisti, si fructus expectentur ex actione huiusmodi uberes vere et mansuros, fulciri eam et provehi adiumento commentarii diurni oportere, qui tamen ipsa sui natura et omni nominis vi se catholicum exhibeat, nihil nisi catholicum ferat, supra civilium dissentiones partium emineat, animatis bene voluntates pro defendenda religione societ et devinciat, populoque sapientibus incorruptisque scriptis prae- luceat in Ecclesiae reiue publicae quaerenda salute. Opus enim vero aggredieris amplissima plebi tuae allaturum commoda; si quidem est ingenium aetatis ut quae ad vivendi cogitandique rationem pertineant, vulgo e diariis quaquaversus illatis derivet. Sequitur ut mederi malis nostrorum temporum consentanea ratione debeamus. Itaque scripta scriptis opponenda; disseminatis passim opinionibus falsis obiciendae verae sunt; propinatus lectione venenis reperienda medicina in salutarium lectionum populo est; diffluentibus quotidie exitiosae efficacitatis diariis aliquo saltem obsistendum bonae notae commentario. Id genus praesidia si posthabeant, nulla ii ratione valebunt in populo, a perspicienda aetatis indole aberunt: contra, is erit censendus aestimator aetatis optimus, qui ad inserendas animis disseminandasque in vulgus sententias apte, studiose et assidue diariis utatur. Iam catholicis vobis catholicamque contentibus actionem socialem proferre, is unus poterit profectui esse diarius, qui, pro opportunissimo consilio tuo, catholicam fidem professionemque tueatur universam sive mentibus ad doctrinam Christi informandis, sive regendis ad egregia facinora voluntatibus, sive denique Ecclesia sequenda duce. Nec istud satis; scilicet si catholicus commentarius quibusvis civilibus partibus faveat. Ea propter multum probavimus te quum

ephemeridem voluisti a civilibus omne genus studiis semotam : ei namque uni proprium et peculiare illud erit, ut nulli mancipata parti, pertineat ad omnes. Ecclesiam quae omnium mater est et magistra, sine impedimento sequatur, inditam scriptis doctrinam sine invidia, aut ira, aut studio tradat, supremasque religionis et reipublicae rationes singulorum studiis utilitatique non subdat. Igitur magno animo opus insiste quod tam provido condidisti iudicio, idemque ne quid ab instituto deflectat, constantissime contende. Adversa atque difficilia plurima, quae tamen bonis comitari incoeptis nunquam desivere, obsepiendo generoso itineri intercedent. Valde autem confidimus validiorem negotiis solertiam tuam exstituram, beneque praeterea speramus potiores e clero et populo viros, qui prae caeteris habeant compertum quanti referat actionem sociale catholicam provehere humanaeque consociationi in germana doctrina catholica comparare salutem, allaturos pro viribus opem, et studium gloriamque patrum, quorum tradita in religionem merita accepimus, fore imitatuos. Nos interim solari te in gravissimo incoepo volumus laudemque amplam eandemque publicam quum de initio consilio tuo tum de voluntate, qua institutum persequeris, damus. Ut vero superna etiam auxilia alacrem te Archiepiscopum adiuvent tuosque fideles de navanda opera remunerent, testem dilectionis Nostrae auspicemque divinorum munerum Apostolicam Benedictionem tibi et Archidioecesi universae, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27^a Maii Anno 1907.
Pontificatus Nostri quarto.

PIUS P. P. X.

EPISTOLA

Qui Pontifex grati animi sensus profitetur erga imperatorem Sinarum.

AUGUSTISSIMO POTENTISSIMOQUE IMPERATORI Sinarum PEKINUM.

PIUS PP. X.

Augustissime et potentissime Imperator, salutem et prosperitatem.

Quibus Nos litteris septuagesimum aetatis annum faustum et felicem Maiestati Suae Imperatrici Sinarum ominabamur, rescribebat perquam humane Imperatoria Maiestas Tua, mirum quanta cum cordis Nostri laetitia. Quod autem praeterea placuit Maiestati Tuae ut oblatum a Nobis munus peramplo ac maxime nobili dono rependeret, fuit id Nobis supra quam dici potest iucundum, fecitque eo vel magis exploratum summam esse

Maiestatis Tuae et cum Persona Nostra amicitiam et erga catholicos istos voluntatem. Velit igitur a Nobis Imperatoria Maiestas Tua gratias habere quamplurimas; simul omina excipiat et vota, unde enixe imploramus Deum, ut Te Suamque Maiestatem Imperatricem Sinarum ac universam Augustissimam Domum diutissima iubeat sospitate et incolumitate gaudere.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Iunii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

EPISTOLA

**Qua Pontifex gratulatur de nova editione Theologiae moralis
S. Alfonsi de Ligorio.**

DILECTO FILIO

LEONARDO GAUDE SACERDOTI

E CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sancti doctoris Alfonsi de Ligorio ea est in Ecclesia Dei existimatio atque laus, ut vel id unum sufficeret cur novam Nos editionem Theologiae moralis Alfonsianae Nostro nomini dicandam libentissime permitteremus. Verum ut id peculiari modo editioni huic tuae concedamus, plura faciunt, quibus eadem iure merito typica exinde appellari queat. Scimus, dilecte fili, decem et octo annos ipsos in ea apparanda diligentissimis curis te impendisse: sed labores tuos evenisse feliciter gratulari profecto potes. Praeter enim quam quod testimonia auctorum universa, quae a S. Doctore afferuntur, ad trutinam ex ipsis fontibus revocasti; sententias ipsas S. Alfonsi, ex acri collatione singularum antecedentium editionum ceterorumque moralium ipsius operum, sic excussisti subtilique iudicio comparasti, ut nihil fere sit modo cuilibet dubitandum, quid in una quaque morum quaestione Alfonsus sit demum amplexus supremaque aetate defenderit. Opus igitur perfecisti, dilecte fili, quam quod maxime utile et sapientium omnium laudatione dignum. Cum enim theologia morum magnam scientiae partem constituat, quae sacerdoti ad officium explendum est necessaria; gratias tibi omnes habere oportet, qui S. Doctoris, quem tuto omnes in morum doctrinis sequi possunt, mentem apertius ostenderis, sententiasque securius, quam unquam alias, determinaveris. Librum idcirco Nostro nomini inscriptum volenti animo accipimus: studio tuo laudem promeritam amplissime

tribuimus : utque diuturni laboris praemium ne desit, caelestium munerum ubertatem tibi a Domino adprecamur, eiusque auspicem, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Iunii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

ALLOCUTIO.

Quam Pius X. habuit in Consistorio secreto diei 16 Dec. 1907, de mendaci ac insolenti modernistarum superbia.

Venerabiles Fratres,

Relicturus Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiverat, ac transiturus de hoc mundo ad Patrem, Christus dominus id nobis, nec semel nec obscure, praenuntiavit, fore nos insectationibus inimicorum perpetuo premendos, neque unquam in hisce terris carituros adversis. Scilicet hoc sponsae debebatur quod Sponso obtigerat; ut quomodo Huic dictum fuerat: "Dominare in medio inimicorum tuorum," sic illa per medios hostes mediasque pugnas a mari dominaretur usque ad mare, donec, promissionis terram ingressa, perenni tranquillitate feliciter potiretur. Quod utique divini Reparatoris oraculum, ut nullo non tempore, sic modo impleri ad unguem videmus. Alibi quidem acie aperta que dimicatione, astu alibi abstrusis que insidiis, attamen ubique Ecclesiam oppugnari conspiciamus. Quidquid illius est iurium impetitur ac proculcatur: leges vel ab iis despiciuntur, quorum esset earundem tueri auctoritatem: impia interea impudentique ephemeridum colluvie fidei sanctitas morumque nitor maculatur, detrimento animorum maximo, nec minori civilis consociationis damno ac perturbatione; quod ipsi, ut alias saepe, sic non ita pridem vel inter nostrates vestris fere oculis usurpastis.

Sed his aliud modo additur malum plane gravissimum: sollicitum quoddam studium late increbrescens novarum rerum, disciplinae omnis ac potestatis impatiens; quod Ecclesiae doctrinas ipsamque adeo revelatam a Deo veritatem impetens, nititur religionem sanctissimam a fundamentis convellere. Eo nimirum ducuntur (utinam pauciore numero!) qui eius, quam vulgo scientiam et criticem et progressionem et humanitatem dictitant, audacissimas opiniones coeco fere impetu amplectuntur. Hi quidem, sprete tum Romani Pontificis tum Episcoporum auctoritate, methodicam invehunt dubitationem impiissimam circa ipsa fidei fundamenta; ac, praesertim si e clero sunt, catholicae theologiae studia aspernati, philosophiam, sociologiam,

litteraturam e venenatis fontibus hauriunt ; tum vero conscientiam quandam laicam catholicae oppositam pleno ore concrepant ; sibi que ius simul officiumque adrogant catholicorum conscientias corrigendi ac reformandi.

Lugendum plane foret si homines eiusmodi, Ecclesiae gremio relicto, ad apertos hostes convolarent : verum longe magis dolendum est quod eo devenerint caecitatis, ut se adhuc Ecclesiae filios reputent et iactent, ejurato quamvis, factis etsi forte non verbis, fidei sacramento, quod in baptismo edixerunt. Sic porro, fallaci quadam animi tranquillitate ducti, christiana etiam sacra frequentant, sanctissimo Christi Corpore reficiuntur, quin et ad altare Dei, quod plane horrendum, sacrificaturi accedunt : inter haec tamen, quae praedicant, quae agitant, quae pertinaciâ summa profitentur illos a fide excidisse demonstrant, dumque se navi duci autumant, foede naufragium fecisse.

Decessorum Nostrorum exemplo, qui vigilantia maxima constantissimoque pectore sanam doctrinam tutati sunt, solliciti ne quid ei labis aspergeretur, Nos quoque, apostolici praecepti memores “bonum depositum custodi” decretum *Lamentabili* nuper edidimus, mox vero Litteras Encyclicas *Pascendi dominici gregis* ; atque Episcopos gravissime commonefecimus ut, praeter cetera a Nobis praescripta, sacra praesertim seminaria diligentissime custodiant, caventes ne quid capiat detrimenti institutio adolescentium, qui in spem sacri cleri educantur : quod, gratulantes dicimus, a plerisque omnibus et volenti animo exceptum est, et strenue perficitur.

Paterno tamen huic studio *ad correptionem animarum errantium* quo pacto ab ipsis errantibus responsum sit non ignoratis, Venerabiles Fratres. Alii quidem, *in hypocrisi loquentes mendacium*, ad se quae dicebamus non pertinere professi sunt, callidis argumentis animadversioni se subducere conantes. Alii vero insolenti superbia, bonorum omnium luctu, apertissime restiterunt. Quare, quae suggerebat caritas incassum adhibitis, canonicas demum irrogare poenas, moerore animi maximo, coacti fuimus. Deum tamen, luminum ac misericordiarum Patrem, rogare impensissime non desistimus ut velit errantes in viam revocare iustitiae. Idipsum et fieri a vobis, Venerabiles Fratres, vehementer optamus, illud minime dubitantes omnem operam Nobiscum vos impensuros, ad hanc luem errorum quam latissime prohibendam.

Nunc autem ut hodierni conventus vestri rationem attingamus, hoc primum monere vos volumus, postquam iteratis postulationibus dilecti Filii Nostri Iosephi Sebastiani Neto de resignando Olyssipponensi patriarchatu diu amantissimeque restitimus, resignationem ipsam demum Nos excepisse. Patriarcham

novum, qui, in eius locum succedat, mox in decreto et schedulis consistorialibus designabimus.

Post haec, S. R. E. Cardinales creare ac renunciare egregios viros quatuor decrevimus, quos sua quemque virtus et variorum administratio munerum dignos probavere, qui in amplissimum Collegium vestrum cooptarentur. Hi autem sunt :

PETRUS GASPARRI, Archiepiscopus tit. Caesariensis, Adiutor sacri Consilii Nostri negotiis extraordinariis praepositi ;

LUDOVICUS HENRICUS LUCON, Archiepiscopus Rhemensis ;

PAULINUS PETRUS ANDRIEU, Episcopus Massiliensis ;

CAIETANUS DE LAI, Sacrae Congregationis Concilii Secretarius.

Quid vobis videtur ?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales :

EX ORDINE PRESBYTERORUM.

Petrum Gasparri.

Ludovicum Henricum Luçon.

Paulinum Petrum Andrieu.

EX ORDINE DIACONORUM.

Caietanum De Lai.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Quam die 13 Februarii 1908 Pius X habuit ad Orientales.

Ringraziamo vivamente Lei, Signor Cardinale e con Lei gli egregi del Comitato pel molto che fecero onde render splendide le feste quindici volte centenarie dell' insigne Padre e Dottor della Chiesa S. Giovanni Grisostomo, e con Voi ringraziamo il Venerando Patriarca e tutti gli altri Venerabili fratelli e figli carissimi, che con tanto loro disagio vennero dal lontano Oriente a rendere più solenne questa ricorrenza nella capitale del mondo cattolico. Come colla massima compiacenza abbiamo assistito ieri al solenne Pontificale, che ci trasportava ai tempi di S. Giovanni Grisostomo, nelle Basiliche di Antiochia e di Costantinopoli, così oggi ci gode l' animo di vedervi qui riuniti per dare una prova novella del vostro attaccamento alla cattolica Chiesa e alla Sede Apostolica, e di perfetta adesione alla dottrina di Gesù Cristo di cui essa è depositaria. Volesse il Signore che

come abbracciamo Voi nella carità di Gesù Cristo, così potessimo fare con tutti gli altri fratelli e figli che si mantengono lontani dal centro della cattolica unità! Perchè a Noi è oltremodo soave la rimembranza stessa delle glorie e dei meriti incomparabili che vanta l'Oriente. Ivi infatti è la culla dell'umano riscatto e le primizie del Cristianesimo, di là a guisa di fiume regale si diffuse nell'Occidente la dovizia dei beni inestimabili recatici dal Vangelo di Gesù Cristo.—Nè si spegnerà giammai la rinomanza di quegli illustri Orientali, che, ispirati e guidati dal genio del cattolicesimo, poterono salire ad ogni più pregiata grandezza, e mercè la santità, la dottrina, lo splendore delle imprese, raccomandare ai posteri la gloria del loro nome. Le quali cose riandando col pensiero ci sentiamo, come i nostri Predecessori, animati dalla più viva brama di adoperarci con ogni potere, affinchè in tutto l'Oriente torni in fiore la virtù e la grandezza di una volta, e si distruggano quei falsi concetti e quei pregiudizj che diedero argomento alla fatale divisione.

E infatti la Chiesa ben lungi dal dimostrarsi ingiusta e parziale verso i popoli orientali, non ha mai cessato di trattarli con materna predilezione. Se si leggano il Matirologio e il Bollario Romano, gli atti dei Concilii particolari o generali tenuti in Occidente, come a Clermont, a Lione, a Firenze, a Trento, o piuttosto se si legga la storia di quindici secoli, sarà impossibile tacciare per un solo atto il Papato di rigore o di indifferenza verso l'Oriente.

Il nostro calendario dà un posto d'onore a tutti i santi Pontefici e Dottori dell'Oriente, la nostra liturgia è piena delle loro sapienti Omelie; le lettere e Costituzione Pontificie mostrano una costante sollecitudine pei sacri interessi delle loro Chiese, e intorno a molti punti considerevoli della disciplina ecclesiastica, l'Occidente si contentò di difendere la propria tradizione, e si mostrò pieno d'indulgenza per le pratiche differenti delle Chiese Orientali. La Santa Chiesa tratta da un pensiero di pacificazione non ha forse sanzionato colla suprema sua autorità la preminenza che Costantinopoli aveva usurpato sui Patriarcati Apostolici dell'Oriente? Non è finalmente il Papato che ha chiamato a raccolta tutte le nazioni cristiane per togliere il divino anatema, che pesa sulla città deicida, e per riscattare Gerusalemme dal giogo degli infedeli? Che se tanti sforzi restarono senza un felice successo, voi lo sapete umanamente il motivo, o Venerabili Fratelli. Ma nessuna meraviglia che l'Oriente non abbia voluto associarsi ai Latini, per la liberazione dei luoghi santi, quando si rifiutarono di ascoltare le preghiere della Chiesa per la loro istessa libertà, e i figli ribelli preferirono alle tenerezze della madre un giogo durissimo.

Ciò non pertanto il Papato non ha mai cessato di piangere sulla sorte infelice di tanti figliuoli; e, per non ricordare fatti lontani, bastano le Lettere Encicliche del 6 Gennaio 1848 di Papa Pio IX, l'invito amoroso con cui lo stesso Pontefice, 8 Settembre 1868, colla carità la più viva e più delicata, col desiderio più ardente della pace e dell'unione, prega tutti i Vescovi dissidenti a venire al Concilio Vaticano e li scongiura ad imitare i loro predecessori, che risposero all'appello dei Papi Gregorio X e Eugenio IV per recarsi al secondo Concilio di Lione e a quello di Firenze. Ma basterà per tutto la carità dimostrata dal Nostro immediato Predecessore Leone XIII, che, sempre preoccupato da questo pensiero, per gli Orientali non ha risparmiato preghiere, esortazioni e sacrifici, e, in un momento solenne, nonchè distinguere con segni di vera predilezione un figlio, che ritornava tra le braccia del padre, con una singolare eccezione alle regole generali della ecclesiastica disciplina, gli concedeva i titoli, le insegne e gli onori della dignità vescovile malamente conferitagli da alcuni prelati disertori dalla cattolica unità. Per il che, o Venerabili Fratelli, l'Oriente non ha altri nemici che le sue divisioni, i suoi errori, e la passione che lo ha fatto giuoco prima degli imperatori e poi dei suoi più accaniti nemici. E ciò che resta della dignità dell'Oriente è quello soltanto, che ha avuto il coraggio di stabilirsi sotto la benigna influenza di Roma. Siete voi, Venerabili Fratelli, che vivendo nella povertà e assoggettandovi a tutte le privazioni, tenete ancora in onore le sacre tradizioni dei vostri Antenati. Siete voi che non risparmiate fatiche per convertire i vostri fratelli, siete voi, che formate il nostro gaudio e la nostra corona.

Ritornando pertanto ai vostri paesi dite a tutti, che la dignità e lo splendore dell'Oriente non è in alcun luogo tanto caro come a Roma. Che qui i diversi riti orientali sono trattati con onore, regolarmente celebrati in molte Chiese, e si uniscono frequenti alle ceremonie papali. Dite, che una Congregazione speciale è incaricata di vigilare sulla sua conservazione, come alla sua ortodossia. Che la Propaganda manda tutti gli anni a tutte le parti dell'Oriente dei giovani preti indigeni, ch'essa ha nutriti ed educati secondo le tradizioni ortodosse dei loro paesi, e ai quali impone la legge di restar fedeli ai riti delle rispettive loro nazioni. Dite che Roma è così attenta per togliere ogni pretesto alle divisioni, che resiste con fermezza allo zelo ardente dei neofiti, che vorrebbero abbracciare la sua disciplina.

Dite che l'Oriente resterà sempre il paese dell'aurora e che le sue plaghe ridenti non cesseranno di mandarci il lume della natura; ma, poichè il Signore ha eletto Roma per essere il testamento della nuova alleanza, è di qua che spande i suoi raggi il

sole della verità e della grazia come l'han proclamato di gran cuore gli stessi Orientali in tante occasioni.

Dite finalmente che il Papa guarda a loro con affetto straordinario, e fa voti che per l'intercessione del santo glorioso, di cui celebriamo le feste, si rinnovi per le Chiese di Oriente il fatto dei primi secoli della Chiesa, quando dall'Oriente erano chiamati gli Anacleti, gli Evaristi, i Telesfori, i Zosimi, i Teodori ed altri fino al terzo Gregorio a governare la Chiesa di Gesù Cristo.

A tal uopo nell'umiltà del nostro cuore supplichiamo caldamente il Principe dei Pastori, perchè si degni far balenare la divina sua luce alle menti di tanti traviati e infondere loro quel generoso coraggio, che li faccia entrare nell'unico ovile di Cristo, e riconoscere la sovrana autorità dell'unico supremo pastore di tutta la Chiesa.

Intanto a pegno della viva nostra gratitudine e della nostra particolare affezione impartiamo a voi Venerabili Fratelli e diletti Figli e a tutti i cattolici dell'Oriente l'Apostolica benedizione.

SECRETARIATE OF STATE.

Litterae ad Episcopos Galliae circa taxam pro sacro cultu.

Monseigneur,

Je m'empresse de porter à la connaissance de Votre Grandeur les nouvelles instructions que Sa Sainteté a jugé opportun de donner aux évêques français, au sujet du denier du culte.

Le Saint-Père reconnaît la nécessité de cette organisation, en vue de subvenir à l'entretien du culte et aux besoins de ses ministres, privés de leurs ressources par l'injuste loi de séparation. Toutefois, il tient à ce qu'on procède, dans une matière pareille, avec la plus grande délicatesse, en évitant absolument tout ce qui pourrait avoir même l'apparence de vexation ou de fiscalité: principe qui d'ailleurs a été approuvé avec tant de sagesse dans l'assemblée plénière des évêques de Paris.

Conformément à ce principe, le Saint-Père désire vivement, en premier lieu, que toute taxation fixe et obligatoire (tant personnelle que paroissiale) soit écartée, pour deux principales raisons: d'abord le système des taxes semble mettre, en quelque sorte officiellement, le ministère spirituel à prix d'argent; ensuite il expose nécessairement à l'arbitraire dans la définition du chiffre de la taxe, car il est moralement impossible de tenir compte de tous les éléments qui entrent dans l'appréciation de la capacité contributive de chaque individu ou de chaque paroisse. Les évêques devraient donc se borner à en appeler à la foi et à la

charité des leurs diocésains. Ils devraient inculquer la grave obligation qu'il y a, pour eux, de contribuer, dans la mesure de leurs ressources, à l'entretien du culte et de ses ministres, tout en faisant comprendre ce devoir par les seules voies de la persuasion.

Quant aux sanctions, qui sont une conséquence presque inévitable du système des taxes, il faudrait exclure toute sanction pécuniaire, qui est odieuse de sa nature, et plus encore la sanction qui consisterait soit à supprimer le service religieux dans les paroisses, soit à refuser aux individus le saint ministère.

Cependant il est certain que l'opinion des bons réclame qu'il y ait quelque différence dans la manière de traiter ceux qui participent et ceux qui refusent par mauvais vouloir de participer au denier du culte. En vue de donner satisfaction à cette exigence, le Saint-Père ne s'oppose pas à ce que pour les cérémonies des funérailles et des mariages on réserve aux seuls paroissiens participants de l'œuvre du denier les honneurs de surcroît, c'est-à-dire la pompe qui classe ces cérémonies : par exemple, la présence d'un nombreux clergé, la décoration de l'église, la solennité du chant. Cette sanction n'aurait rien d'odieux ; l'opinion des bons obtiendrait ainsi satisfaction, en même temps que les autres seraient avertis que l'Eglise n'accorde des honneurs exceptionnels qu'à ses plus dévoués enfants.

Sa Sainteté espère qu'en agissant ainsi par voie d'amour et de persuasion, les évêques trouveront dans la générosité des catholiques français une digne réponse à leur appel ; et par conséquent, ils ne seront pas obligés, afin de pourvoir aux besoins de l'Eglise, de recourir à des mesures qui sembleraient amoindrir la spontanéité et la religion des fidèles, dans l'accomplissement de cette grave obligation.

Je prie Votre Grandeur de vouloir bien porter ces instructions du Saint-Père à la connaissance de ses suffragants.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en Notre-Seigneur.

Rome, 8 Octobre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

De frequentia universitatum civilium ex parte clericorum.

Monseigneur,

J'ai reçu votre lettre du 23 Septembre dernier et j'en ai pris en sérieuse considération les divers points.

Relativement à la défense faite par l'Encyclique *Pascendi* aux clercs et aux prêtres qui ont pris quelque inscription dans une

Université ou Institut catholique da suivre, pour les matières qui y sont enseignées, les cours des Universités civiles, je puis vous confirmer que les dispenses et exceptions, accordées par le décret de 1896 visé par l'Encyclique, s'étendent aux Universités de France; toutefois, le Saint-Père excepte de cette autorisation les cours les plus sujets à devenir dangereux, comme ceux d'histoire, de philosophie et des matières similaires.

Pour suivre ces cours, il faut que chaque étudiant ecclésiastique ait une permission expresse de son évêque.

Agreez, etc.

2 Octobre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Circa casus necessitatis pro permittenda clericis frequentia universitatum civilium.

Monseigneur,

Vous avez récemment proposé au Saint-Siège les questions suivantes:

1° Est-il contraire à l'Encyclique *Pascendi* que les clercs, les prêtres et les religieux préfèrent aux Facultés catholiques des lettres et des sciences les facultés civiles, s'inscrivent à ces dernières et en suivent les cours, lorsqu'il n'y a en réalité aucune nécessité vraie, comme le témoignent les succès des Facultés catholiques?

2° Les clercs et les prêtres, professeurs ou surveillants dans un collège d'une ville où se trouvent seulement des Facultés civiles, sont-ils dans le *cas de nécessité* visé par la lettre aux évêques (n° 26051)? Peuvent-ils s'inscrire à ces Facultés et en suivre les cours?

3° Peut-on regarder comme *une très rare exception* (lettre aux évêques, n° 26051) le cas où un collège comptera parmi ses professeurs et ses surveillants six ou sept prêtres ou clercs s'inscrivant à ces Facultés civiles et suivant les cours?

Or, d'ordre de Sa Sainteté, je m'empresse de vous communiquer les réponses aux questions susdites:

Ad 1. *Affirmative*;

Ad 2. *Negative*, à moins que, dans des cas exceptionnels, des raisons très graves et spéciales s'y ajoutent, dont l'appréciation est réservée à l'évêque;

Ad 3. *Negative*.

Agréez, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments dévoués en Notre Seigneur.

Rome, 5 Novembre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

DECREES.

CONGREGATION OF THE INQUISITION.

Sac. Alfredus Loisy nominatim ac personaliter declaratur excommunicatus vitandus.

Sacerdotem Alfredum Loisy, in diocesi Lingonensi in praesens commorantem, plura et verbo docuisse et scripto in vulgus edidisse quae ipsamet fidei christianae potissima fundamenta subvertunt, iam ubique compertum est. Spes tamen affulgebat eum, novitatis magis amore quam animi pravitate fortasse deceptum, recentibus in eiusmodi materia Sanctae Sedis declarationibus et praescriptionibus se conformaturum; ideoque a gravioribus canonicis sanctionibus huiusque temperatum fuit. Sed contra accidit: nam, spretis omnibus, non solum errores suos non eiuravit, quin imo, et novis scriptis et datis ad Superiores litteris, eos pervicaciter confirmare veritus non est. Quum plane igitur constet de eius post formales canonicas monitiones obfirmata contumacia, Suprema haec Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis Congregatio, ne muneri suo deficiat, de expresso SSmi. Domini Nostri PII PP. X mandato, sententiam maioris excommunicationis in sacerdotem Alfredum Loisy *nominatim ac personaliter* pronunciat, eumque omnibus plecti poenis publice excommunicatorum, ac proinde *vitandum esse* atque ab omnibus *vitari debere*, solemniter declarat.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii die 7 Martii 1908.

L. ✠ S.

PETRUS PALOMBELLI,
S. R. et Univ. Inquisitionis, *Notarius*.

Damnatur opusculum "El Immaculado San Jose."

Delatum est ad Supremam hanc Congregationem S. Officii opusculum editum anno currenti in ista civitate (Biblioteca Españolista; Caballeros, 41), cui titulus: "*El Immaculado San José, Apuntes vindicativos de su concepción purísima; su honor de esposo; sus derechos de padre; su primoria restauradora* (artículos publicados en *La Senal de la Victoria* con aprobación eclesiástica) por José D. María Corbató, M. C."; quo ad examen vocato, praesertim quod spectat ad doctrinam ab auctore expositam et propugnatam de divina paternitate S. Iosephi reali et proprie dicta, Eminentissimi Domini Cardinales una mecum

Inquisitores generales decreverunt: "Opusculum de quo agitur inserendum in Indicem librorum prohibitorum ex decreto feriae IV.; idque significandum quamprimum R. P. D. Archiepiscopo Valentino ut opportune moneat fideles." Quod dum, ut mei muneris est, cum Ampl. tua communicare propero, capta occasione, fausta quoque ac felicia omnia tibi precor a Domino.

Romae, die 26 Februarii 1907.

Amplitudinis Tuae,

Addmus. in Domino

S. Card. VANNUTELLI.

R. P. D. Archiepiscopo Valentinen.

DECRETUM

Quo damnantur duo diaria modernistica.

Feria V, loco IV, 13 Februarii 1908.

Utrumque diarium *La Justice sociale* et *La Vie catholique* reprobatur et damnatur: sacerdotes Naudet et Dabry formiter ac peremptorie admonentur ne haec vel alia diaria aut scripta quaevis eiusdem indolis sub proprio vel mentito nomine in posterum evulgare audeant, sub poena suspensionis a divinis ipso facto et absque alia declaratione incurrendae.

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Eleemosynae Missarum mitti possunt Delegatis Apostolicis in orientalibus regionibus, pro sacerdotibus delegationis suae, item Superioribus Institutum religiosorum permittitur eleemosynas missarum transmittere subditis suis.

Proposti nella S. C. del Concilio i dubbi:

I. Se i Delegati Apostolici siano compresi nella disposizione dell'art. III del Decreto *Recenti* 22 Maggio 1907, col quale è vietato d'invare direttamente messe *ad Antistites et Presbyteros Ecclesiarum, quae in Oriente sitae sunt*;

II. Se i Superiori degli Ordini ed Istituti religiosi possano mandare direttamente ai loro soggetti esistenti in Oriente intenzioni di messe con le rispettive elemosine.

S. Congregatio respondit: Ad I^{um}. Negative; ita ut nempe mitti possint ad praefatos Rmos. Delegatos Missarum intentiones cum respectiva eleemosyna, ut eas distribuunt dumtaxat praelatis et sacerdotibus delegationis suae.

Ad II^{um}. Affirmative et taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris.

SSmus. D. N. in audientia diei 9 Septembris 1907, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, benigne ratam habuit et approbavit resolutionem S. Congregationis. Et insuper mandavit ut pro ceteris omnibus servetur dispositio decreti.

L. ✠ S. VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus*.
C. DE LAI, *Secretarius*.

Circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

Decretum *Ne temere*, iussu et auctoritate ipsius Summi Pontificis a S. C. Concilii die 2 Augusti 1907 editum, quo disciplina tridentina circa sponsalia ac matrimonia in quibusdam immutata est, perfecta cum obedientia summaque cum laetitia ubique exceptum fuit. Plures enim extant gratulatoriae et gratiarum actionis litterae, quae ab Ordinariis locorum in primis ad hanc praesertim S. Congregationem missae sunt, sive proprio nomine sive nomine personarum etiam moralium. Ipsae ephemerides nedum sollicitae fuerunt novissimum decretum typis edere, sed commentariis quandoque illustrare curarunt.

Verum quum discussiones quoque excitatae fuerint in aliquibus ipsius decreti articulis interpretandis, hinc nonnulli Sacrorum Antistites ad eas sopiendas, praesertim vero ut in re tam gravis momenti tutam normam sequendam haberent, ad hunc S. O., vel directe vel per S. C. de Propaganda Fide, suppliciter recursum fecerunt pro authentica quorundam articulorum interpretatione. Accepta dubia statim uni ex Consultoribus remissa sunt, ut super iis mentem suam panderet: quod ipse peculiari sollertia et diligentia exequutus fuit.

Dubia.—I. *An decreto Ne temere adstringantur etiam catholici ritus orientalis.*—Et quatenus negative:

II. *Utrum ad eosdem decretum extendere expediat.*—Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum:

III. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.*

IV. *An sub art. XI., § 2, in exceptione enunciata illis verbis "nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum" comprehendatur tantummodo Constitutio Provida Pii PP. X.; an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.*

V. *Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto Ne temere*

statulam, ita scilicet ut contrahere debeant coram paracho et duobus saltem testibus.—Et quatenus affirmative :

VI. *An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae existentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.*

VII. *Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio paracho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant.*

VIII. *Ubinam et quomodo parochi qui, territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant.*

IX. *Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat.*

X. *Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.*

XI. *An a decreto Ne temere abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis diocesibus vicens, vi cuius a Curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis adsistendi matrimoniis.*

XII. *An et quousque expediat prorogare executionem decreti Ne temere pro nonnullis locis iuxta Ordinariorum petitiones.*

Resolutiones.—Et eadem S. Congregatio Concilii, in plenario conventu die 25 Ianuarii 1907 habito, definitivam solutionem differendam esse censuit. Verum in subsequentibus comitiis diei 1 Februarii eiusdem anni, iisdem dubiis iterum ad trutinam vocatis et sedulo perpensis, authentice respondit prout sequitur :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.*

Ad III. *Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes quoad Orientales.*

Ad IV. *Comprehendi tantummodo Constitutionem Provida ; non autem comprehendendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SSmo. ; et ad mentem.*

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Negative, ideoque servetur decretum Ne temere.*

Ad VII. *Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.*

Ad VIII. *Affirmative in territorio cumulative habito.*

Ad IX. *Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SSmo.*

Ad X. *Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iuris-*

dictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.

Ad XI. *Servetur solitum.*

Ad XII. *Ad Emum. Praefectum cum SSmo.*

CONGREGATION OF BISHOPS AND REGULARS.

Datur facultas transferendi monachos S. Benedicti de una ad aliam congregationem.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., ad pedes S. V. provolutus humillime exponit :

Quum instante Ascensionis D. N. I. C. Octava, qui congregationibus confoederatis O. S. B. praesunt Abbates, Romae apud S. Anselmum, synodi celebrandae causa adessent, unitis consiliis S. V. supplicandum esse censuerunt, ut Ipsa Abbati Primati ad bonum Ordinis promovendum sequentem benigne tribueret facultatem, transferendi scilicet ab una ad alteram congregationem monachum consentientem, annuentibus utroque Abbate, scilicet Abbatiae a qua et ad quam, ac capitulo monasterii ad quod fit transitus.

Et Deus etc.

Vigorespecialium facultatum a SSmo. Dno. Nostro concessarum Sacra Congregatio Emorum. ac Rmorum. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus oratoris in omnibus iuxta petita, durante ipsius oratoris munere. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 21 Decembris 1907.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. GIUSTINI, *Secretarius.*

CONGREGATION OF RITES.

De Sororibus Tertiariis Regularibus quoad usum Kalendarii et Indulgentiarum Participationem.

A Sacrorum Rituum Congregatione nuper expostulatum est :

I. An Sorores Tertiariae Ordinum Regularium Ordinariis locorum subiectae, quae in Communitate vivunt, vota simplicia nuncupant et tantummodo Officium parvum B.M.V. recitant, teneantur in propria ecclesia, seu Oratorio, sequi Kalendarium respectivi Ordinis, relicto Kalendario diocesano, quo annuente ac praecipiente loci Ordinario, a diuturno tempore usque in praesens utuntur ?—Et quatenus *Negative.*

II. An eadem Sorores praedictum Kalendarium diocesanum adhibentes participant omnes indulgentias quae a Romanis Pontificibus directe concessae sunt tantum respectivis Ordinibus eorumque ecclesiis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, attentisque decretis Sacrarum Congregationum Rituum et Indulgentiarum, ita respondendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.* Serventur autem Decreta praesertim S. R. C. n. 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895, et S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum *De Indulgentiis Tertiariorum* 28 Augusti 1903.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 10 Maii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

De usu lucis electricae et de cantu mulierum in ecclesiis.

Rmus. Dnus. Raymundus Ibarra et Gonzalez, Archiepiscopus Angelopolitanus in republica Mexicana, a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter exposcit:

I. Per decretum S. R. C. n. 3859 die 4 Iunii 1895 declaratum fuit "lucem electricam adhiberi posse in templis non ad cultum sed ad tenebras depellendas, seclusa omni theatri speciei." Iamvero cum a nonnullis tale decretum nimis late interpretari videatur, ad controversias dirimendas, quaeritur in particulari:

1. Licebitne apponere in altari in quo SS. Sacramentum publicae fidelium patet venerationi electricas lampades, sive tabernaculum circa, sive in vasis florigeris quae inter candelabra locantur?

2. Fasne erit imagines SS. Cordis Iesu, vel B. Mariae Virginis iisdem electricis circumcingere luminibus, ad instar scilicet fulgidae coronae circa caput, lunae sub pedibus, vel ad modum solarium radiorum ad latera; et in capitibus duodecim Apostolorum linguas igneas effingere rubeis lampadibus?

3. Permittine demum poterit quod in lampadibus quae ex ecclesiae fornicibus pendent, candelae ex cera, fictis candelis electricis substituantur?

II. Per decretum n. 3964 *De Truxillo* die 17 Septembris 1897 prohibitum fuit ut "mulieres ac puellae intra vel extra ambitum chori canant in missis solemnibus," idemque confirmatum est die 19 Februarii 1903. Attamen cum in *Motu proprio* SS. D. N. Pii PP. X *Inter pastoralis officii* de musica sacra d. d. 22 Novembris 1903 praecipitur ut "cantus gregorius in populi usus

restituendus curetur, quo ad divinas Laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant" quaeritur: Licebitne permittere ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in ecclesia assignatis separatim a viris, partes invariables missae cantent; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas concinant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis votis utriusque Commissionis tum Liturgicae tum de musica et cantu sacro, omnibusque sedulo perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Pro tribus quaestionibus particularibus dentur et serventur decreta iuxta alias similes resolutiones.

Ad II. Affirmative ad utrumque, et ad mentem. Mens est: 1º. ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis Laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis; et 2º ut ubi officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum, praesertim in cathedralibus ecclesiis non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quaevis inordinatio vitetur.

Atque ita rescripsit, die 17 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Super festo SS. Septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V.

Quum dies undecima mensis Februarii hucusque propria seu quasi natalitia SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. confessorum amodo maneat impedita a festo Apparitionis B. M. V. Immaculae eidem diei affixae et per decretum *Urbis et Orbis* 13 Novembris 1907 ad universam Ecclesiam extenso Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, statuere ac declarare dignatus est, ut enunciatum festum SS. Septem Fundatorum calendario universali inscribatur die insequente, quae est prima libera iuxta Rubricas, nempe duodecima eiusdem mensis Februarii, tamquam propria seu quasi natalitia; atque in casu impediti pro aliquibus locis, institutis et ecclesiis servetur decretum generale, n. 3811 *Super duobus festis vel officiis eadem die occurrentibus*, diei 21 Novembris 1893, Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Ianuarii 1908.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Ritus brevior ad Campanas in usum sacrum benedicendas.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit coelum et terram.

Psal. 50. Miserere mei, Deus...

Psal. 53. Deus, in nomine tuo...

Psal. 56. Miserere mei Deus, miserere mei...

Psal. 66. Deus misereatur nostri...

Psal. 69. Deus in adiutorium meum...

Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam...

Psal. 129. De profundis clamavi...

℣. Kyrie eleison.

℞. Christe eleison.

℣. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℞. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui per beatum Moysen, legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri praecepisti, quibus dum sacerdotes tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret praeparatus, et ad celebrandum conveniret : praesta quaesumus ; ut hoc vasculum, sanctae tuae Ecclesiae praeparatum, a Spiritu Sancto per nostrae humilitatis obsequium sanctificetur, ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad sanctam ecclesiam et ad praemium supernum. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, prosternat aëreas potestates dextera tuae virtutis : ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant et fugiant ante sanctae crucis vexillum in eo depictum. Quod ipse Dominus noster praestare dignetur, qui absorpta morte per patibulum crucis regnat in gloria Dei Patris cum eodem Patre et Spiritu Sancto, per omnia saecula saeculorum.

℞. Amen.

Nunc Officians ponit incensum in thuribulum et benedicit ; et primum aqua benedicta aspergit circumeundo campanam choro dicente :

Asperges me Domine hyssopo et mundabor ; lavabis me et super nivem dealbabor.

Dein incensat circumeundo campanam, choro dicente :

Dirigatur Domine oratio mea : sicut incensum in conspectu tuo.

Officians proseguitur :

OREMUS.

Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato et imperante dissiluit : tu necessitatibus populi tui benignus succurre : tu hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde ; ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus, invitetur ad fidem populus christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus, ac sicut davidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus : atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum regis aeterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium ; ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiae tuae conventum manus conservet angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te, Christe Iesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

V. In honorem Sancti N.

R. Amen.

Tum Officians producit super campanam benedictam signum crucis et discedit cum ministris.

ROMANA.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione :

An praeter ritum de benedictione simplici novae campanae, quae tamen ad usum ecclesiae non inserviat, uti in *Appendice* ad *Rituale Romanum*, et ritum de benedictione signi vel campanae pro ecclesia vel sacello, uti in *Pontificali Romano* (de quo utroque ritu agitur in decreto n. 3770 *Sedunen.* 4 Martii 1892), adhiberi possit alter brevior ritus ad campanas in usum sacrum benedicendas. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia omnibusque accurate perpensis, ita rescribendum censuit : Affirmative cum ritu adprobato, prouti extat in superiori exemplari. Attamen haec benedictio ab Episcopo, vel ab aliis facultatem habentibus facienda est ; et quod attinet ad ecclesias consecratas in benedictione signi vel campanae decentius servetur ritus Pontificalis Romani.

Quam resolutionem SSmo. Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Prae-

fectum relatum, Sanctitas Sua in omnibus ratam habere atque approbare dignata est. Die 22 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Canonicus theologus ante Conclonem, benedictionem ab Episcopo petere debet.

Hodiernus magister caeremoniarum ecclesiae cathedralis Luganensis, de consensu sui Rmi. Dni. Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humiliter proposuit, nimirum :

An canonicus theologus sacram Scripturam populo explicaturus debeat benedictionem ab Episcopo pontificaliter celebrante vel adsistente petere, prout praescribitur in Caeremoniali Episcoporum pro canonico concionatore infra missarum solemnias ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio reque sedulo perpensa, proposito dubio respondendum censuit :

Affirmative iuxta Caeremoniale lib. I., cap. XXII., n. 2 ; et lib. II., cap. VII., n. 51. Atque ita rescripsit ac declaravit, die 6 Decembris 1907.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodic., *Secretarius*.

Conceditur transferri festum S. Francisci Assisiensis.

Reverendissimus Pater frater Maria Henricus Desqueyrous, Procurator generalis Ordinis Praedicatorum, iuxta votum Capituli generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X humillimis precibus rogavit, ut festum Sancti Francisci Assisiensis, quod ab universo eodem Ordine, die 4 Octobris, sub ritu toto duplici primae classis cum Octava solemniter recolitur, transferri valeat in sequentem diem quintam eiusdem mensis, quoties inciderit in Dominicam primam Octobris, solemnitati Sanctissimi Rosarii, seu propriam sedem adsignatam ; translato quoque iuxta Rubricas officio Beati Raymundi Capuani Confessoris.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces ; servatis peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De usu corollae lignae in altari, de cantu "Tantum ergo" deque Eucharistiae asservatione.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt, nimirum :

I. Utrum adhiberi possint corollae lignae, quae super tobaleas altarium aras circumcingent ?

II. Utrum, non obstante consuetudine, in functione benedictionis cum SSmo. Eucharistiae Sacramento, liceat, dum exponitur, vel postquam expositum fuerit idem SSmum. Sacramentum, statim canere primam stropham *Tantum ergo* usque ad *Genitori*, inde Litanias Lauretanus cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori* etc.?

III. Utrum liceat asservare SS. Eucharistiam in altari baldachinum habente, quamvis super illud habeatur habitaculum cum lectulo ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit :

Ad I. Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11.

Ad II. Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27, et decretum n. 3513 *Delegationis Apostolicae Peruvianae*, 15 Aprilis 1880.

Ad III. Negative ex decreto n. 3525 *Papien.* 23 Novembris 1880 ad II.

Atque ita rescripsit, die 24 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De occurrentia octavae festi secundarii et duplicis minoris primarii.

Rev. P. Henricus Casier, Congregationis SSmi. Redemptoris sacerdos et kalendarii Provinciae Belgicae redactor, cum licentia sui Provincialis et consensu Rmi. Procuratoris Generalis sequentem quaestionem solvendam Sacrae Rituum Congregationi humiliter proposuit ; nimirum :

Quum in concurrentia diei Octavae festi secundarii cum duplici minori primario Vesperae integrae sint de duplici minori primario cum commemoratione diei Octavae festi secundarii iuxta decretum S. R. C. 3908 ad II., diei 22 Maii 1896, et Rubr. reform., tit. XI., n. 7, quaeritur : Cuiusnam, in occurrentia diei Octavae festi secundarii et duplicis minoris primarii sit Officium cum commemoratione alterius, utrum diei octavae festi secundarii, an duplicis minoris primarii ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque sedulo perpensa, propositae quaestioni ita respondendum censuit:

Ad Primam partem: "*Affirmative, nempe diei Octavae secundariae; ad secundam, negative iuxta Rubricas. Si occurrentia vero sit perpetua, festum duplex minus fixe transferatur in diem primam sequentem liberam iuxta Rubricas.*"

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 29 Novembris 1907.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF PROPAGATION OF THE FAITH. DECRETUM.

Quo datur statutum Missionariis SS. Cordium Iesu et Mariae et Adorationis perpetuae SS. Sacramenti.

Quo clarius iura et obligationes, qua missionarios inter, ad Congregationem SS. Cordium Iesu et Mariae necnon Adorationis perpetuae SSmi. Sacramenti altaris pertinentes, et eorum vicissim tum regulares tum ecclesiasticos superiores intercedunt, explanentur et determinentur: ac ita expeditior eorumdem missionariorum, tum in fidelium ac ethnicorum animarum salute, tum in suarum ipsarum animarum perfectione assequenda, labor evadat: moderatoribus laudatae congregationis visum est, statuta quaedam, huic S. Congregationi christiano nomini propagando proponere, in quibus et iura et obligationes ipsorum missionariorum certa ac perspicua norma dirigantur. Quae vero statuta Rma. Commissio regulis et constitutionibus novorum Institutorum iudicandis, praeside Emo. Viro Francisco S. R. E. Cardinali Satolli, praeposita, cum rite examini subiecerit, nonnullis peractis modificationibus, quae in annexo exemplari exhibentur approbanda esse censuit. Hanc autem laudatae Rmae. Commissionis sententiam ab infrascripto huius S. C. Secretario in audientia diei 28 vertentis Novembris SSmo. Dno. Nostro Pio prov. div. Papa X relatam, eadem Sanctitas Sua confirmare et ratam habere dignata est; ac praesens super hoc decretum edi iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 30 Novembris 1906.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.

A. VECCHIA, *Secretarius*.

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Indulgentia plenaria concessa Ecclesiis Ord. S. Ben. lucranda est die secunda nov. etiam quando Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum ad tertiam diem transferri debet.

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia humillime exponit.

Per Rescriptum huius S. Congregationis die 27 Februarii h. a. ecclesiis et publicis oratoriis monachorum et monialium O. S. B. nigri coloris concessa est Indulgentia plenaria toties quoties lucranda a secundis Vesperis diei primae Novembris usque ad occasum solis diei sequentis, in qua Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum pie recolitur.

Nunc quaeritur: Quando Commemoratio Omnium Defunctorum juxta rubricas die tertia Novembris celebranda est, estne Indulgentia, de qua supra, in tali casu lucranda etiam die tertia, vel remanet affixa diei secundae?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, omnibus perpensis, proposito dubio respondendum mandavit;

Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Cong. die 20 Novembris 1907.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia 300 dierum recitantibus jaculatoriam "Notre-Dame de Lourdes, priez pour nous" toties quoties conceditur.

Très Saint Père,

François-Xavier Schœpfer, Evêque de Tarbes, humblement prosterné aux Pieds de Votre Sainteté, la supplie de daigner porter à trois cents jours, *toties quoties*, l'indulgence de cent jours, applicable aussi aux Ames du Purgatoire, déjà accordée par le Bref du 23 Juin 1902, à tous les fidèles qui dévotement réciteront la jaculatoire: "*Notre-Dame de Lourdes, priez pour nous.*"

Et que Dieu, etc.

Ex audientia SSmi., die 9 Novembris 1907.

SS. D. N. Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretariâ S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 9 Novembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Pro R. P. Diom. PANICI, Archiep. Laod., *Secretarius*.

IOS. MARIA Can. COSELLI, *Substitutus*.

Indulgentia 300 dierum recitantibus sequentem iaculatoriam conceditur.

Cor Iesu Eucharisticum. Cordis sacerdotalis exemplar, miserere nobis.

Tercentos dies de vera indulgentia in Domino concedimus.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Septembris 1907.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Oratio cum Indulgentia 300 dierum pro clericis in assumendo superpelliceo.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X libenter in Domino concessit ut Indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, consequi valeant quotquot in Seminariis aliisque Collegiis et Asceteriis in spem Ecclesiae rite instituuntur, atque omnes et singuli cuiuslibet gradus et ordinis clerici, quotiescumque, in assumendo de more superpelliceo, se cruce signent pieque sic orent : " Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis. Amen." Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 1 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Arch. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia Benedictina toties quoties extenditur ad oratoria semipublica.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit :

Per Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, d. d. 27 Februarii huius anni, ecclesiis et publicis oratoriis monachorum et monialium Ordinis S. Benedicti nigri coloris concessa est indulgentia plenaria toties quoties, lucranda a secundis Vesperis diei primae Novembris usque ad occasum solis diei sequentis, in qua commemoratio Omnium Fidelium defunctorum pie recolitur. Nunc Orator ad maius pietatis incrementum, et ad augenda pro defunctis fidelibus suffragia, supplex adit S. V. implorans, ut praedicta indulgentia acquiri

valeat etiam in oratoriis semipublicis tum monachorum tum sanctimonialium praedicti Ordinis, in favorem tantummodo Communitatis religiosae nec non personarum in ipsa degentium.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 11 Septembris 1907 ab infrascripto Secretario Sacrae Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Septembris 1907.

Pro Emo. Card. Praefecto

Fr. H. M. Card. GOTTI.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia conceditur orantibus pro peccatoribus moribundis.

Ex audientia SSmi., die 26 Octobris 1907.

SSmus. D. Noster Pius PP. X sacerdotibus Sacrum litantibus, nec non universis christifidelibus missae sacrificio adstantibus, qui peccatores totius mundi *tunc temporis in agonia positos, et eodem die morituros*, pie Deo commendaverint, indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuo valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 10 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia adnectitur oblationi omnium missarum pro peccatoribus moribundis.

OFFRANDE DE TOUTES LES MESSES

Mon Dieu, je vous offre toutes les Messes, qui se célèbrent aujourd'hui dans le monde entier, pour les pécheurs, qui sont à l'agonie, et qui doivent mourir ce même jour. Que le Sang précieux de Jésus Rédempteur leur obtienne miséricorde.

Ex audientia SSmi. die 26 Octobris 1907.

SSmus. universis christifidelibus suprapositam precem corde saltem contrito ac devote recitantibus, indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne con-

cessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 18 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Associationi sacerdotum adoratorum conceditur facultas adnectendi coronis indulgentias PP. Crucigerorum.

Beatissime Pater,

Episcopus Covingtonensis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, exponit quod ipse a tredecim annis est in Statibus Foederatis Americae septentrionalis protector *Associationis sacerdotum adoratorum*, quae cum approbatione Sanctae Sedis per totum orbem diffusa est, et quam in praedictos Status Foederatos invexit. Et supplex implorat ut sacerdotes ex quacumque regione qui nomen dederint praedictae Associationi possint benedicendo coronas eis annectere indulgentias Crucigerorum vulgo dictas.

Iuxta preces ex animo; et dilectis filiis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Die 29 mense Maio an. 1907.

PIUS PP. X

Prorogatur in perpetuum indulgentia plenaria pro speciali consecratione Deiparae Virgini.

LEO XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus et singulis religiosis geminae congregationis a Beato Ludovico Maria Grignon de Montfort fundatae, nempe Patribus Missionariis Societatis Mariae et Filiabus a Sapientia nec non et singulis utriusque sexus fidelibus qui quotannis pie rennovare censuerunt specialem Deiparae Virgini consecrationem quam Beatus ipse composuit ac vere poenitentes et confessi et S. Communionem refecti die festo Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae ac die vigesimo octavo mensis Aprilis vel propriam respectivae pia domus ecclesiam, secus uniuscuiusque parochialem, a primis vespers usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua ex praefatis diebus id egerint plenarium omnium peccatorum

suorum indulgentiam et remissionem quam etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate consumptae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus atque elargimur. Praesentibus ad septennium valituris. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxv Februarii mdccxcvi, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Pro Dno. Card. DE RUGGIERO
N. Marini, *Substitutus*.

Prorogamus in perpetuum.
Die 24 Decembris 1907.

PIUS PP. X

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 22 Ianuarii 1908.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

En textus supradictae consecrationis: *Consécration de soi-même à Jésus-Christ, la sagesse incarnée par les mains de Marie.*—O Sagesse éternelle et incarnée ! O très aimable et adorable Jésus, vrai Dieu et vrai homme, Fils unique du Père éternel et de Marie toujours Vierge, je vous adore profondément dans le sein et les splendeurs de votre Père, pendant l'éternité et dans le sein virginal de Marie, votre très digne Mère dans le temps de votre Incarnation.

Je vous rends grâce de ce que vous vous êtes anéanti vous-même en prenant la forme d'un esclave pour me tirer du cruel esclavage du démon. Je vous loue et vous glorifie de ce que vous avez bien voulu vous soumettre à Marie, votre Sainte Mère, en toutes choses, afin de me rendre par elle votre fidèle esclave. Mais, hélas ! ingrat et infidèle que je ne vous ai pas gardé les promesses que je vous ai solennellement faites à mon baptême. Je n'ai point rempli mes obligations, je ne mérite pas d'être appelé votre enfant ni votre esclave, et comme il n'y a rien en moi qui ne mérite votre rebut et votre colère je n'ose plus par moi-même approcher de votre très sainte auguste Majesté. C'est pourquoi je recours à l'intercession de votre très Sainte Mère, que vous m'avez donnée pour médiatrice auprès de vous, et c'est par ce moyen que j'espère obtenir de vous la contrition et le pardon de mes péchés, l'acquisition et la conservation de la sagesse.

Je vous salue donc, ô Marie Immaculée, tabernacle vivant de la Divinité, où la Sagesse éternelle cachée veut être adorée des Anges et des hommes. Je vous salue ô Reine du ciel et de la terre, à l'empire de qui est soumis tout ce qui est au dessous de Dieu. Je vous salue, ô refuge assuré des pécheurs, dont la miséricorde ne manque à personne ; exaucez les désirs que j'ai de la divine sagesse, et recevez pour cela les vœux et les offres que ma bassesse vous présente.

Moi N... , pécheur infidèle, je renouvelle et ratifie aujourd'hui entre vos mains les vœux de mon baptême. Je renonce pour jamais à Satan, et à ses pompes à ses œuvres, et je me donne tout entier à J.-C., la sagesse incarnée, pour porter ma croix à sa suite tous les jours de ma vie. Et afin que je lui sois plus fidèle que je l'ai été jusqu'ici, je vous choisis aujourd'hui, ô Marie, en présence de toute la Cour céleste pour ma Mère et Maîtresse.

Je vous livre et consacre en qualité d'esclave mon corps et mon âme, mes biens intérieurs et extérieurs, et la valeur même de mes bonnes actions passées, présentes et futures, vous laissant un entier et plein droit de disposer de moi et de tout ce qui m'appartient sans exception, selon votre bon plaisir, à la plus grande gloire de Dieu, dans le temps et l'éternité.

Recevez, ô Vierge bénigne, cette petite offrande de mon esclavage en l'honneur et union de la soumission que la sagesse éternelle a bien voulu avoir à votre maternité, en hommage de la puissance que vous avez tous deux sur ce petit vermisseau et ce misérable pécheur, en action de grâce des privilèges dont la S. Trinité vous a favorisée. Je proteste que je veux désormais, comme votre véritable esclave chercher votre honneur et vous obéir en toutes choses. O Mère admirable, présentez-moi à votre cher Fils en qualité d'esclave éternel, afin que, m'ayant racheté par vous il me reçoive par vous. O Mère de miséricorde, faites-moi la grâce d'obtenir la vraie sagesse de Dieu et de me mettre pour cela au nombre de ceux que vous aimez, que vous nourrissez et protégez comme vos enfants et vos esclaves ! O Vierge fidèle, rendez-moi en toutes choses un si parfait disciple, imitateur et esclave de la sagesse incarnée de Jésus-Christ, votre Fils, que j'arrive par votre intercession, et votre exemple, à la plénitude de son âge sur la terre et de sa gloire dans les Cieux. Ainsi soit-il.

Associatio sacerdotalis reparationis commendatur et indulgentiis ditatur.

Beatissime Pater,

Maria Eduardus Mott, presbyter e congregatione Missionis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit :

In pluribus dioecesibus erecta reperitur pia quaedam sodalitas, cui titulus *Associatio sacerdotalis reparationis*, eiusque finis et statuta ea sunt, quae sequuntur :

Art. 1. Associatio sacerdotalis reparationis ut finem intendit : 1° Christo Domino dignam reparationem offerre illis pro peccatis, quae amantissimum cor eius crudelius offendunt ; 2° conversionem eorum, qui tanti nefas se reos efficiunt ; 3° illorum, qui in bono perseverant, maxime sacerdotum, sanctificationem magis ac magis in dies crescentem.

Art. 2. Talis Associatio, essentialiter sacerdotalis, sacerdotibus praesertim constat. Attamen directoribus dioecesanis facultas facta est alias etiam personas aliquanto et per modum exceptionis admittendi, dummodo aliquo voto Deo iam fuerint addictae.

Art. 3. Reparationem quam intendere debent, triplici modo sodales perficere possunt : 1° affective, compatiendo scilicet toto animi affectu dolori Cordis Iesu, cuius horrenda talia sunt causa, eique consolationem praebere nitendo ; 2° effective, id est, effec-

tivum Christo amorem impertiendo, ac proinde eo fidelius ei serviendo, quo gravius alii ab eo recedunt; 3^o afflictive, seu afflictionem corporis aut spiritus libenter sustinendo, vel sibi voluntarie imponendo, ut pro tot ac tantis improbis gaudiis conveniens fiat compensatio.

Art. 4. Virtutes, quibus spiritus peculiaris huius societatis specialiter constat, sunt: 1^o magna cordis mundities; 2^o profunda humilitas; 3^o amor Christi tener, fortis et invictus.

Art. 5. Associatio a directoribus dioecesanis, qui a respectivis Ordinariis nominantur in singulis dioecesibus, regitur iuxta spiritum, leges et consuetudines ei propria, sub auctoritate tamen unius directoris generalis.

Art. 6. Associationis patronus coelestis est S. Michael Archangelus. Eius festa primaria sunt: Cordis Iesu Sacratissimi et S. Michaelis Arch., secundaria vero, ea quæ Passionem Domini, Sanctissimam Eucharistiam, Immaculatam Conceptionem et compassionem B. Mariæ Virg. spectant, nec non festum Sancti Vincentii a Paulo.

Art. 7. Devotiones huic sodalitati speciales eae sunt, quæ pertinent ad Christi Passionem, ad Sanctissimam Eucharistiam, ad cor Iesu Sacratissimum et ad Mariam sine labe originali conceptam.

Art. 8. Sodalibus obligatio nulla exterior imponitur. Singuli tamen nituntur in eadem reparationis mente uniri, pias Associationis observando consuetudines, speciatim recitando quotidie Psalmum *Miserere*.

Art. 9. Omnes et singuli sodales, quamvis semper et ubique reparationi addicti, diem tamen unum in unaquaque hebdomada eligunt, quo illi specialiter vacant. Tali die intentio saltem secundaria missæ quam celebrant aut celebrandum procurant, aut cui assistunt, nec non et Communionis sacramentalis quam peragunt, ad reparationem dirigitur.

Quo vero sodales ad finem huiusmodi piae Associationis assequendum magis excitentur, humilis orator enixe petit a S. V. ut illis sequentes indulgentias concedere dignetur. *Plenariam*: 1^o die quo Associationi nomen dederint; 2^o Feria V in Coena Domini; 3^o in solemnitate Corporis Christi, vel una die infra octavam; 4^o in festo SSmi. Cordis Iesu; 5^o in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis; 6^o in singulis festis quibus Passio D. N. I. C. recolitur, a feria III post Dominicam Septuagesimæ ad feriam VI post Dominicam IV Quadragesimæ, inclusive; 7^o in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V.; 8^o in utroque festo Septem Dolorum eiusdem B. V.; 9^o in festo S. Michaelis Archangeli; 10^o in festo S. Vincentii a Paulo conf.; 11^o semel in mense, die cuiusque sodalis arbitrio eligenda dummodo prae-

fatis diebus sodales sacramentali confessione expiati missae sacrificium fecerint, vel saltem ad S. Synaxim accesserint, et ad mentem S. V. pias preces ad Deum fuderint; 12° in mortis articulo, si uti supra dispositi, vel saltem contriti SS^mum. Iesu nomen ore si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint. *Partialem*: 1° septem annorum totidemque quadragenarum: (a) quoties, corde saltem contriti ac devote, sodales aliquem poenitentiae actum iuxta finem Associationis exercuerint: (b) semel in hebdomada, die, quem ad reparationis exercitium, iuxta Associationis statuta, specialiter elegerint, dummodo ad mentem S. V. oraverint; 2° trecentorum dierum, quoties corde item contriti sodales quinque Crucifixi Domini vulnera devote osculati fuerint, pias reparationis intentiones renovantes; 3° centum dierum pro unoquoque bono opere pietatis vel caritatis. Implorat tandem humilis orator, ut S. V. omnes et singulas praefatas indulgentias, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucandra, animabus etiam in Purgatorio degentibus applicabiles esse declaret. Et Deus, etc.

SS^mus. Dnus. Noster Pius PP. X, in audientia 22 Ianuarii 1908 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces; ut autem consulatur unitati non minus quam perennitati praedictae Associationis, idem SS^mus., cui maxime cordi est eiusdem per orbem diffusio, mandavit ut Director generalis, a Superiore generali Congregationis Missionis pro tempore existenti designetur, sive extra sive intra eius religiosam familiam. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 22 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia pro versiculis "Requiem aeternam" etc.

Beatissime Pater,

Paulus Buguet, Protonotarius Apostolicus ad instar, director generalis pii operis expiatorii D. N. *de Montligeon* ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit, ut quadem de Ecclesiae thesauro indulgentia tribuatur quibuslibet christifidelibus, quoties in defunctorum suffragium sequentes versiculos recitaverint:

℣. *Requiem aeternam dona eis Domine.*

℣. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℣. *Amen.*

Et Deus, etc.

SSmus. Dnus. Noster Pius PP. X, in audentia habita die 13 Februarii 1908 ab. infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit ut christifideles quoties corde saltem contriti ac devote praefatos versiculos recitaverint, trecentorum dierum indulgentiam, defunctis tantummodo applicabilem, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Februarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Circa Scapolare Nostrae Dominae a S. Corde.

Beatissimo Padre,

Il P. Pietro Benedetti, procuratore generale dei Missionari del S. Cuore, prostrato ai piedi della S. V, espone quanto segue:

Con prezioso autografo della Santità Vostra del giorno 18 agosto 1907, la S. V. si degnò concedere: (a) che i sacerdoti Missionari del S. Cuore avessero la facoltà di benedire ed imporre lo Scapolare del S. Cuore, portante sul rovescio l'immagine di Nostra Signora del S. Cuore: (b) che il superiore generale potesse delegare tale facoltà ai sacerdoti ascritti all' Arciconfraternita di Nostra Signora del S. Cuore.

Ora per non moltiplicare il numero degli Scapolari, preso l'accordo col Vicario generale degli Oblati di Maria Immacolata, che hanno facoltà speciale di benedire uno Scapolare del S. Cuore già approvata dalla S. Sede, ed arricchito die grazie spirituali, l'oratore invece delle concesse facoltà chiede umilmente di avere un rescritto che conceda ai Missionari del S. Cuore la facoltà simile a quella dei sudditi Oblati, di benedire e imporre lo Scapolare del S. Cuore con le stesse indulgenze e per i medesimi privilegi, accordi al Generale di potere delegare a ciò i sacerdoti ascritti all'Arciconfraternita di N. S. del S. Cuore.

Che della grazia, ecc.

Ex audientia SSmi., die 13 Februarii 1908.

SSmus. Dnus. Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 13 Februarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep., Laodicen., *Secretarius*.

THE ROMAN VICARIATE.

Damnatur libellus periodicus "Nova et Vetera."

DECRETUM.

*Petrus Tituli SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Cardinalis
Respighi SSmi. D. N. Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae
eiusque Districtus Iudex Ordinarius etc.*

Libellus periodicus recens, cui titulus : *Nova et Vetera*, " Rivista quindicinale, Roma, Società Internazionale Scienfico-religiosa " : cum sibi proposuerit doctrinas Modernistarum, nuper ab Ecclesia damnatus, defendere, novissimasque opiniones audeat invehere catholicae veritati pariter adversantes ; Nos, pro munere quo fungimur, saluti animarum fideique incolumitati prospicere volentes, eundem, Ordinaria Auctoritate, prohibemus et proscribimus, atque prohibitum et proscriptum declaramus.

Nemo ideo eum imprimat vel imprimi faciat, nemo vendat aut legat. Si secus quis fecerit, is noverit graviter peccasse. Praeterea clerici cuiusque ordinis, qui periodico eidem se consociant, vel si iam consociationem fecerint, quamprimum eam non retractent, noverint se suspensionem a divinis ipso facto incurrisse.

Datum Romae, 28 Ianuarii 1908.

L. ✠ S.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vic.

FRANCISCUS CAN. FABER, *Secretarius*.

SECRETARIATE OF STATE.

Epistola ad Italiae Episcopos de conservandis tuendisque Tabulariis, aliisque bonarum artium monumentis.

Illme. ac Rme. Domine,

Impellens necessitas tutam efficiendi moderandique conservationem tabulariorum, ac bonarum artium monumentorum quae a clero custodiuntur, Sanctitati Suae suavit ut super hac gravissima re mentem, sollicitudinemque revocaret Rmorum. Italiae Episcoporum. Munus itaque mihi a S. S. commissum perficio, Ampl. Tuae eas quae sequuntur pontificias dispositiones commendationesque significans.

1. In quavis Dioecesi ab Ordinario permanens *Coetus dioecesanus pro documentis monumentisque a clero custoditis* instituatur, ea praecipua ratione ut tuta meliorque reddatur praefatarum rerum conservatio, tum ne alienentur, tum ut rectius custodiantur.

2. Praecipua coetus cura esto simplicem ac diligentem indicem perficere sive documentorum in dioeceseos ecclesiasticis tabulariis asservatorum sive monumentorum aliorumque bonarum artium objectorum, quae a clero dioeceseos custodiuntur. Uterque index a singulo coetu perficiatur pro singulo ente ecclesiastico (v. g. Capitulo, paroecia, etc.) et pro singulis publicis locis cultui destinatis. Eiusmodi indicis exemplar in tabulario loci conservetur (capitulari, paroeciali, ecc.), et alterum apud eiusdem dioeceseos ipsum coetum.

3. Quaelibet mutatio in statu rei iam indici adscriptae peragenda, quam ob mutationem index eo loco cum haud praecisus esset, diligenter notificetur, antequam perficiatur a ius habente (Capitulo, Parocho, etc.) Coetui respectivo, qui eiusmodi mutationem adnotare tenetur, salvis observationibus peragendis, quae debita ratione extimandae sunt.

4. Continua Coetus cura esto invigilare ut praefata conservatio religiose tuta reddatur a clero ad quem pertinet. Si aliquem detegerit defectum, illico de eo doceat ens cuius interest, et si necessitas id suadeat, recursum offerat ad Ordinarium, qui de re doctus quamprimum consulat. Alia ex parte Ordinarius non absteineat in S. Visitatione a statu rerum comprobando, ad quas spectant praesentes litterae, Coetum certiore reddens pro opportunis dispositionibus.

5. Coetus dioecsanus constituatur saltem a Commissario pro documentis, et ab altero pro monumentis. Diligens itaque esto cura Amp. Tuæ hos seligere, et si id fieri possit, eis adiungere Commissionem Sacerdotum laicorumque harum rerum expertorum, qui opus adiuvabunt.

6. Rmus. Ordinarius nullam negligat occasionem practicas suadendi demonstrationes, opportuneque commendandi clero uti supra custodi, ut meliori qua potest ratione munus absolvere queat. Sua ex parte Coetus curet diffusionem opportunarum instructionum, summariaque praeceptorum utilium. Praeterea attentis frequentibus ac saepe subdolis conatibus ademptionum, mutationum, etc. ex parte negotiantium, Ordinarius firmas servet vigentes canonicas dispositiones contra alienationes, mutationes, etc., nec non integro suo iure utatur ac officio recognitionis et consensus in singulis actibus extraordinariis eiusmodi administrationis.

Hæc sunt dispositiones, quas S. Pontifex zelo Rmorum. Italiae Episcoporum committit, utpote praecepta praecepta ad consulendum, quo opportunius potest, gravi honorabilique muneris Cleri quoad tutelam historiae artisque thesaurorum. Sanctitas Sua certam fovet spem, fore ut hæc praecepta non modo illico pleneque executioni demandentur, sed praestantiora etiam suggerant consilia ad honorem et inclementum traditionum Ecclesiae illustrium.

Card. MERRY DEL VAL.

Facultates Ordinariis Galliae concessae circa bonorum ecclesiasticorum alienationem.

Monseigneur,

Le Saint-Père, désireux, dans les pénibles conditions actuelles de l'Eglise de France, de faciliter aux Evêques l'administration de leurs diocèses, et de pourvoir à la conscience des fidèles en ce qui concerne l'aliénation des biens ecclésiastiques usurpés par le gouvernement, a jugé opportun d'envoyer aux Ordinaires les instructions et les pouvoirs cijoins, visant certains cas plus pratiques et plus fréquents.

Relativement aux biens immeubles, Sa Sainteté accorde aux Ordinaires le pouvoir soit d'admettre à une équitable composition (nn. 1-7) et d'absoudre des censures ceux qui en auraient achetés, sans autorisation préalable de l'Eglise (nn. 9-12), soit d'en permettre l'acquisition, sous la réserve que l'acquéreur entre aussitôt en composition avec l'autorité ecclésiastique (nn. 13-14).

Une exception est faite quant à l'achat des églises, des évêchés,

des séminaires et des presbytères ; les évêques auront dès lors, pour chaque cas qui s'en présentera, à recourir au Saint-Siège, en lui exposant le fait avec toutes ses circonstances (n. 15).

Les Ordinaires ont aussi la faculté de pourvoir à la conscience de ceux, qui, sans permission légitime, auraient exercé pour leur utilité personnelle l'action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution des biens ecclésiastiques grevés de fondations pieuses (n. 8). Ils devront exhorter les fidèles à intenter ces actions dans le but d'assurer l'exécution des obligations imposées par les fondateurs (n. 16).

Ils pourront en outre permettre à ceux, dont les biens seraient grevés de charges de célébration de messes ou en faveur d'œuvres pies, de les libérer, moyennant le versement d'une somme suffisante pour remplir ces charges (n. 17).

Enfin le Saint-Père a daigné accorder aux Evêques d'autres pouvoirs relativement aux biens mobiliers et aux locations (nn. 18-22).

Les Ordinaires devront avoir soin de faire instruire les fidèles des lois de l'Eglise en cette matière : que ceux-ci soient informés notamment des censures et des peines édictées par le saint Concile de Trente contre quiconque achèterait, sans autorisation de qui de droit, des biens ecclésiastiques usurpés par les gouvernements ; que s'ils avaient commis pareille faute, ils n'en pourraient être absolus, que moyennant une équitable composition avec l'Eglise, par suite de laquelle ils resteraient dispensés de la restitution des biens.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en N.-S.

Rome, le 24 Septembre, 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ex audientia SSmi., die 21 Septembris, 1907.

SSmus. D. N. Pius divina providentia PP. X referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, attentis specialibus circumstantiis in quibus nunc Ecclesia catholica in Gallia versatur, fidelium spirituali bono consulere cupiens in iis quae bonorum ecclesiasticorum alienationem respiciunt, facultates quae sequuntur illius nationis Ordinariis concedere dignatus est.

A.—FACULTATES DE BONIS IMMOBILIBUS.

I.

1. *Admittendi* ad aequam compositionem, iuxta normas quae sequuntur, christifideles qui bona immobilia Ecclesiae erepta sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt ; vel acquisita alienaverunt : et praedictorum haeredes et quoscumque successores.

2. Proceat Ordinarius, in compositione facienda, de intelligentia aliorum Ordinariorum si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias canonice repraesentant, aliorumque canonice interesse habentium.

3. In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur :

- a) fundorum valor realis eo tempore quo compositio initur ;
- b) pretium emptionis ;
- c) praesens oratorum status ;
- d) id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt ;
- e) onera pia, quorum, si adsint, praecipue ratio habenda est.

Quoad vero eorundem onerum redemptionem, condonationem vel reductionem, quatenus opus fuerit, provisum est in sequenti n. 17.

4. Benignior esse potest compositio si pretium solutum, citra culpam emptoris, superet praesentem valorem fundorum ; et pro haeredibus eorum, qui bona ecclesiastica ut supra iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

5. Ordinarius, quando agitur de fundis in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratoresoretens moneat de obligatione qua tenentur faciendi, sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis haeredibus et successoribus.

6. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas, etiam tenues, ipse Ordinarius quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum ad quas de iure pertinent, in titulos liberos (*valeur au porteur*) quos viri competentes tuto agnoverint, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat ; neque alienet sine eiusdem venia, neque commutet, nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrenti ad S. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eadem pertineant ad Ordines vel Congregationes religiosas, requiritur ut eis tradi possint, venia S. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam extinctam, vel ad ecclesiam in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit, celebratis tamen missis et caeteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

7. Nullum documentum peractae compositionis cuiquam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare; *eos omni obligatione conscientiae erga Ecclesiam ratione fundorum, etc., exemptos et solutos esse.*

8. Ad compositionem Ordinarius admittere poterit etiam fideles qui iuxta leges civiles per actionem recuperationis (*action en reprise, en revendication, révocation ou en résolution*) in utilitatem propriam vindicarunt bona sive immobilia sive mobilia, Ecclesiae donata pro legatis piis adimplendis, quoties vindicata bona ex integro Ecclesiae restituere nequeant.

II.

9. *Absolvendi*, Apostolica auctoritate, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ad hoc in singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis in quas propterea quomodolibet inciderint, cum congrua poenitentia saluari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti iudicio absolventis.

10. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt cum obligatione ut si ad meliorem conditionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant, ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda; remoto interim scandalo.

11. Ordinarius moneat confessarios ut si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant: quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam haeredibus imponat, vel serio promittat eam initurum si convaluerit, remoto scandalo.

12. Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadagesimae, vel sacrarum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos qui compositionem statim inire nequeunt, dummodo iidem serio promittant se intra duos menses ab accepta absolutione, recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo.

III.

13. *Permittendi* christifidelibus ut bona Ecclesiae acquirere valeant, remoto scandalo et ea conditione ut statim ad compositionem, ut supra faciendam, deveniant.

14. Si agatur de bonis ad Ordinem vel Congregationem re-

ligiosam pertinentibus, requiritur consensus Superiorum eiusdem Congregationis.

15. Exceptas tamen voluit Sanctitas Sua ecclesias, seminaria nec non domus episcopales et parochiales, pro quibus emendis ad S. Sedem recurrendum erit in singulis casibus.

16. Ordinarius permittere poterit (imo suadeat) ut fideles qui iuxta leges civiles ius habent, actionem recuperationis (*action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution*) exercent ad hoc, ut pia onera iuxta mentem fundatorum adimpleri possint. Datur autem Ordinario facultas concedendi oratoribus partialem remissionem bonorum recuperatorum, quoties speciales circumstantiae in aliquo casu occurrant, quae iuxta prudens eiusdem Ordinarii iudicium et conscientiam, id exigant.

IV.

17. *Indulgenti* iis qui super bonis quibuscumque habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, cuius fructus quotannis redditus sufficientes ac tutos praebeat pro integro eorundem onerum adimplemento. Quod si aliqua condonatio ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, vel reductio pro futuro, sive ad tempus sive in perpetuum, concedenda videatur, id Ordinarius facere poterit, omnibus tamen circumstantiis et causis consideratis et perpensis.

B.—FACULTATES DE REBUS MOBILIBUS ET CONDUCTIONIBUS.

Insuper eadem Sanctitas Sua praeaudatis Ordinariis infra-scriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per vicarium in spiritualibus generalem, sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc, etiam habitualiter, specialiter subdelegandas, uti licite et libere valeant.

I.

18. *Indulgenti* christifidelibus ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas, ad ecclesias aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a subdelegato taxanda, quatenus emerint pretio quod iudicio Ordinarii aut subdelegati fuerit minus iusto: ita tamen, ut si agatur de rebus quae non sint usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quancumque ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio restituere; et curando pro viribus, ut

supellectiles, vasa ac utensilia sacra in usum aliarum ecclesiarum transferantur, nec in usus profanos assumantur.

II.

19. *Providendi* sub iisdem conditionibus ut supra, et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari, iis qui easdem res iam emerint.

III.

20. *Indulgenti* pariter christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio occupata, vel ab iis qui a Gubernio illa acquisierunt sine licentia S. Sedis, conducere, seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure pertinent, quatenus conduxerint pretio quod iudicio Ordinarii seu subdelegati fuerit minus iusto, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae eisdem bonis fuerint adnexa, ac praevia absolutione cum poenitentia salutari quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

21. Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones ad breve tempus fiant, Sanctitas Sua declarat non obstare quominus, sic iubente Gubernio seu locatore, conductio fiat ultra triennium, sed tamen infra decennium.

22. Vult autem SSmus. Pater ut locationes ecclesiarum seminariorum, domorumque episcopalium et parochialium permitti nequeant nisi in casibus necessitatis vel evidentis Ecclesiae utilitatis.

Contrariis quibuscumque minime non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Vaticanis die, mense et anno praedictis.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Litterae gratulatoriae ad P. Lemius ob opus "Catechisme sur le modernisme, etc."

Illme. Seigneur,

Une haute louange, en même temps que l'expression de la plus vive satisfaction, c'est ce que j'ai le plaisir d'adresser à V. S. Illme. au nom du Souverain Pontife, après la remise que je Lui ai faite du splendide opuscule de V. S. portant le titre: "Catéchisme sur le Modernisme, d'après l'Encyclique *Pascendi dominici gregis*."

Le caractère du document pontifical et la nature des erreurs qui y sont condamnées pouvaient rendre malaisée la prompte et

complète intelligence, en toutes ses plus minimes parties, de la très importante Encyclique ; je dis pour les classes moins cultivées et étrangères au mouvement des bonnes comme des mauvaises doctrines, pour celles-là aussi qui, malheureusement trop faciles à donner accès aux erreurs, surtout quand elles se présentent sous de faux dehors scientifiques, ne sont point ensuite assez éveillées pour comprendre avec une égale promptitude la cause du mal.

C'est pourquoi vous avez fait une œuvre d'utilité insigne en décomposant le document en question, selon la méthode simple et unie de votre Catéchisme et en le mettant par là à la portée des intelligences les moins cultivées.

Sa Sainteté se complaît au génial et fructueux travail de V. S., et vous louant à un autre titre encore, c'est à savoir que vous ne vous êtes écarté en rien de la lettre même de l'Encyclique, Elle vous offre le vœu de voir le produit de votre si opportune étude obtenir une large diffusion et Elle vous accorde de cœur la bénédiction Apostolique.

Après vous avoir fait ces communications, je vous remercie à mon tour de l'exemplaire du dit opuscule que vous m'avez si aimablement offert, et je vous redis les sentiments de très profonde estime avec lesquels je suis, de V. S. Illme. le très affectionné serviteur.

Rome, le 13 Décembre, 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

BRIEFS.

Indulgentia toties quoties pro visitantibus ecclesias congregationis SS. Sacramenti in festo Corporis Christi.

PIUS PP. X

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Neminem latet festum SSmi. Corporis Christi Domini inter alias Ecclesiae sollemnitates omni modo eminere, ideoque Nobis nihil est antiquius quam ut dies quo Mysterium illud recolitur etiam caelesti indulgentiarum thesauro per universum terrarum orbem eniteat. Hoc consilio votis hodierni superioris generalis Congregationis SSmi. Sacramenti ultro libenterque annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, de speciali gratia, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione reffectis, quoties a primis Vesperis ad occasum solis sollemnitatis Corporis Christi, ecclesiam quamcumque ipsius Congregationis SSmi. Sacramenti ubique terrarum existentem devote visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxx Iulii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio

Pro Dno. Card. MACCHI.

N. Marini.

Breve SS. D. N. Pii div. prov. PP. X quo sacerdotibus qui operam suam impendent pio Operi Propagationis Fidel facultas benedicendi Rosaria eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas conceditur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum Nobis Apostolorum Principis Cathedram obtinentibus antiquius nihil sit magis, quam ut catholicum nomen latius per

orbem propagetur et inter gentes longo terrarum marisque spatio disiunctas errorum umbram Evangelii lumen depellat, pias fidelium societates, quae ad sacras expeditiones provehendas intendunt et divini verbi praecones stipe corrogata sustentant, peculiaribus privilegiis ac spiritualibus gratis cohonestare ac dictare satagimus. Hoc quidem consilio, cum Conciliorum centralium Praesules pii Operis Propagationis Fidei Nos enixis precibus flagitaverint, ut sacerdotibus, qui operam suam praedicto Operi impendent, veniam largiri dignaremur benedicendi Rosariis, sive Coronis precatoriis, eisque applicandi indulgentias, quae a Patribus Crucigeris vulgo appellantur, Nos piis huiusmodi precibus annuendum libenter existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac B.B. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, cuicumque sacerdoti, cui nunc et in posterum ubique terrarum munus demandatum fuerit in aliqua paroecia aut in aliqua Communitate colligendi eleemosynas pro pio Opere Propagationis Fidei, quantacumque sit pecuniae vis, quae ab ipso colligatur, atque etiam illi, qui de propria stipe in capsam eiusdem pii Operis inferat pecuniae summam illi parem, quam una Decuria solveret, et cuique pariter sacerdoti, qui ad quodcumque Concilium seu Comitatum ipsi pio Operi dirigendo vel promovendo pertinent, aut etiam qui ab Episcopo designatus rector dioecesanus omnibus fungitur muneribus, quae forent explenda per Concilium seu Comitatum eiusdem pii Operis, nec non sacerdoti qui in anno summam respondentem mille subscriptionibus in capsam pii Operis intulerit, undecumque eam acceperit, durante respectivo munere, facultatem concedimus benedicendi unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo dictam facultatem exerceat, Rosaria sive Coronas precatorias, eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas, nempe indulgentiam quingentorum dumtaxat dierum, defunctis quoque applicabilem, a christifidelibus lucranda, quoties aliquam ex eisdem Coronis manu gerentes Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam devote recitaverint, dummodo tamen Coronae ita benedicendae iuxta typum Coronarum SSmi. Rosarii B. M. V. fuerint confectae. Tandem largimur, ut, si forte contingat pecuniae summam durante anni curriculo colligendam esse praestituta minorem, nihilominus sacerdoti, qui anno praecedente summam integram collegerit, fas esto dicta benedicendi Coronis facultate uti ad finem usque vertentis computationis. Et sacerdoti similiter, qui una vice ex aere proprio in capsam pii Operis summam intulerit, quae illam aequet, quam mille adscripti solverint, ut sua naturali durante vita praedicta facultate gaudere possit ac valeat praesentium tenore concedimus. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 1 Februarii MDCCCXVIII., Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

DECREES.

CONGREGATION OF THE INDEX.

DECRETUM

Quo damnantur ac prohibentur quidam libri.

Feria III., die 17 Martii, 1908.

Sacra Congregatio Emorum. ac Revmorum. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo D. N. Pio P. X. Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 17 Martii, 1908, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

IL PROGRAMMA DEI MODERNISTI, *Risposta all' Enciclica di Pio X.* Pascendi dominici gregis. Roma, 1908.

PAUL BUREAU, *La crise morale des temps nouveaux. Préface de M. Alfred Croiset.* Paris, s. a.

P. SAINTYVES, *La réforme intellectuelle du clergé et la liberté d'enseignement.* Paris, 1904.

—*Les Saints successeurs des dieux.* Ibid. 1907.

—*Le miracle et la critique historique.* Ibid. 1907.

—*Le miracle et la critique scientifique.* Ibid. 1907.

FRANC. REGIS PLANCHET, *El absolutismo episcopal en la república mexicana. Apuntes para la historia.* Chihuahua, 1907.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 18 Martii, 1908.

FRANCISCUS Card. SEGNA, *Praefectus*.

Fr. Thomas Esser, Ord. Praed., *a Secretis*.

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Conceditur indultum pro denuntiationibus scriptis matrimoniorum faciendis in dioecesi Parisiensi.

Postulatum. Emus. Archiepiscopus nuper defunctus sequentia sub die 4 Nov., 1907, huic S.C. exposuit: "In iis civitatis dioecesisque Parisiensis parochiis, quae numerosissimos incolas habent, plurimae sunt, qualibet die dominica vel festiva de praecepto, futurorum matrimoniorum publicae denuntiationes seu proclamationes in missa parochiali, ad normam Concilii Tridentini cap. *Tametsi*, sess. 24 de reform. matr. Cum porro haec denuntiationum recitatio, prae magno numero matrimoniorum, per nimium tempus protrahatur, fideles, qui sacro intersunt et publicata nomina saepissime ignorant, taedio afficiuntur, vix capiunt quid legatur; imo, quod gravius est, avertuntur ne huic missae parochiali intersint, et sacrum ipsum praedicationis officium valde praepeditur. Animadvertit autem praefatus Archiepiscopus orator finem legis Tridentinae multo melius, tutius et plenius attingi posse, si, in his parochiis numerosissimis, parochi, omissis illis oretenus factis matrimoniorum denuntiationibus, in loco ecclesiae conspicuo scriptas schedulas affigant futura matrimonia continentes; quae schedulae affixae remaneant tota die dominica. Tunc enim omnes fideles praefatas scripturas, et quidem commodissime, legere poterunt, et futura matrimonia cognoscere. Unde enixe rogat Archiepiscopus orator Sanctitatem Vestram, ut sibi indultum concedere dignetur, vi cuius deinceps liceat, in parochiis suae dioecesis quae continent decem millia parochianorum vel amplius, praefatae legi Tridentinae satisfacere, affigendo in loco ecclesiae conspicuo, per tres dies dominicas vel festivas continuas, scriptas schedulas futura matrimonia exhibentes, quae schedulae per totam diem, a prima missa matutina, usque ad ultimum liturgicum officium vespertinum, affixae remaneant."

Animadversiones ex officio. Ex duabus causis exposcitur ut publicatio oralis matrimoniorum contrahendorum subrogetur per denuntiationem scriptam affigendo ad valvas ecclesiae parochialis schedas scriptas nominum contrahentium; quae causae sunt: 1) magnus matrimoniorum numerus, unde fideles non facile recordantur audita nomina; 2) nimium tempus pro hisce publicationibus faciendis, unde taedio affecti ab interventu missae paroeciali, et sacrae in ea concioni avertuntur. Profecto quoad formam denuntiationum matrimonii celebrationi praemittendarum a Conc. Trid. (*loc. cit.*) haec stricte praeciuntur: "Sancta Synodus sacri Lateranensis Concilii sub Innoc. III.

celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur a proprio parcho, tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnias, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum." Uti ex recitato textu per se patet, forma taxative a Conc. Trid. praescripta pro denuntiationibus est, quod fiant viva voce intra missam.

Atqui rationes adductae pro nova forma publicationis in scripto faciendae non satis fundatae videntur. Nam si fideles fastidiunt audire longam nominum eorum inter quos erit matrimonium contrahendum recitationem, facilius omittent perlegere vel percipere ea nomina indicata in schedis ad valvas ecclesiae affixis. Hinc finis a Concilio Trid. intentus nempe impedimentorum detectio potiori ratione frustrabitur. Insuper haec nova expostulata forma redoleret quamdam imitationem laicae potestatis in publicatione matrimoniorum ritu civili celebrandorum: et ex responso S. C. Inquisitionis ad Vicarium Apostolicum Iamaicae sub die 12 Maii 1882 habetur, proclamationes a Iure Tridentino praescriptas suppleri non posse per denuntiationes a magistratu civili ad celebrationem matrimonii civilis factas.

Caeterum derogatio formae Tridentinae non videtur necessaria, sed melius expediret ut nomina iam oraliter publicata inter missarum solemnias, iterum denuntientur per schedarum affixionem. Porro tradit Wernz (*de iure matr.*, tit. 3, not. 28): Episcopos non prohiberi quominus praeter consuetas proclamationes possint etiam affixionem scriptam ad valvas ecclesiae paroecialis praescribere: ita in concilio Prov. Neapolitano an. 1669 tit. 3, cap. 9 de sacr. matr. habetur: "Ab ipsis parochis matrimonium contrahendum proclametur et nomina denunciatorum in valvis ecclesiae affigantur": ita in Concil. Prov. Neogranatensi an 1868 tit. IV., cap. 11 edicatur: "Si parochi duas vel plures paroecias administrent, denuntiationes faciant in illa in qua die dominica vel festo missam celebrant, figant tamen denuntiationes ipsas in valvis paroecialis ecclesiae in qua contrahentes domicilium habent, per tres dies festos non interruptos." Cum itaque Episcopi iubere valeant ut factae a parochis oretenus denuntiationes inter missarum solemnias, renovari valeant affigendo ad valvas ecclesiae nomine iam denunciatorum, petita in casu dispensatio non videtur necessaria et opportuna, cum per hoc duplex publicationum genus legis scopus tutius obtineatur.

Neque magni ponderis videtur alia allata ratio, quod nempe per huiusmodi orales publicationes, fideles avertantur ab assistentia missae paroeciali et concioni: siquidem huiusmodi publicatio seu recitatio personarum matrimonium contrahere volen-

tium non semper eadem erit, sed modo longa modo brevior iuxta diversa tempora et circumstantias. Aliunde etiam Romae, sicuti in aliis magnis civitatibus extant paroeciae valde numerosae; et parochi vel Episcopi nunquam has querelas moverunt.

Ex adverso preces Emi. Archiepiscopi videntur benigno favore esse excipiendae. Quamvis enim lex Tridentina taxative praescribat ut denuntiationes fiant diebus festis in ecclesia parochiali et inter missarum solemnia, tamen praecipuus huius legis finis est inspiciendus nempe detectio impedimentorum, nam, uti edicitur in can. *Humanae aures*, caus. 24, quaest. 5 Decreti Gratiani, "non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem, quia intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni." Hinc in proclamationibus faciendis ea teneri debet forma, quae eorum fini respondeat.

Ita, licet ex Trid. Conc. textu denuntiationes fieri debeant intra missam, tamen iuxta resolutionem huius S. C. in una *Lunen.-Sarzanen.* 16 Aug., 1828, declaratum fuit, eas fieri quoque posse in alio tempore, quo populi concursus esset frequentior, nempe tempore cantus vesperarum diebus festis. Nam, uti advertitur in folio citatae causae § *Canonici contendunt*, "saluberimae legis a Conc. Trid. praescriptae scopus ac finis non alius certe fuit (quemadmodum praescribit haec S. C. in *Brunen.* diei 17 Iunii 1780 relata in *Tudertina-Denunciationum* 19 Aprilis, 1823) nisi ut in populi frequentia ineunda matrimonia denuncientur, quo facilius, si quae fuerint impedimenta detegantur."

Item iuxta Tridentinam formam publicationes fieri debent in ecclesia parochiali: at S. Alphonsus (*theol. mor., lib. 6, n. 991*) cum aliis doctoribus ait probabile esse quod fieri possint etiam extra ecclesiam occasione alicuius sacrae functionis in loco magni concursus, saltem sine mortali et, si adsit aliqua causa, sine ulla culpa. Idem tenet Sanchez (*De sacr. matr., lib. 3 disput. 6, n. 9*): "Quinto Tridentinum iubet denuntiationes diebus festis et in ecclesia inter missarum solemnia faciendas esse: at idem credo esse, si extra ecclesiam in locis competentibus, uti in praedicationibus, magna populi copia conflente, fierent. . . . Nam finis decreti Tridentini dum petit in ecclesia et diebus festis, inter missarum solemnia denuntiationes fieri, est ut ad multorum notitiam matrimonium perveniat, quo facilius impedimenta detegantur; diebus enim festis inter missarum solemnia ingens hominum copia solet confluere in ecclesiam. Cum ergo sufficientissime huic fini satisfiat, quando in locis publicis, ubi maior est populi concursus, fierent, satis erit."

Ex hucusque itaque enucleatis liquido apparet, quod forma a Tridentino inducta circa denuntiationes faciendas non debet materialiter seu literaliter accipi, sed subordinate ad finem in-

tentum iuxta ea quae tradit lex. *ib. ff. de legib.*: "Leges scire non est earum verba tenere, sed vim et potestatem." Verum, ut exponit Emus, Archiepiscopus, forma publicationis oralis inter missarum solemnias matrimoniorum ineundorum in paroeciis Parisiensibus ultra 10 millia incolarum frequentioribus amplius suum finem non consequitur. Ergo congruum est ut de ea amplius ratio non habeatur, sed potius alia inducatur vel substituat. Cum autem nova forma proposita nempe forma publicationis per schedas affigendas ad valvas ecclesiae in diebus festivis, quibus magnus concursus fidelium ad ecclesiam paroecialem fieri consuescit, ex eiusdem Emi. Archiepiscopi testimonio sufficienter respondeat fini a Conc. Trid. intento in denuntiationibus matrimonialibus iubendis, hinc ea videtur approbanda.

Decisio. Emi. Patres S. C. Concilii, in plenariis conventibus diei 28 Martii, 1908, respondendum duxerunt: *Pro gratia iuxta petita, facto verbo cum. SSmo.*

ROMANA ET ALIARUM

DUBIORUM

Circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

In plenariis comitiis ab hac S. C. habitis die 1 Februarii, 1908, proposita fuerunt, inter alia, dirimenda duodecim dubia decretum *Ne temere* respicientia. Resolutiones autem et declarationes ab Emis. Patribus editas, in audientia diei 4 eiusdem mensis Februarii Emo. Card. Praefecto concessa, SSmus. Dominus Noster ratas habere et confirmare benigne dignatus est easque vulgari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Interim quum ad tertium propositum dubium, nempe: *utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto Ne temere statuta*; responsum prodierit: *Dilata et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales*; huiusmodi votum a duobus Consultoribus expostulatum fuit, et tertium additum super aliis eadem in materia dubiis ad hanc S. C. oblatis.

Dubia. I. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto Ne temere statuta.*

II. *An in art. XI., § 2 eiusdem decreti sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium.*

III. *Num exceptio, per Const. Provida in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.*

IV. *An Ordinarii et parochi nedum explicitè sed etiam implicitè "invitati ac rogati," dummodo tamen "neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum," valide matrimonii assistere possint.*

V. *An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii.*

VI. *Utrum sponsalia praeterquam coram Ordinario aut paracho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.*

VII. *Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel paracho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut paracho.*

Resolutiones. Quibus dubiis in generali Congregatione diei 28 Martii, 1908, propositi Emi. Patres S. C. Concilii, omnibus sedulo perpensis, respondendum mandarunt.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut paracho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi.*

Die autem 30 dicti mensis Martii SSmus. Dnus. Noster, audita relationae infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas Emorum. Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium minime obstantibus.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

B. Pompili, *Secretarius.*

De facultate substituendi in servitio chori et altaris.

Ut in Capitulo cathedralis Derthusensis evitaretur substitutio fere semper earumdem personarum et melius decori cultus et choralis servitio provideretur, die 17 Aprilis 1883 inter ipsos canonicos conventum fuit, et Episcopi decreto firmatum: 1^o. ut, eveniente vacatione canonicatus aut dignitatis, pro his qui respectivum onus chori et servitii altaris turnatim ferrent, annuatim essent assignatae libellae 300; 2^o. ut impeditis a praestatione servitii choralis vel altaris ob chronicam infirmitatem vel aliam non temporaneam causam a Capitulo darentur substituti et retinerentur super eorum beneficio annuae libell. 200, distribuendae ratatim inter eos qui turnale servitium obiissent pro impeditis.

Anno autem 1897 concinnata fuerunt statuta capitularia eaque Episcopi approbatione vallata manserunt, sed in iis, quae ordinationem choralis servitii concernunt, nihil immutatum fuit.

Sub finem anni 1905 Capitulum censuit praefatam dispositionem an. 1883 esse etiam applicandam canonico doctorali Raymundo O'Callaghan necnon canonico poenitentiario et canonico Gomez, qui utpote chronica infirmitate impediti a chori servitio et altaris, illud adimpebant per substitutum a se designatum, parva vel nulla retributione concessa. Contra dictam Capituli decisionem canonicus O'Callaghan nunc querelas movet, et contendit etiam nomine aliorum duorum canonicorum liberum esse in substituto constituendo, quin ullimode subiici possit deductioni enunciatae summae mulctatitiae libell. 200 in singulos annos.

Dubium. *An et quomodo sit locus applicationi statuti capitularis diei 17 Aprilis 1883 quoad canonicum O'Callaghan et alios duos infirmos canonicos in casu.*

Emi. Patres S. C. Concillii, in generalibus comitiis diei 1 Februarii 1908 respondendum duxerunt :

Negative, et servetur ius commune.

Distributiones "inter praesentes" Idem sunt ac distributiones extraordinariae.

Rescripto diei 17 Nov. 1905, quod die 14 Dec. 1906 prorogatum fuit, Raymundus Hernando, beneficiatus Cathedralis Iacensis, obtinuit ab hac S. C. indultum exemptionis a choro et residentia cum clausula "amissis distributionibus inter praesentes tantum," ut suam valetudinem curare valeret.

Vi conventionis initae a. 1851 inter S. Sedem et Hispaniam distributiones chorales apud Capitula illius regionis abolitae extiterunt, sed earum loco suffectae sunt punctaturae, seu mulctatitia quaedam pecunia desumenda ab obventione cuiusque praebendati, quae accrescit tantum chori servitio interessentibus, exclusis ab eius participatione absentibus, salvo exceptionibus designatis in cap. *Consuetudinem, de cler. non resid. in 6º*, et pro iubilatis: harum autem distributionum taxatio varia est secundum diversa statuta Capitulorum in Hispania. Insuper, in Capitulo Iacensi, duae statutae sunt extraordinariae distributiones pro interessentia in festis Nativitatis Domini et Epiphaniae.

Iam vero Capitulum Iacense in applicando memoratum indultum beneficiario Hernando ratum est, sibi ius esse retinere pecuniam mulctatitiam seu partem obventionis distribuendam inter

beneficiarios choro interessentes. Huic retentioni primo anno acquievit beneficiarius Hernando, at postea recursum obtulit Capitulo, contendens vi supra relatae clausulae, retentioni non subiici, et insuper participem esse debere pro rata pecuniae mulctatitiae a praebendatis absentibus persolutae. Capitulum vero super hoc duxit, ut tuto procederet, rogare hanc S.C.

Sacra Congr. Concilii, in plenario conventu diei 29 Februarii 1908, rescribere censuit :

Vi indulti beneficiatum Hernando amittere debere tantum distributiones extraordinarias in casu.

Admittitur iurisdictio paroecialis in controverso territorio ex facto immemorialis possessionis.

In archidioecesi Ianuensi quoddam extat territorium *Lonfagnolo* nuncupatum, quod ad meridiem circumscribitur a paroecia loci *Busalla* per rivum *Chioso*, et ad septentrionem limitatur ab altera paroecia oppidi *Borgofornari* per rivum *Suia*. Quaestio autem agitur inter utrumque rectorem, cuinam scilicet competat paroecialis iurisdictio in ductum territorium. Iamvero in hoc territorio usque ad annum 1883 nonnisi una extracta fuit domus colonica vulgo *cascina*, in quam parochus Busallae suam exercuit iurisdictionem pluribus abhinc saeculis, a tempore nempe quo quaedam videtur intercessisse privata permutatio, vi cuius parochus Burgifurnariorum cessit praefatam domum parocho contermino Busallae, qui ex parte sua parocho Burgifurnariorum cessit aliam domum in territorio *Angia* sitam. Sed quidquid de asserta conventionem sentiendum sit, certum tamen est, ab anno 1883 usque in hodiernam diem in eodem territorio *Lonfagnolo* et alias excitatas fuisse domus, quae occasionem praebuerunt modernae praesertim controversiae.

Siquidem actualis parochus loci Busallae contendebat nedum primaevam domum colonicam sed et alia nupera aedificia territorii *Lonfagnolo* in vim citatae permutationis esse sibi subiecta : quod alter parochus oppidi Burgifurnariorum admittere renuebat. Hic proinde die 27 Oct. 1902 querelas movit apud Archiepiscopum Ianuensem, qui sub die 17 Martii 1903 utrique parocho rescribi mandavit, permutationem in casu restringendam esse ad duas veteres domus, nempe *Lonfagnolo* et *Angia*, non autem quoad alias domus recenter extractas. Interim ad huius archiepiscopalis declarationis normam parochus Burgifurnariorum, Paschate eiusdem anni imminente, benedictionem controversarum domorum perfecit. Verum parochus oppidi Busallae tam contra datam declarationem sibi adversantem, quam contra spoliū ab altero parocho per domorum benedictionem perpe-

tratum, iudicalem actionem in possessorio et in petitorio simul instituit penes eandem Curiam Ianuensem, qua die 28 Maii 1904 emisit sententiam, qua iudicavit: 1° benedictionem domorum a parocho Burgifurnariorum peractam in loco *Lonsagnolo* esse iustam et legitimam: 2° paroeciam Busallae nunquam retinuisse legitimam possessionem territorii *Lonsagnolo*, ne quidem quoad veterem domum calonicam ibidem extantem; 3° omne territorium *Lonsagnolo* usque ad rivum *Chioso* pertinere ad paroeciam Burgifurnariorum; e contra territorium *Angia* spectare ad paroeciam Busallae. Ab hac tamen sententia, se in suo iure parochiali laesum censens, apud hanc S. C. provocavit parochus Busallae.

Dubium. *An sententia Archiepiscopalis Curiae Ianuensis diei 28 Maii 1904 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutio. Emi. Patres S. Congr. Concilii in plenario coetu diei 29 Februarii 1908 respondendum censuerunt:

Sententiam esse infirmandam.

CONGREGATION OF BISHOPS AND REGULARS.

NORMAE

pro regimine civili ac disciplinari Seminariorum Italiae, a SSmo.

D. N. Pio Pp. X adprobatae.

Ut in clero institutio promoveretur latior ac praesentibus necessitatibus aptior, S. C. Episc. et Regul. die 10 Maii 1907 publicavit, approbante SSmo. Dno. Nro. Pio Pp. X, generale studiorum programma pro omnibus Italiae Seminariis. Ad dignos tamen Domino Sacerdotes instituendos, praeter doctrinam diligentior requiritur clericalis institutio, qua deficiente, actio cleri populo vix profutura esset. "*Lux enim doctrinae a clero in christiani populi ordines diffundenda vix dici potest quam magnam habeat utilitatem, si quasi e candelabro virtutis effulserit.*" (Leo. XIII, Encycl. "*Officio Sanctissimo*" 22 Decemb. 1887). Hac de causa, Sanctitas Sua, quae quam maxime curat cleri institutionem, huic S. Congregationi commisit insuper, ut ea studerentur ac proponerentur praecepta quae aptiora existimarentur ad moderandam uniformi efficacie ratione clericalem institutionem disciplinamque in Seminariis.

Has "*Normas*," ab apposita Commissione conditas, ponderatas approbatasque ab eadem S. S., nunc ad Ordinarios, Moderatores et alumnos S. Cong. transmittit spem fovens, ipsis recte adhibitis, fore ut primis facilius reddant arduum sublimeque munus pios in vinea Domini instituendi operarios, alteris expeditior

securiorque via sternatur ut fiant, qui esse tenentur, sacerdotes doctrina virtuteque praediti. "*Oportet clerum doctrinae laude, et quod caput est, summa laude virtutis excellere, ut animas hominum conciliet sibi atque in observantiam adducat.*" (Leo. XIII, Encycl. citata).

Datum Romae, e Secretaria S. C. Episc. et Regul. in festo Cathedrae S. Petri, 18 Ianuarii 1908.

Quae in hoc libello, cui titulus: "Norme per l'Ordinamento educativo e disciplinare dei Seminari d'Italia" a Sacra Episcoporum et Regularium Congregatione praescripta sunt, ab omnibus, ad quos spectat, servari et executioni demandari iubemus.

Ex Aedibus Vaticanis, Kalendis Ianuarii Anno MCMVIII.

PIUS PP. X.

PARS PRIMA

Seminariorum regimen.

CAPUT I.—DE SUPREMO REGIMINE.

Art. 1.—Supremum regimen iura et officia Episcoporum in Seminaria comprehendit vi plenitudinis potestatis iisdem a Conc. Trid. delatae: "*Episcopus.... omnia et singula, quae ad felicem huius Seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, discernere ac providere valeat.*" (Sess. xxiii, Cap. 18, De Reformat.).

Art. 2.—Dioecesanorum Seminariorum supremum regimen pertinet ergo ad Episcopos cuiusque dioeceseos; seminariorum vero interdioecesanorum Episcoporum Collegio adscribitur qui eodem Seminario fruuntur.

Art. 3.—Dispositiones Conc. Trid. (Sess. xxiii, Cap. 18, De Reformat.) officia Deputatorum Seminariorum respicientia in suo pleno robore permanent quoad Seminaria dioecesana. Seminariis vero interdioecesanis rite consultum est Episcoporum Collegio.

Art. 4.—Munus est Episcoporum gravissimum maxima cum diligentia Seminariis invigilare. "*Seminaria clericorum iure sibi vindicant plurimas et maximas animi consilii vigilantiae vestrae partes.*" (Leo XIII, Encyl, "*Etsi Nos*" 25 Feb. 1882). Quod obtinebunt mandatis parentes Conc. Trid. "*Episcopi omnia opportuna et necessaria (ut pueri in disciplina ecclesiastica instituantur) constituent, eaque ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt.*" (Sess. xxiii, Cap. 18, De Reformat.).

Art. 5.—Episcopi, ad quos pertinet supremum Seminariorum interdioecesanorum regimen, saltem semel in anno conveniant ad examinandam relationem Rectoris de statu morali scientifico

oeconomico atque hygienico Instituti, et ad consilia sumenda, de communi consensu, necessaria et utilia; ea exequenda generaliter committant Episcopo dioeceseos in qua Seminarium adest. Ut vero sibi suadeant de recta Instituti agendi ratione, cum eo directe consuetudinem fovebunt, alumnos invisere et ipsis moderatoribusque quidem epistolas mittere poterunt.

Art. 6.—Ad episcopum vel ad Episcoporum Collegium pertinet nominatio et dimissio illorum qui intimae Seminariorum directioni praeficiuntur, de Rectoris autem consensu, cum agatur de dependentibus ab eo.

Art. 7.—Electio et permansio tum Superiorum tum professorum Seminarii moderator iuxta dispositiones Sacrae Romanae Inquisitionis die 28 Augusti 1907 publicatas, Litteris Encyclicis "*Pascendi dominici gregis*" et Motu proprio regnantis Pontificis Pii PP. X "*Praestantia*" confirmatas. Praestat autem in mentem revocare quae Leo XIII f. r. Episcopis Hungariae commendabat: "*In iis (Seminariis) maxime evigilent curae et cogitationes vestrae: efficit ut, litteris disciplinisque tradendis, lecti viri praeficiantur, in quibus sanctitas cum innocentia morum coniuncta sit, ut in re tanti momenti confidere eis iure optimo possitis. Rectores disciplinae, magistros pietatis eligit prudentia consilio, rerum usu prae ceteris commendatos, communisque vitae ratio auctoritate vestra sic temperetur, ut non modo nihil unquam alumni offendant pietati contrarium, sed abundant adiuventis omnibus quibus alitur pietas: aptisque exercitationibus incitentur ad sacerdotalium virtutum quotidianus progressus.*" (Enc. "*Quod multum*" 22 Aug. 1886).

Art. 8.—Nullimode Episcopi permittant alumni suae dioeceseos studiis incumbere privatim aut extra Seminaria a se dependentia.

Art. 9.—Episcopi omne studium adhibeant ut Seminarium domum habeat rusticationis in qua alumni animum relaxare queant feriis autumnalibus. "*Vitandi periculi ratio suadet ut comparetur alumni rusticatio ad feriandum, nec arbitrium relinquatur suae cuique ipsorum adeundae familiae. Multa enim pravitatis exempla manent incautos.... quo fit ut, in iuvenes cupiditates prona aut ab incepto deterreantur, aut sacerdotes futuri sint offensioni populo.*" (Leo XIII, Encycl. "*Paternae providaeque nostrae.*" 18 Sept. 1899).

Art. 10.—Inter gravissima Episcoporum officia illud recenseatur promovendi clericos ad Ordines sacros; quare omni studio utantur ut illud adamussim persolvant. "*In admittendis iuvenibus ad SS. Ordines maxima utatur ponderatione, iuxta monitum gravissimum S. Pauli ad Timotheum: manus cito nemini imposueris. In his omnibus oportet ut posthabeatur quaevis alia ratio, quae semper inferior censenda est ea gravissima dignitatis S. Ministerii.*" (Leo XIII, Epistola ad Italiae Episcopos, 8 Dec. 1902).

Art. 11.—Ut recte iudicetur de qualitatibus moralibus Ordinandorum prae oculis habeatur Decreta S. Officii atque bina documenta Summi Pontificis Pii X sub num. 7 citata. Quod ad aetatem studiaque pertinet sequentia serventur:

Art. 12.—Tonsura nonnisi alumnis conferatur Propedeuticae curriculo operam navantibus, et Ordines minores iis tantummodo qui primo vel secundo anno S. Theologiae studio incumbunt.

Art. 13.—Nullus, licet aetatem a Conc. Trid. statutam attigerit ad subdiaconatum promoveatur nisi tertium annum S. Theologiae expleverit; ad diaconatum ante Pascha quarti anni; ad presbyteratum ante exitum quarti eiusdem anni. (Cf. Art. 113). "*Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit.*" (Conc. Trid. Sess. xxiii, Cap. 12).

Art. 14.—Mense saltem ante statutam ordinationi diem ordinandi rectorem de sua voluntate certiore reddant per syngrapha. Si de alumnis dioecesanis agatur, Rectores petitiones Episcopo offerant, qui necessariis exquisitis investigationibus a parochis Moderatoribusque Institutum, in quibus forte antea commemorati sint, ad se advocet componentes Tridentinae Commissionis, Rectorem ac Seminarii Professores, ut ab eis sententiam petat: proinde iuxta conscientiam statuta, Rectorique elenchum Ordinandorum mittat, qui de hoc interesse habentes moneat, vetito exclusis iure recurrendi. Si vero agatur de alumnis extradioecesanis, petitiones ad respectivos Episcopos mittat Rector una cum sua sententia. Episcopi, peractis necessariis inquisitionibus, prout iam dictum est, dimissoriales litteras tradant, vel suos alumnos in suam dioecesim vocent ad S. Ordinationem, prouti opportunius sibi videatur.

Art. 15.—Statim antequam ad Ordinationem procedatur, ordinandi spiritualibus exercitiis vacent decem per dies promovendi ad maiores, quinque per dies ad minores ordines.

Art. 16.—In reliquis praescripta SS. Canonum serventur.

Art. 17.—Ut rectae oeconomicae agendi rationi consulatur Seminariorum, quae interdioecesana declarabuntur, instituetur aerarium commune ab Episcopis ordinarium Episcopale consilium componentibus.

Art. 18.—Hoc aerarium constituetur: a) ex mensarum Episcopali ac dioecesanorum Seminariorum contributionibus iuxta rationem ab ipsis Consiliis determinandam; b) ex fortuitis subsidiis a peculiaribus S. Sedis concessionibus promanantibus; c) ex oblationibus cleri fideliumque.

Art. 19.—Huius aerarii administratio Commissioni committatur trium saltem membrorum in Consilio Episcopali eligendorum.

Art. 20.—Ad aequam fundorum praefati aerarii distributionem

in Seminaria interdioecesana, Consilium Episcoporum opportunas peculiaresque normas statuatur.

Art. 21.—Singulis annis Episcoporum Consilio offerat Commissio summam rationum (*bilancio*) atque sumptuarias rationes (*conti consuntivi*) ut adprobentur.

CAPUT II.—DE INTIMA DIRECTIONE.

Art. 22.—Seminariorum intima directio ad Rectorem pertinet, qui quoad disciplinam adiuuabitur iuxta alumnorum frequentiam ab uno vel duobus Vice-rectoribus, et a contuberniorum praefectis; quoad pietatem a pietatis magistro; quoad studia a studiorum praefecto et a professoribus: quoad denique administrationem ab oeconomis.

Art. 23.—Singulis ab Episcopo vel Episcoporum Collegio ad praefata munera explenda vocatis omnia iura atque officia competent ab ipsa muneris natura vel a legitima consuetudine promanantia. Quae maioris momenti sunt, hic breviter attingimus.

Art. 24.—Quisque Superior in nobile graveque munus sibi commissum animum intendat, et studeat totis viribus, ut fidelitate, zelo, constantia atque caritate illud expleat. Omnes prae oculis habeat verba Summi Pontificis Leonis XIII f. r. in Epistola ad Italiae Episcopos diei 8 Decembris 1902: "*Maxime interest ut ad instituendos sanctuarii alumnos iuxta vivam imaginem D. N. I. C., quod tota complectitur ecclesiastica institutio, moderatores et professores cum diligentia peritiaeque sui officii exemplum vitae omnino sacerdotalis coniungant. Integrae vitae ratio Superiorum vox est maxime iuvenibus eloquentior ac suadentior ut in eorum animis proprii muneris persuasio ac boni amor insperetur.*"

§ 1.—De Rectore.

Art. 25.—Rector est Seminarii praepositus proximus, omnium primus, ut ait S. Carolus Borromeus, cuius etiam haec sunt: "*eique ceteri cuiuscumque ordinis, in functionibus munerum suorum ac in omnibus prorsus quae ad Seminarii referuntur utilitatem, obtemperare tenentur.*" (Inst. p. 2 c. 2.) Rector itaque velut centrum est, a quo vita Seminarii promanat: ad eum pertinet intima directio cum omnibus officiis ac iuribus quoad moralem, scientificam, hygienicam et materiale Instituti agendi rationem.

Art. 26.—Ei immediate subiiciantur omnes alii ministri. Ipse autem ab Episcopo debeat, cui continuo referat cuncta quae ad Seminarium attinent, nihilque gravioris statuatur absque eiusdem approbatione.

Art. 27.—Suam expleat actionem suos coadiutores dirigendo ac ducendo, cum quibus semel saltem in mense conferet; ab

ipsis de statu communitatis certior reddetur: eorum consilia curet ut futuris obsistat abusibus, ac pietatem scientiamque inter alumnos promoveat.

Art. 28.—Eius praecipuum munus in alumnos esto eos instituere ad vitam religiosam et sanctam. Utpote pater eos dirigat, idest eos moderando cum aequa auctoritate atque suavitate: *fortiter et suaviter*. Ipse potius quam uti minis et punctionibus, in eis inspiret sensus officii, et obsequii erga auctoritatem ac desiderium boni libere potius ob suasionem ac conscientiae impulsu, quam observile metum iuxta monitum Pauli: *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.... (*) facientes voluntatem Dei ex animo* (†).

Art. 29.—Cum alumni itaque saepe opportunos habeat sermones ut eos doceat acque hortetur ad eorum munerum observantiam, et usum praeceptorum humanitatis. Ut autem eos intime ac directe cognoscat, non tantum privatim singulos admoneat ac hortetur, sed pater studiosus saepius iis interesto absque tamen auctoritatis detrimento.

Art. 30.—Iuxta munus suum Rector invigilet sinceritati ac progressibus sacerdotalis vocationis alumnorum, eorundem profectum animadvertens in pietatem, virtutem, studia, omniaque statum ecclesiasticum respicientia.

Art. 31.—Quad ad disciplinam attinet, supremam ac generalem exercent vigilantiam in omnes et in omnia, quin tamen se nimis immisceat in rebus minimis ac secundariis suis coadiutoribus commissis. In eos fidem ostendat eis congruam gerendi libertatem relinquens. Studeat ut auctoritatis principium integre existimetur, et regulae religiosissime serventur. Reservata suis dependentibus minorum punctionum cura, gravioribus casibus adesto, ut debite admoneat et congruam, quatenus id necesse sit, punctionem infligat.

Art. 32.—Quod vero ad studia attinet, invigilet, ut alumni veros in variis disciplinis progressus faciant. Opportune itaque perpendat acta in quibus Professores adnotant statum quotidiani progressus in studiis et disciplina singulorum alumnorum; ius habeat scholas visitandi, alumnos interrogandi, periculis adstandi; et absoluto quovis bimestri adnotationes singulorum mittat Episcopo, vel Episcopis Consilium constituentibus.

Art. 33.—Paternarum Rectoris sollicitudinum objectum quidem esto alumnorum valetudo, certiore se faciens sive per se, sive per vice-rectorem de victus, integritate, et ut hygienica praecepta serventur ac infirmis apte consulatur illisque quidem quorum valetudo peculiares deposcat curas.

* S. Paul. *Ad Rom.* XIII, 5.

† S. Paul. *Ad Eph.* VI, 6.

Art. 34.—Quod autem ad Communitatis administrationem attingit, iure gaudeat, urgentes impensas ordinandi, quas necessarias vel utiles ad rectam Seminarii gerendi rationem existimet, consulto prius Episcopo cum de gravioribus agatur expensis, ne statui oeconomico Instituti ullum praeiudicium afferatur.

Art. 35.—Tabulas generales habeat omnium alumnorum, in quibus inscriptis nomine cognomine cuiusque ipsorum eorumdem parentum, dioecesi, patria, ortus anno, mense, ac die, ac ingressu in Seminarium, studiis expletis ac incoeptis, annuatim adnotentur contubernium, auditorium, fortuiti e Seminario egressus, periculorum annualium ac reparationis exitum, dies ss. ordinationum, praemia adepta, omnia denique quae ad progressum vel regressum alumni in pietatem, disciplinam atque studia referantur.

Art. 36.—Singulis annis expletis Episcopo Rector diligentem relationem subiiciat de Instituti statu morali, scientifico, hygienico, atque oeconomico.

§ 2.—*De Vice-rectore.*

Art. 37.—Munus est Vice-rectoris rectorem coadiuvendi, eiusque vices gerendi, cum absit vel detineatur. Vice-rector itaque peculiarem obsequium in rectorem ostendito, et abstineat a dissensionibus et ab imprudentis voluntatis iactantia; semper sibi commissa tantum expleat, ac eundem prosequatur benevola apertaue subiectione.

Art. 38.—Omnia ad Vice-rectorem pertinent quae disciplinam vel legum observantiam respiciunt. Eius esto assidue seduloque contubernii praefectis, vitae communi alumnorum, eorumdem munditiae atque usui praeceptorum civilis institutionis.

Art. 39.—Praefectis frequenti congregiatur consuetudine, ut de agendi ratione contubernii ipsis commissi certior sit, et ita consulere possit necessitatibus sive per se, sive, in negotiis maioris momenti, de Rectoris consensu. Hunc nihil celato, et diebus horisque statutis eum doceat de omnibus, ut normas consiliaque recipiat quae fideliter exequatur.

Art. 40.—Curam habeat ut alumni sibi omnia comparent quae propriis sumptibus comparanda tenentur, uti v. g. libros, res scholasticas etc., studeat ut nihil in Seminarium importetur, nihil alumni tradatur absque consensu suo. In libris comparandis maxima utatur cautela, idque agat de Rectoris consensu.

§ 3.—*De Contubernii Praefectis.*

Art. 41.—In praefectos eligat Rector clericos pietate, studio, intelligentia ac amore erga disciplinam prae ceteris excellentes.

Ipsi autem studeant ut omnibus exemplo sint aetatem cum prudentia compensando.

Art. 42.—Eorum esto praecipue, tempore lectionum, excepto, continuo in alumnis interesse, eosque vigilantia prudenti modestaque prosequi absque tamen vana iactantia, ut quibuslibet incommodis via praecludatur, ac indoles qualitatesque cuiusque intime cognoscatur.

Art. 43.—Omnino curent ut ab alumnis mussitatio censuraque amoveantur, praesertim cum auctoritatem respiciant, nitentes ut ab ortu funesta deleantur initia cuiusvis haud rectae propensionis.

Art. 44.—Impediant pariter manuum lusus, lites, pungentes facetias, quemlibet actum, quaecumque verba, ecclesiasticae gravitati non congruentia; delinquentes cum caritate admonendo ut ad meliorem frugem se recipiant. Generatim semper invigilent, ne unquam alumni variis rerum adiunctis praeceptis deficiant perfectioris urbanitatis.

Art. 45.—Omnem diligentiam adhibeant ut adamussim servantur praecepta Seminarii atque dispositiones peculiare Moderatorum.

Art. 46.—Cum prudentia ac sinceritate Rectorem et Virectorem doceant de alumnorum agendi ratione, in quos nec praelationem nec peculiarem dilectionem exhibeant.

Art. 47.—Invigilent ut alumni, domi forisque, semper nitida munditie excellent.

Art. 48.—Si contigerit aliquem admonere, id agant fraterna cum caritate, cum observantia et moderatione, ratione habita diversae indolis iuvenum ut eos meliores reddant.

Art. 49.—Singulariter sint solliciti de alumnorum sanitate, cautelas contra infirmitates adhibentes, atque statim Superiores doceant si quis infirma valetudine afficiatur. (Cfr. *Praecepta hygienica*, n. 4). Eorum muneris fundamentum caritas esto.

§ 4.—*De pietatis Magistro.*

Art. 50.—Pietatis Magister committitur alumnorum spiritualis cura, ut instituantur ad perfectam vitam sacerdotalem. Itaque summopere studeatur, ut huic muneri praeficiatur sacerdos quem constet praeditum esse necessariis requisitis; (Cfr. art. 7).

Art. 51.—Nulli Seminario Magister desit pietatis idque utpote grave peculiareque praeceptum iniungitur omnibus Rmis. Ordinariis. Ipse habitualiter in Seminario commoretur, ut paratus sit quoties alumni eum exposcant, prouti mos est praestantiorum Institutorum.

Art. 52.—Si ob pecuniaria adiuncta per aliquod tempus quominus resideat impediatur, Seminarium quotidie petat horis et

loco statutis sacerdos externus, cui munus, de quo agimus, commissum est, ut alumnos eum petentes audiat.

Art. 53.—*Cura praecipua pietatis Magistro esto in alumnos infundere ac colere, maiori qua potest constantia, pietatem illam, quae omnibus sed praesertim clero uber est inestimabilis utilitatis. Quo magis pietas in clericos penetraverit, eo magis ipsi parati erunt ad sacrificii studium strenuum, cuius tanta est necessitas ad sollicitè curandam Dei gloriam et animarum salutem.* (Leo XIII, Epist. cit.)

Art. 54.—Confessiones alumnorum audiat pietatis Magister, eisque monita, quae in Dno. expedire iudicaverit, praebeat, quoad praesertim sacerdotalem vocationem. Eos dirigat ad meditationem peragendam, sive lectione sive expositione, sive quemdam librum aptum indicando, atque eiusdem diuturnitatem iuxta alumnorum aetatem moderatur.

Art. 55.—In obsequium sui sublimis ac peculiaris muneris, summo studio caveat, ne sese immisceat in disciplinari agendi ratione Seminarii; neque alumnos admonitos vel punitos protegat.

Art. 56.—Ad alumnorum confessiones audiendas praeter pietatis Magistrum, alii quidem deputentur docti piique sacerdotes, qui ratione habita gravissimi muneris, atque ducibus probatis auctoribus, poenitentibus lumina, consiliaque praebeant in eorum dubiis, obligationem imponentes statum ecclesiasticum relinquendi iis qui ostendant ad eum non vocatos esse.

Art. 57.—Moderatores ac Professores Instituti prohibeatur a muneri Magistri pietatis vel Confessarii ordinarii simul gerendo.

§ 5.—*De studiorum Praefecto.*

Art. 58.—Munus studiorum Praefecti descriptum est in Programmata generali studiorum, cap. VI.

Art. 59.—Peculiaribus in adiunctis ad huiusmodi munus idem Seminarii Rector vocari poterit.

Art. 60.—Praefectus studiorum curare tenetur, ut religiose serventur studiorum normae atque media aptiora adhibeantur ad promovenda eadem studia in Instituto, semper tamen de Rectoris consensu.

Art. 61.—Interdum auditoria tempore lectionum visitet, alumnosque interroget ut in eis discendi ardor, in magistris studium docendi excitetur.

Art. 62.—Invigilet ut diligenter habeantur acta scholastica, utque in fine singulorum bimestrum paratae sint schedulae notarum ab alumnis obtentorum.

Art. 63.—Dirigat omnia quae pericula extrema ac reparationis respiciunt; omne studium adhibeat ut pericula cum gravitate et absque favoribus expleantur, et meritum tantum singulorum

pendatur in promotionibus decernendis ad scholas superiores; scholam novis quoque alumni assignet eorum cognita idoneitate sive ex documentis, sive ex admissionis experimentis.

Art. 64.—Curet ut solemniter celebretur anni scholastici inauguratio ac praemiorum distributio, pro quorum adjudicatione opportunas statuatur normas de consensu Rectoris, et Episcopo vel Episcoporum Collegio adprobante.

Art. 65.—Singulis exeuntibus annis scholasticis, diligentem de statu scientifico relationem generatim scribat simul ac de progressu in studiis ab alumni habito, vota enuncians quae praestantiori studiorum conditioni utilia vel necessaria iudicaverit. Eiusmodi relationem Rectori obferat qui de ea Episcopum vel Episcoporum Collegium certiores reddet.

§ 6.—*De Professoribus.*

Art. 66.—Cuiusvis professoris esto discipulos cum doctrina atque ex conscientiae officio dirigere ad rerum notionem, quas quis docere teneatur, illud prae oculis habens quod dicitur: *primus discendi ardor, nobilitas est magistri.*

Art. 67.—Professores quoad munus sibi commissum immediate studiorum Praefecto subiiciantur.

Art. 68.—Sedulo ac diligenter horis statutis in scholis intersint, in lectionibus explicandis sese parent, statutum programma absolvant, saepe alumnos interrogent, eorumque pensa corrigant, eos in studium excitent, adiuventque, disciplinam in scholis tueantur, quibus vero neglectis, frustra verus expectatur progressus. Exempla per se potissimum praebeant omnium virtutum, quod eis debitum afferet obsequium. Si vero interdum quis alumnorum huic reverentiae defecerit, eum Professores ad Rectorem vel ad Vice-rectorem deferant ut apte admoneatur.

Art. 69.—Ne negligent Professores eos qui in scholis haud nimium ostendant ingenii, imo antequam ad novas explicandas lectiones procedant, sibi suadeant omnes explicatam lectionem recte clareque intellexisse, quod quam maxime iuvabit, ut aemulatio excitetur et omnes alumni optimum consequantur progressum.

Art. 70.—Quisque professor codicem habeat, in quo adnotentur quotidie notulae quas alumni in scholasticis periclitationibus et in sese gerendi ratione consecuti sint. Singulis vero bimestribus ipsarum notularum mediam computet, quam studiorum Praefecto afferat.

§ 7.—*De Oecono.*

Art. 71.—Ad Oeconomum pertinet, sub Rectoris auctoritate, interna Seminarii oeconomica ac materialis negotiorum gestio.

Art. 72.—Peculiare habeat Tabularium in quo de more con-

servet omnia necessaria documenta, praesertim rationes accepti et expensi, acta, etc., ita ut quoties postuletur, rationem diligenter reddere valeat. Initio cuiusque anni praevidiam sumptuariam rationem (*preventivo*) computet, et expleto anno Rectori exhibeat summam rationum.

Art. 73.—Numquam abstineat ab iis peragendis impensis, quas Rector utiles vel necessarias existimaverit incremento morali, disciplinari atque scientifico Seminarii, iuxta art. 34.

Art. 74.—Peculiari cum diligentia culinae invigilet, ut alumni congruenter deserviantur.

Art. 75.—Saepe varias domus partes visitet, ut inspiciat an omnia ordinata reperiantur, an quid perierit aut corruptum fuerit ut cito consulatur.

Art. 76.—Curet ut in Seminario regulae decentiae observentur et hygienica subsidia adhibeantur. (Cfr. *Appendic. I*, § I).

Art. 77.—Omne studium adhibeat ut in Ecclesia vel in Sacello Seminarii omnia expedita reperiantur, nihilque desit cultui necessarium, ac debita cum decencia semper conserventur sacrae suppellectiles.

Art. 78.—Oeconomus, in anno facultate fruatur non modum quoad ordinarias expensas, sed etiam quoad urgentiores, animadvertens tamen graviore expensas, ut instaurationes aedificiorum, suppellectilium etc. antea ad probandas esse ab Episcopo dioecesano vel Episcoporum Collegio.

Art. 79.—Oeconomus, de Rectoris consensu, famulos seligat, qui ab eo immediate dependeant. Ipse autem eorum vitae rationi invigilet tum quoad pietatem tum quoad mores et disciplinam iuxta opportunas leges, quas ipse quidem de Rectoris consensu statuet.

PARS ALTERA.

De iuvenum admissione in Seminarium.

Ad quidnam sint Seminarium instituta aperto patet ex verbis Conc. Trid. instituentis: "*Singulae Cathedrales certum puerorum numerum religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur, quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, ita ut hoc Collegium Dei Ministrorum perpetuum Seminarium sit.*" Et Summus Pontifex Leo XIII s. m. in laudata Epistola ad Episcopos Italiae ait: "*Nos existimamus iterum ac ardentiori sollicitudine commendare, ut Seminarium omni studio serventur in proprio peculiari spiritu sive quoad mentis, sive quoad cordis institutionem. Semper prae oculis habeatur ea omnino destinata esse ad instituendos iuvenes non ad humana munera, sint quidem legitima ac honorifica, sed ad officium sublime Christi administratorum et mysteriorum Dei distributorum.*"

Admissio ergo iuvenum in Seminarium maximam exposcit prudentiam. "*Tantum admittantur iuvenes, prosequitur Leo XIII, qui solidas afferant spes sese perpetuo tradendi ecclesiastico ministerio.*" Ex hoc tamen praesumendum non est, praesertim si adhuc iuniores, certum propositum, sed oportet ut saltem quandam naturae ostendant propensionem in statum ecclesiasticum.

In alumnorum admissione tum in scholas inferiores, tum in superiores prae oculis habeatur S. Congr. Concilii Decretum. "*De Seminariorum alumni,*" diei 22 Decembris 1905, et sequentia.

CAPUT I.—DE ADMISSIONE IN SCHOLAS INFERIORES.

Art. 80.—Ut iuvenis in Seminarium admittatur ad familiam vere christianam et integrae existimationis pertinere debet.

Art. 81.—Alumni, vel eorum vices gerentes documenta exhibeant.

1° Baptismatis et confirmationis si hoc iam susceperint sacramentum;

2° legitimi parentum matrimonii;

3° documentum bonae vitae rationis a Parocho vel a Moderatoribus Institutorum, in quibus forte commoratus sit, dimissum;

4° bonae corporis constitutionis, et insiti vaccini virus.

Art. 82.—In scholis adsignandis religiosissime servantur dispositiones Cap. II a) studiorum generalis Programmatiss.

Art. 83.—Quoad aetatem regula a dispositionibus Tridentini Concilii praebetur. "*In hoc vero Collegio (Seminario) recipiantur qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint.*" (Sess. XXIII, Cap. 18, De Reformat.)

CAPUT II.—DE ADMISSIONE IN SCHOLAS SUPERIORES.

Art. 84.—Nullus admittatur in scholas superiores nisi de more expleverit scholas inferiores atque pericula superaverit.

Art. 85.—Alumni qui, absolutis inferioribus scholis in aliquo Seminario, aliud adeunt ad studia superiora aggredienda, documenta expletorum studiorum ac bonae vitae rationis a Rectore dimissa offerant.

Art. 86.—In scholas superiores non admittantur nisi iuvenes qui indicia praebuerint vocationis ad statum clericalem.

Art. 87.—Prudenti Rectoris arbitrio committitur alumnos retinere, qui in Seminario commorari cupiunt ad consequendum tantum gradum prolytae in Lyceo.

PARS TERTIA.

Leges ab alumni servandae.

CAPUT I.—DE PIETATE.

Dicitur pietas in Deum illa animi propensio, quae urget ad

officiorum observantiam, quibus homo tenetur erga Creatorem, studiosam ac devotam venerationem eidem profitendo. Ipsa ergo totum complectitur hominem, eumque ad divinam metam dirigit, excelsitatem menti, characteri constantiam, cordi nobilitatem, omnibus virtutibus fulcrum atque incitamentum largiens. Quibusvis institutionis rationibus necessaria, pietas omnino requiritur in clericali institutione, cuius finis est in alumnos efformare *hominem Dei*.*

Pietatis itaque adeptio primum ac maius esto alumnorum officium. "*D. cet clericos vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari.*" (Leo XIII, Encycl. "*Paternae providaeque Nostrae*" 18 Septem. 1899).

Modus aptior ac simplicior pietatem acquirendi est exercitium eius operum, quae aperte intima consilia ac animi sensum significant. Opera pietatis itaque peragantur quotidiana hebdomadaria, mensualia et annualia.

§ 1.—*Quotidiana opera.*

Art. 88.—In quovis Seminario quotidie sequentia pietatis opera peragantur :

- 1.º Preces matutinae.
- 2.º Meditatio.
- 3.º Missa.
- 4.º Lectio spiritualis.
- 5.º SSmi. Sacramenti visitatio.
- 6.º SSmi. Rosarii recitatio.
- 7.º Preces vespertinae et de operibus suis cuiusque generalis inquisitio.

8.º Mane, meridie et vespere *Angelus Domini* vel *Regina Coeli* iuxta tempora recitetur.

§ 2.—*Opera hebdomadaria.*

Art. 89.—Diebus dominicis aliisque solemnibus Contubernia turnatim operam praebeant in Cathedralibus. Rector consulat, ut alumni, qui in Seminario remanent, iuxta opportunitatem aliud pietatis opus expleant. Omnes alumni Cathedralem petant, cum Episcopus ibi functionibus intersit.

Art. 90.—Feriis V et diebus dominicis spirituali sermoni adsint quod munus committatur cuidam sacerdoti scientia pietatique idoneo. Singulis feriis VI iustis horis vespertinis, recitetur quinquies *Pater, Ave et Gloria* cum oratione *Respice, quaesumus Domine, super hanc*, etc.

* S. Paul. *Ad Timoth.* I, cap. vi, 11.

Art. 91.—Singula hebdomada sua admissa peccata confiteantur, ac saepe iuxta Confessarii consilium ad S. Synaxim accedant.

§ 3.—*Opera mensualia.*

Art. 92.—Prima cuiusque mensis feria VI pium exercitium celebretur in honorem SS. Cordis Iesu ea ratione, quae opportunior visa fuerit, inspecto quidem Missae votivae privilegio a Summo Pontifice Leo XIII f. r. concesso.

Art. 93.—Recessus a bona morte nuncupato exequantur alumni iis sermonibus ac operibus quae induxerit consuetudo ea ratione ut quis diligentius se percontetur, et consilia capiat quibus melius defectus corrigere ac in virtutem progredi valeant.

§ 4.—*Opera annualia.*

Art. 94.—Religiose novendiales supplicationes, tridua, etc. celebrentur quae maioribus D. N. I. C. et Mariae V. solemnitatibus praemitti solent; item peculiari pietate praefatae solemnitates celebrentur, nec non aliae quas Ecclesia christiano populo urget.

Art. 95.—Filiali pietate pium opus expleatur mensis in honorem B. M. V.

Art. 96.—Singulis annis semel spirituales peragantur exercitationes, saltem per quinque dies continuos, vel etiam bis per tres dies, iuxta locorum consuetudines. His diebus clerici iam *in sacris* horas canonicas collegialiter recitent.

Art. 97.—Alumni attentas aures adhibebunt ad sacras conciones tempore spiritualium exercitiorum, et generatim ad meditationes, instructiones, spirituales sermones, ut ex eis utilitatem consequantur ac de eis referre queant, quoties id petant superiores.

CAPUT II.—DE STUDIO.

Studium est unum ex praecipuis officiis iis qui instituuntur, ut simul fiant *sal terrae et lux mundi*. "*Lumen doctrinae neque illud vulgare, in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere apertitia ceteros, evellere errores, ducem esse multitudini pro itinere vitae ancipitia et lubrica.*" (Leo XIII, Encycl. "*Exeunte iam anno*" 1 Dec. 1888).

Alumni itaque omni cum diligentia operam dent studiis praescriptis. Ante omnia menti et cogitatione in Deum se convertant, ut eius auxilium implorent, studio autem impendant totum statutum tempus ab otiositate, animi corporisque veneno, abhorrentes.

§ 1.—*De scholis.*

Art. 98.—Omnes alumni semper ad lectiones, respectivaque scholastica exercitia parati sunt.

Art. 99.—Scholarum divisio servetur, in quibus cuique locus statuatur, quem non mutant absque Professoris venia.

Art. 100.—Ad scholam se conferentes vel eam relinquentes sive ad eam immutandum, sive ad proprium petendum contubernium, semper cum silentio et ordine procedant, quin maneant et conversentur cum alumnis externis, si forte sint, ac meminerint vetitam esse quancumque cum ipsis consuetudinem absque peculiari Rectoris licentia.

Art. 101.—Nullus nisi legitima de causa et de expressa Professoris licentia e schola exeat.

Art. 102.—Ad lectiones quisque debite animum intendat, ut ex eis progressum consequatur.

Art. 103.—Silentium et modestia corporis, obsequium et moderatio in petendo et in respondendo dotes sunt bene instituti alumni.

§ 2.—*De loco ac tempore studii.*

Art. 104.—Praecipue alumni sese in scholasticis praelectionibus aliisque affinibus disciplinis exerceant. Itaque prohibeantur secum retinere libros qui damnum inferre morale, vel a studiis principalibus distrahere valeant. Quoad lectiones attinet religiosissime dispositiones regnantis Summi Pontificis Pii X in Encyclica "*Pieni l'animo*" diei 28 Iulii 1906, et praecitata S. Officii Instructio diei 28 Augusti 1907 serventur.

Art. 105.—Tempore ad studium destinato perfectum servetur silentium; nullus itaque ex aula exeat ne ad petendos quidem moderatores vel Confessarium, nisi ex urgente necessitate.

Art. 106.—Praeter studium litterarum scientiarumque alumni gregorianum cantum iuxta praescripta Summi Pontificis Pii X discant, quare eiusmodi scholae, diebus statuendis, singula hebdomada intersunt.

Art. 107.—Curetur ut quodvis Seminarium, cantus gregoriani praecipua habita ratione, *Scholam cantorum* habeat, in qua musica doceatur iuxta praescriptiones Motu Proprio Pii X regnantis Pontificis (22 Nov. 1903) contentas, operibus poliphonis antehabitis, quae in aestimationem atque amorem retinent cantum gregorianum.

Art. 108.—Diebus horisque statutis in sacris caeremoniis sese exerceant, ut diligentia, gravitate et pietate sacris inserviant functionibus tum in Sacello Ecclesiae Seminarium tum in Cathedrali.

§ 3.—*Experimenta studiorum obligatoria.*

Art. 109.—Singulos alumnos experimenta, concursus etc., quae a studiorum Praefecto de Rectoris intelligentia statuuntur, obligent.

Art. 110.—Periculis, ut ad scholas superiores promoveantur, omnes subiiciantur, iuxta dispositiones Cap VI *e, f*, studiorum Programmatiss.

Art. 111.—Quicumque a manifesta infirmitate vel ubi alia legitima causa, a Superioribus cognita, non impeditus periculis non se subiiciet, hoc ipso pandet ut Seminarium relinquat animum suum esse.

Art. 112.—Si quis alumnorum legitima ex causa periculis non interfuerit, vel etiam iisque peractis non promotus sit, pericula reparationis substinere teneatur.

Art. 113.—Si quis periculis reparationis non interfuerit, vel etiam iis peractis non promotus fuerit, si alumnus gymnasii vel Lycei scholam repetere poterit cum facultate duplicis experimenti; si vero theologiae alumnus sit, cum fieri non possit ut eadem schola repetatur (cum simul sint alumni ad duas vel tres scholas pertinentes pro nonnullis materiis), per alterum annum curriculo obligabitur, cuius rei ratio habebitur in eius admissione ad SS. Ordines.

CAPUT III.—DE DISCIPLINA.

Sub disciplinae nomine hic venit complexus expertorum praeceptorum, quae alumnorum vitam in Seminario moderantur. Ipsa disciplina, cum ordinem exteriorem foveat, intendit ad ordinem intimum voluntatis ut eam instituat ad officii et virtutis studium.

Iuvat disciplina naturalem imbecillitatem cum in animo gignat habitum boni, qui non obtinetur nisi eorumdem actuum frequentia. Superiores nimis eam inducant ac florere curent, alumni vero eam magni existiment sibi suadentes ipsam voluntati vim non affere, sed potius eam servare a pravis propensionibus. Ii Sacerdotes erunt singularis olim exempli qui alumni disciplinam dilexerint. “*Illi in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur.*” (Leo XIII Encycl. “*Etsi Nos*” 15 Feb. 1882.)

§ 1.—*Monita generalia.*

Art. 114.—Omni diligentia curetur, ut alumni a frequentia iuvenum ad sacerdotium non spectantium separentur, si scholas petant alumni quidem externi.

Art. 115.—In Contuberniis dividantur alumni iuxta aetatem, et scholam ad Rectoris iudicium.

Art. 116.—Unicuique in schola, in triclinio, in sacello, etc. locus adscribatur, et interdum immutetur ad fovendam ac servandam mutuam caritatem.

Art. 117.—Ordo actuum communium singulis horis adscriptorum statuatur tum pro diebus in quibus lectiones habentur, tum pro aliis in quibus scholae vacant; quique ordo exponatur, ut de eo omnes notitiam habeant. Peculiaris ordo statuatur pro feriis autumnalibus, in quibus praeter pietatis exercitia, brevis saltem hora dicetur lectionibus et studio.

Art. 118.—Omnes alumni, nullo excepto, adstringantur diligenter actibus communibus interesse, a quibus dispensari poterunt peculiaribus rationabilibusque de causis a Moderatoribus tantum.

Art. 119.—Si necessitas aliquem alumnorum brevi tempore sacellum, triclinium, scholam, recreationem relinquere urgeat, licentia petatur a Moderatore qui praesidet.

Art. 120.—Opportuna gravitate silentium servetur, quod, si recte adhibeatur, quam maxime iuvat studium ac virtutem.

Art. 121.—In Seminario designata loco habeantur ad animi relaxationem pro variis contuberniis.

Art. 122.—Prae ceteris ludibus, occupationibus operam detur, quibus omnes participare valeant.

Art. 123.—Tempore refectionum ordinarie lectio habeatur librorum qui exemplo sint ac instituant.

Art. 124.—Caveatur ne studium, recreationes, ipsaeque pietatis functiones nimis protrahantur, ne alumni taedio afficiantur.

Art. 125.—Curetur ut diaeta dormitoria, aliaque loca omnia, horis nocturnis frequentata, sufficienter illuminentur.

§ 2.—*In Moderatores.*

Art. 126.—Alumni in Rectore patrem agnoscant cui debetur amor filii et prompta oboediantia. Idem servata proportionem in alios moderatores agant.

Art. 127.—Quisquis, horis et ratione statuendis, Rectorem petere poterit ad suas necessitates ac desideria confitenda aperto ac fidenti cum animo. Ipsis cautelis, rationabilique de causa pietatis Magistrum quidem petere poterunt ac Vice-Rectorem. Contubernium tamen deserentes Praefectum moneant.

Art. 128.—Animo placido demissoque denegationes, exprobrationes, reprehensiones punctionesque sumant sibi a Superioribus impositas, atque ex iisdem progressum agant quem ostendant ac comprobent sincera diuturnaue emendatione.

Art. 129.—Coram Rectore, aliisque Superioribus vel viris illustribus semper detecto sistant capite, nisi expresse invitentur ad sedendum et ad tegendum caput.

Art. 130.—Quisque alumnus aliquem conspiciens defectum ex quo oriri possint offensio in Deum, discriminaque in aliorum virtutem aut in Seminarii integram famam, de eo Moderatores

certiores reddat, ut remedium afferant. Id agentes munus delatoris sciant se non exercere, sed studiose curare commune bonum ac caritatem in proximum.

§ 3.—*In seipso.*

Art. 131.—Quisquis alumnus in seipso imaginem Dei, templumque Divini Spiritus colat, maxima cum moderationis ac decentiae observantia tum cum aliis tum solus in proprio cubiculo, prae oculis habens ubique Deum esse.

Art. 132.—Omnes munditiam corporis, vestiumque curent, comam apte caesam dispositamque habeant, ab omni vanitate foeditateque at etiam ab omni singularitate affectationeque abhorrentes, sese in omnibus conformantes usibus seminarii.

Art. 133.—Eorum esto hygienica praescripta curam corporis respicientia observare (Cfr. appendices I. § 2).

Art. 134.—In modo, incessu, sermone decorem servant, ab omni levitate et a quovis cum clericali dignitate actu incongruo abstinentes.

Art. 135.—Ordinem ac nitorem servant in cubiculo, in libris, in suppellectili, neque sua aliaque Seminarii dissipent.

§ 4.—*In sodales.*

Art. 136.—Alumni constanter divisiones inter varia contubernia servant, tum domi tum extra ita ut alumni diversorum contuberniorum nullam inter se ineant consuetudinem nisi de Superiorum licentia.

Art. 137.—In sodalibus totidem inspiciant fratres in Iesu Christo, ita ut inter se eam foveant mutuam caritatem tam expetendam inter clericos.

Art. 138.—In invicem consuetudine semper adhibeant rationes ad christianam caritatem institutas, quamobrem litigia, verba aspera devitent, praesertim abhorrentes a contumeliis in eos qui virtute praecellunt, vel aliquo naturae defectu laborant.

Art. 139.—Solo nomine vel familiae cognomine inter se vocentur, vetitis omnino quibusvis aliis vocandi rationibus.

Art. 140.—Peculiares amicitias, in alios manus iniicere etiam iocose, invicem epistolas mittere, dona inter se similiaque omnino prohibita caveant. Transgressores apte puniantur.

Art. 141.—Verba sermonesque indecentes nec non quancumque actionem haud honestam horreant.

Art. 142.—Recreationis vel deambulationis tempore nunquam permittatur sodales relinquere, atque a Praefecti vigilantia recedere.

§ 5.—*In famulos.*

Art. 143.—In famulos alumni debitis caritatis ac urbanitatis rationibus utantur, quin tamen nullam cum ipsis consuetudinem ineant. Si de eorum famulatu conqueri debeant, querelas Praefecto referent.

Art. 144.—Nulli liceat cum famulis morari, atque multo minus eis iussa vel negotia committere.

Art. 145.—Praefecti tantum, de Vicerectoris licentia, cum famulis agant ad consulenda quae alumni propriis sumptibus sibi comparare tenentur, atque ad munera explenda.

§ 6.—*In extraneos.*

Art. 146.—Generatim alumnos invisere indulgeatur bis in hebdomada, diebus statuendis, horis ab actibus communibus non impeditis et ante *Ave Maria* vespers. Ad extraordinarias visitationes semper exposcatur Superiorum licentia.

Art. 147.—Generatim alumnos invisere poterunt parentes atque propinqui tantum. Si de aliis vero agatur, licentiam requiritur Rectoris vel Vicerectoris.

Art. 148.—In aula visitationum in omnibus et cum omnibus se gerant alumni iuxta urbanitatis praescripta, idque agant non ad inaniter homines satisfaciendos, sed ad rusticitatem fugiendam.

Art. 149.—Prohibentur alumni recipere cibos vel potus absque Vicerectoris licentia qui de eis disponet prout opportunius iudicaverit.

Art. 150.—Nullus recipiat vel mittat epistolas, quin a Rectore inspiciantur, qui in sua prudentia iudicabit an tradenda vel expedienda sint.

§ 7.—*De Refectione.*

Art. 151.—Triclinium ingredientibus, vel deserentes silentium servant alumni, et refectionis tempore lectionem audiant.

Art. 152.—Quisquis in triclinio speciem castigatam adhibeat iuxta praecepta humanitatis, ab aviditate praecipitationeque in cibis sumendis praesertim abhorrens, sanitati non minus ac continentiae oppositis.

Art. 153.—Communibus cibis assuescant alumni. Peculiari-bus in casibus iuxta necessitatem rationemque, quid expedire iudicaverit, consulat Moderator.

§ 8.—*De Recreatione.*

Art. 154.—Libenti animo quisque communi recreationi participet, ut ex ea solatium habeant corpus et animus.

Art. 155.—Nulli liceat, absque Praefecti peculiari licentia, a

sodalibus recreationis tempore seiungi, nec in contubernium se conferre, ne ratione quidem studii vel alicuius libri lectionis.

Art. 156.—Prohibeantur lusus qui cum caritati spiritu atque civili institutioni non conveniant, simul ac ii qui periculum sanitati inferre queant. (Cfr. Appendicem, I, § 2).

§ 9.—*De deambulatione ac de aliis egressibus e Seminario.*

Art. 157.—Quisque curet ut omnino et congrua ratione paratus sit ad deambulandum, ordinem profectionis a Praefecto expectans.

Art. 158.—Nulli liceat domi permanere tempore ambulationis nisi gravi de causa et de licentia identidem a superioribus obtenta.

Art. 159.—Quodque contubernium iter aggrediatur, quod a Praefecto de superiorum consensu statuatur. Deambulantes omnino a quacunque refectione prohibeantur, nisi expressam obtinuerint Rectoris licentiam.

Art. 160.—Semper in civitate deambulent servato ordine, honesto incessu, moderato passu, et, quisque cum suo sodali, dimissa loquentes voce. Extra civitatem Praefectus indulgere poterit ut ordines dissolvantur, tamen quin nullus nimis recedat.

Art. 161.—Si deambulantes in Episcopum occurrerint, detecto capite sistant alumni, ut ei debitum praebeant obsequium;—si vero in Canonicos, Moderatores, Professores Seminarii aliosque sacerdotes vel alios viros a superioribus praecipue designatos, tunc saluent detecto capite, quin consistant.

Art. 162.—Ne indulgeatur alumnis e seminario egredi ad prandendum vel visitandum in privatis domibus. Item non indulgeatur alumnis generatim cum parentibus e seminario egredi, cum hi seminarium petant ad eos invisendos.

§ 10.—*De feriis.*

Art. 163.—Diebus, in quibus scholae vacant, firmo tamen ordine statuto ius esto Rectoris deambulationem ac recreationes protrahere, et etiam a studio penitus vel partim iusta de causa dispensare.

Art. 164.—Occasione diuturnarum feriarum ne liceat alumnis eas apud parentes impendere; quisquis acquiescat solatiis quae in Seminario iis diebus parabuntur.

Art. 165.—Feriae autumnales ab omnibus impendantur in loco ad rusticandum designato.

Art. 166.—Prudenti Episcoporum arbitrio committitur alumnis, praesertim Lycei et Theologiae, indulgere ut per aliquod tempus (mensem ad maximum) apud parentes se conferant. Hoc in casu Rectoris esto eos committere respectivi Parochi vel alii

prii sacerdotis diligentiae, a quibus privatas expostulet notitias de eorundem vitae ratione, antequam eos in seminarium denuo admittat.

§ 11.—*De expulsionem.*

Art. 167.—E seminario expulsio remedium est extremum, sed interdum seminarii ipsius incolumitati necessarium. "*Discolos et incorregibiles*, ait. Conc. Trid. (Sess. XXIII, Cap. 18 De Reformat.), *ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo.*" "*Dimittantur*, ait Leo XIII f. r. citata Epistola, *quot tempore eorum institutionis propensiones ostendent cum vocatione sacerdotali incongruas.*"

Art. 168.—Dimittantur itaque incorrigibiles, illi scilicet, qui habitis studiosis monitis ac opportunis reprehensionibus, haud multam afferant spem sese ad meliorem frugem recipiendi; et qui malo exemplo caeteris sint, qui alios inducant ad defectiones, praeceptorum transgressionem et arrogantiam.

Art. 169.—Graves in mores transgressionem puniantur immediata e Seminario expulsionem, iuxta rectam hac in re Sententiam S. Alphonsi "*Tutius consilium est eum statim e seminario expellere quia talis ovis inquinata contagione potens est totum seminarium corrumpere.*" (Homo Apost. Reg. de Sem., 1, 4).

APPENDICES.

I.—*Praecepta Hygienica.*

§ 1.—*De aedibus.*

Art. 1.—Sacellum triclinium, loca ad studium designata eorundem adnexa etc. ampla, satis illuminata, aerieque exposita sunt, et si fieri potest electrica illuminationem praedita.

Art. 2.—Auditoria purgata servantur, commoda habeantur scamna iuxta typum hygienicum et aptum diversae alumnorum aetati.

Art. 3.—Curetur ut ubique saepe quocumque anni tempore aer renovetur.

Art. 4.—Cubicula contuberniaque ea sunt amplitudine ut quisque ex alumnis sibi saltem habeat 14 m².

Art. 5.—Aqua potabilis ab alia quae usibus communibus inservit separetur.

Art. 6.—Foricae numero alumnorum accomodatae sunt aeri expositae et constructae iuxta hodierna hygienica praeepta.

Art. 7.—Ubique vasa ad expuendum metallica malthaque obducta habeantur.

Art. 8.—Quotidie cubicula, auditoria, triclinia cunctaque

domus loca poliantur madida scobi, vel etiam scopis mappis involutis.

Art. 9.—Si auditoria extra seminarium sint, oportet ut prope ea vestibulum habeatur amplum ventoque commodum, in quo umbellae, pilea humidaque pallia deponantur.

§ 2.—*De corporis sollicitudine.*

Art. 10.—Quisque alumnus quam maxime curet corporis munditiam, faciem collumque quotidie, manus saepius praesertim ante refectiones abluat: horis opportunis os et dentes quidem colluat.

Art. 11.—Oportet ut interdum totum corpus balneis lavetur. Ad hoc destinentur dies in quibus scholae vacant. Balnea ingrediantur alumni turnatim, servato temporis spatio a refectionibus; post balneum exercitia opportuna corpori quisque in aprico peragat.

Art. 12.—Res lintearia tum corporis tum lecti saepius mutetur; vestis quotidie peniculo mudentur. Strophia gummis omnino prohibentur utpote sanitati perniciosae.

Art. 13.—Deambulatum eant extra urbem per horam saltem quotidie, et diebus, in quibus scholae vacant, per binas horas.

Art. 14.—Loca ad recreandum destinata, si fieri potest, aperta sunt et sub porticu si pluatur. Alumni nec sedeant nec consistent ad conversandum, sed deambulent, ac partem habeant ludis collectivis in quibus corpus exerceatur.

§ 3.—*De medico.*

Art. 15.—Medicus Seminario adscriptus quemque iuvenum visitare severe tenetur qui admittendus sit, et inspicere an vaccinum virus ei inoculatum fuerit. Ab illius prudenti arbitrio pendet acceptatio vel relectio eorum, qui haud optima sanitate gaudeant, vel infirmitatibus faciles se praebeant, nec non eorum qui morbos contagiosos praeseferant.

Art. 16.—Rotatim ipse ad Seminarium accedat diebus horisque determinatis, ita ut omnes alumni facile eum petere possint ad hygienica consilia consequenda.

Art. 17.—Rectorem doceat quodcumque hygienicum incommodum in Seminario detegat, mediaque proponat apta ad ea reparanda.

Art. 18.—Declaret an quis a ieiunii lege dispensandus sit.

Art. 19.—Summatim omnes visitet alumnos ante et post rusticationem, ac adnotet in peculiari codice valetudinis conditiones cuiusque.

Art. 20.—Alumnis, omnibusque Seminario adscriptis medeatur in brevibus levibusque infirmitatibus in eodem Seminario; sed

si existimet aliquem morbum diu perdurare vel aliis transmitti posse Rectori proponat immediatam translationem infirmi in familiam, vel in aliquam valetudinariam domum.

Art. 21.—Necessarias iubeat purificationes, et ne in valetudinario serventur venena aliaque sanitati infesta curet.

Art. 22.—Medicus, de Oeconomi intelligentia, incoctilibus, lacti fervefacto et ut culina promptuariaque cella purgata serventur invigilet. Cibum potumque quoad eorum qualitatem et corruptionum examinet.

§ 4.—*De Valetudinario.*

Art. 23.—Valetudinarium, si fieri potest, in meridiem versum, et aqua potabili, furnaculo et foricis distinctis praeditum esto. Cubiculorum parietes encausto pingantur. Valetudinarium materiis septicis et antisepticis primae curationi necessariis praeditum esto.

Art. 24.—Cubiculum habeatur separatum ac distinctum pro iis qui contagiosis morbis laborent.

Art. 25.—Quisquis alumnus, in infirmam incidens valetudinem, illico Praefectum doceat, hic autem Rectorem, ut infirmus omni cum diligentia in valetudinarium transferatur, et statim medicus de re doceatur.

Art. 26.—Vicerector studebit ut infirmis cum diligentia ac caritate fida, idoneaque persona adsistat.

Art. 27.—Infirmus medico, adsistentique in omnibus quae sibi ordinentur pareat.

Art. 28.—Si morbus, iuxta medici sententiam, ingravescat, vel diuturnum sit, Rector alumni parentes vel propinquos de re doceat (Cfr. § 3, art. 20).

Art. 29.—Nullus aegrotos invisere poterit absque peculiari Rectoris vel Vicerectoris licentia.

Circa vacationem paroeciae.

Beatissime Pater,

X parochus S. Mariae X ab Archiepiscopo licentiam expetivit Religionem ingrediendi, qua obtenta, novitiatum incipit et perfecit in Conventu Ordinis S. Mariae de Mercede de S. in dioec. Lucen. Peracta professione votorum simplicium consideravit se in possessione praedictae paroeciae allegans vacationem beneficii tantum habere locum postquam vota solemnia emiseric.

Cum divisio votorum in simplicia et solemnia non mutet naturam ipsorum et aliunde Archiepiscopus X Concursum celebraturus sit ad parochias vacantes in dioecesi, simul recogitans

residentiam parochialem esse de jure divina quam tamen servare non potest praedictus parochus X et votum paupertatis componi non posse cum quacumque proprietate etiam beneficii, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus enixe petit ut declarare dignetur;

1° An professio votorum facta a dicto paroco S. Mariae inducat ipso facto vacationem parochiae.

2° An Archiepiscopus posset illam includere in censu parochiarum vacantium.

Et Deus.

Die 30 Martii, S. Cong. EE. et RR. praemissis dubiis respondendum mandavit.

Ad I. *Negative.* Ad II. *Provisum in I.º*

De iure proprietatis quoad publicum oratorium.

Anno 1903 sacerdos Leovigildus Villegas, archiodioecesis Angelorum in Mexico, a quodam Palacios emit, pro 12 millibus scutorum, amplam domum cum adnexo oratorio vulgo dicto *del Cirineo*, quod Societati Iesu iam pertinuit sed plus quam a dimidio saeculo in usus profanos est conversum. Pro alienatione praefati oratorii licentiam Ordinarii petiit et obtinuit ipse cessionarius. Postquam autem sacerdos Villegas oratorium instauraverit et benedici curaverit ab ipso Archiepiscopo, anno 1904 illud cultui publico aperuit. Verum quum sacerdos Villegas in animo haberet in comparata domo constituendi quamdam religiosam mulierum communitatem, quam Archiepiscopus approbare detrectabat, ab eodem petiit litteras excardinationis et incardinationis pro dioecesi De Linares, quas concedere paratum se exhibuit Archiepiscopus Angelorum, dummodo tamen ille favore Curiae dioecesanae nuntium mitteret proprietati dicti oratorii una simul cum icone B. M. V. inibi existente.

Tunc sacerdos in casu recursum habuit ad Delegatum Apostolicum in Mexicana Republica, qui sub die 4 Nov. 1905 decrevit, "sacerdotem Villegas absque dubio teneri religiose observare condiciones ab Archiepiscopo impositas et ab eodem Villegas admissas, quod nempe praefata aedicula publico cultui semper pateret et ad Ecclesiam iure proprietatis pertineret. Quoad autem s. iconem publicae venerationi expositam, servetur Concilium provinciale Mexicanum V, n. 432." Contra hoc decretum praefatus sacerdos apud hanc S. C. EE. et RR. recursum interposuit.

Interim Archiepiscopus Angelorum sacerdotem Villegas nominavit in coadiutorem extraurbanæ paroeciae *Flatanquitepec* vocatae, sed hic renuit novum munus sibi commissum suscipere,

nisi accederet auctoritas S. Sedis. Quum vero Archiepiscopus eum suspendisset *a divinis*, etiam ex hoc capite sacerdos Villegas laesum se ostendit.

Dubia. I. *An sacerdos L. Villegas, ad hoc ut obtinere valeat litteras excommunicatorias e dioecesi Angelorum, cedere teneatur suo Ordinario proprietatem oratorii vulgo del Cirineo in casu.*

II. *An sustineatur decretum suspensionis in sacerdotem Villegas latae sub die 22 Maii 1906.*

Responsa. Hisce dubiis in plenario conventu diei 7 Iunii 1907 propositis, Emi. Patres S. Congr. EE. et RR. respondendum duxerunt :

Negative ad utrumque.

CONGREGATION OF RITES.

Varianda et addenda in Martyrologio Romano.

Tertio Idus Februarii (11 Februarii).

Lapurdi in Gallia, Apparitio Beatae Mariae Virginis Immaculate.

Pridie Idus Februarii (12 Februarii).

In Etruria, apud montem Senarium, Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui post asperrimum vitae genus, meritis et prodigiis clari, pretiosam in Domino mortem obierunt. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spiritus sociavit et indivisa post obitum populi veneratio prosecuta est, Leo decimus tertius una pariter Sanctorum fastis accensuit.

URBIS ET ORBIS.

Superscriptas variationes atque additiones Martyrologio Romano inserendas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, benigne approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 11 Martii, 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

NICOSIEN.

De abusu sedium cameralium in Missis et Vesperis.

Postulato Rmi. Episcopi Nicosiensis : an, attenta vetusta con-

suetudine, permitti aut tolerari possit sedes cameralis, instructa brachiis et fulcimento pro humeris, loco scamni oblongi, pro celebrante et ministris in Missis et Vesperis cum cantu? Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam Commissionis Liturgicae voto, respondendum censuit: Legatur Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. XII., n. 22, et lib. II., cap. III., n. 4; et dentur decreta n. 2289 *Terulen.* 20 Augustii 1729 ad 3 et 4: n. 2621 *Dubiorum* 17 Septembris 1822 ad 6; n. 3104, *S. Iacobi de Cile* 14 Martii 1861 ad 4, et n. 3804 *Goana-Dubia varia* 16 Iunii 1893 ad XI.

Atque ita rescripsit, die 14 Martii, 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De nova quadam custodia SS. Sacramenti.

Viro Eminentissimo

SERAPHINO CRETONI

S. Rit. Congr. Praefecto.

Sacerdos Godefridus A. P. V. Winter Baumgarten, nonime Dominorum Ordinariorum provinciae ecclesiasticae Milwaukiensis in America septentrionali, humiliter postulat, ut viso et inspecto novo tabernaculo, pro adservanda Ssma. Eucharistia, ex metallo solidissime extructo, a societate quam vocant. "The Rauwald Ecclesiastical Art Mfg. Co.," dignetur ipsum tabernaculum adprobare, utpote tali ratione constructum, ut in nihilo contrarium sit neque Rubricis Ritualis Romani neque istius S. R. C. Decretis.

Nova huius tabernaculi constructionis ratio prae aliis videtur esse commendanda, non tantum pro materiae soliditate, sed potius pro ingenioso modo quo tabernaculum clauditur, ita ut nullimode aperiri possit, nisi in promptu habeatur clavis, neque ipsa pulvis penetrare queat.

"Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 1 Aprilis 1908.

"Communicetur Sacerdoti Oratori responsum Sacrae Rituum Congnis. in casu simili datum sub die 18 Martii 1898; nempe: 'Finem inventoris esse laudandum, negotium vero in casu ed ad effectum de quo agitur, spectare ad ipsos locorum Ordinarios.'"

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Decretum seu Litterae Sacrorum Rituum Congregationis ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ordinarios de editione typica vaticana "Gradualis Romani."

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X *Motu Proprio* diei 22 Novembris 1903 sacram musicen reformari mandavit; ut coeptum opus, qua par est ratione, absolveretur, decrevit *Motu Proprio* diei 25 Aprilis 1904 ut *typica* Editio librorum cantum Gregorianum continentium in vulgus prodiret typis Vaticani: qua Editione antiquo usu recepti Ecclesiae concentus pristinae integritati ac puritati redderentur, in eum potissimum finem, ut Romanae Ecclesiae ceterisque Romani ritus Ecclesiis communem liturgicorum concentuum probatum textum suppeditaret.

Quare iuxta hanc Summi Pontificis voluntatem, typica editio *Gradualis Romani*, numeris omnibus feliciter absoluta, modo in lucem prodit.

Quoniam vero ad Rmos. locorum Ordinarios pertinet eiusmodi Gradualis usum ac diffusionem promovere ac regere apud Clerum et Populum sibi commissos; Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri, animadvertendas proponit iisdem Rmis. Ordinariis normas et mandata praecipua circa huiusce typicae Editionis introductionem, eiusque novas typographicas impressiones, quae fiant ab Editoribus, facultate impetrata ab Apostolica Sede, scilicet Decreta huius S. Congregationis d. d. 11 et 14 Augusti 1905, 14 Februarii 1906, et 7 Augusti 1907.

Porro e primo eiusmodi documentorum colligitur: 1^o Vaticanam editionem Gradualis, vel quamlibet aliam quae legitime statisque sub conditionibus eandem typicam referat, substitui debere editionibus, quae modo adhibeantur: itemque 2^o ad Rmos. Ordinarios pertinere munus efficiendi ut suae cuiusque dioecesis Propria sic restaurentur, ut conformia reddantur Gregorianis concentibus typicae Vaticanae Editionis.

Per novissimum decretum hic et nunc ita praescribitur usus huius Gradualis, ut quibuslibet editionibus (minime excepta, quae *Medicea* vocatur) hucusque adhibitis, quamprimum substituenda sit Editio Vaticana, vel eius legitime peracta nova impressio; ideoque ceterae Gradualis editiones a typica discrepantes, rursus imprimi nequeunt, moltoque minus a Rmis. Ordinariis approbari. Quae vero, antequam integra typica Gradualis editio prodiret, benignae datae fuerint concessiones, nullimode prorsus contra memoratas universales praescriptiones debent praevalere.

Denique ad cantus traditionalis instaurationem facilius exse-

quendam, praeterquamquod iuverit (adiuvante *Commissione* uti vocant dioecesana) animos adiacere eorum quotquot Summi Pontificis menti ac beneplacito libenter cupiant respondere, nil procul dubio magis efficax erit, quam si vigilantissime intendant Rmi. Ordinarii, ut executio sacrorum concentuum in Cathedralibus et potioribus Ecclesiis adeo fiat plena ac perfecta, ut forma et exemplar ceteris habeatur.

Oportet insuper, ut qui ad *Cantoris* officium eliguntur, congruis dotibus revera sint praediti et superato idoneitatis periculo probati, quod multo magis dici debet de chori Magistro seu de *Praefecto musicae* uti aiunt, qui necessaria polleat auctoritate ad suum implendum officium iuxta Summi Pontificis praecepta de musica sacra et cantu Gregoriano instaurandis.

Voluit autem Sanctitas Sua praesens Decretum a Sacra Rituum Congregatione expediri, et Rmis. Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis notum fieri; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 8 Aprilis 1908.

SERAPHINUS Card. CRETONI, S. R. C. *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Circa ordinem praeferentiae in translatione festorum.

Rmus. P. Marianus Sabaleurki, procurator Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expostulavit; videlicet: Utrum ordo praeferentiae inter festa eodem die occurrentia, in Rubricis generalibus Breviarii Romani tit. X. n. 6 statutus, integre servandus sit etiam in translatione Officiorum sive accidentalium sive perpetua, prout ibidem Rubricae n. 7 innuere videntur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit:

Consule probatos auctores.

Atque ita rescripsit, die 14 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De cantu "Libera me Domine" post missam privatam.

Postulato Sacrorum Rituum Congregationi exhibito: "An liceat sacerdoti canere post Missam privatam Responsorium *Libera me*

Domine, aut quid simile, pro defunctis, praesente vel absente cadavere," Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, ita respondendum censuit: "Si agatur de Missa lecta defunctorum a Rubricis et decretis permissa, Absolutio in cantu immediate post eam non prohibetur; sin vero de Missa diei currentis aut votiva, servetur decretum n. 3780 *Romano Resolutionis dubiorum* 12 Iulii 1892 ad VIII."

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 28 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Indulgentia pro iaculatoria "Signore conservateci la fede."

Beatissimo Padre,

Il sac. Cesare Pecorari, canonico in quest'alma città di Roma, prostrato al bacio del sacro piede, umilmente implora qualche indulgenza per i fedeli che reciteranno la seguente giaculatoria;
Signore conservateci la fede!

Che della grazia, ecc.

Ex audientia SSmi., die 20 Martii, 1908.

SSmus. Dnus. Noster Pius PP. X universis christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote supra propositam precem recitaverint, quoties id egerint, indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 20 Martii, 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

Pro R. P. D. D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secretario,
Ios. Maria Can. Coselli, *Substitutus*.

**Indulgentia plenaria toties quoties lucranda pro pio exercitio
Scalae Sanctae in Urbe.**

Beatissimo Padre,

Il padre Fausto del Nome di Maria, Passionista, superiore nel Santuario della Scala Santa, prostrato al bacio del s. piede, espone quanto segue:

Secondo la *Raccolta* autentica delle SS. Indulgenze (Roma,

tipografia della S. C. di Prop. Fide, 1898), è stata accordata dai Sommi Pontefici l'indulgenza parziale di 9 *anni* per ciascun gradino della *Scala Santa*, da lucrarsi da chi devotamente la salga ginocchioni, pregando o meditando la Passione di N. S. G. C.

Ora, ad animare vieppiù la pietà dei fedeli, l'umile oratore supplica la S. V. a volere inoltre accordare, come generalmente è concesso ad altri Santuari, che i fedeli i quali compiano il predetto pio esercizio confessati e comunicati, e preghino secondo la mente della S. V., possano conseguire l'*indulgenza plenaria*, applicabile anche alle anime del purgatorio.

Che ecc.

Iuxta preces in Domino et in perpetuum; quin imo indulgentiam plenariam toties quoties libenter in Domino concedimus.

Die 26 Februarii, 1908.

PIUS PP. X.

Pro lucrandis Indulgentiis quibusdam solemnitatibus extraordinariis confessio tribus diebus immediate praecedentibus, si Indulgentia concessa est toties quoties duobus autem diebus, si semel in die, Communio vero die praecedenti anticipari possunt, dummodo in adimplendis caeteris operibus praescriptis norma generalis servetur.

URBIS ET ORBIS.

Quo Christifideles Indulgentiarum thesauro facilius perruerentur, haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, Decreto diei 9 Decembris 1763 cunctis fidelibus, quibus laudabilis est consuetudo accedendi semel in hebdomada ad poenitentiae Sacramentum, iam indultum concessit, vi cuius omnes Indulgentias acquirerent per ipsam hebdomadam occurrentes absque alia peccatorum confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas foret necessaria. Huiusmodi vero indultum pro aliquibus regionibus, attenta confessoriorum inopia etiam ad sacramentalem confessionem infra duas hebdomadas peractam extensum fuit. Insuper alio Decreto sub die 6 Octobris 1870 provisum est, ut ad confessionem et S. Synaxim quisque accedere posset die, qui illum immediate praecedit, pro quo aliqua Indulgentia sive ratione festivitatis, sive alia quacumque ex causa fuerit concessa.

Experientia tamen compertum est hisce indultis haud satis consultum, quando agitur de iis Indulgentiis lucrandis, quae aliquibus festivitibus extraordinariis sunt adnexae, vel de iis,

quas toties quoties eadem die acquiri datum est. Tunc enim ingens fit fidelium concursus ad sacramenta suscipienda, ita ut eorum pio desiderio multis in locis vix satisfieri posset, nisi confessio praescripta paulo anticipetur ab iis, qui qualibet hebdomada confiteri non solent, neque possunt.

Quapropter SSmo. Domino Nostro Pio Pp. X. preces sunt exhibitae, ut desuper his de apostolica benignitate providere dignaretur, indulgendo ut confessio peragenda ad lucrandam Indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa tribus diebus immediate praecedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat.

Et Beatissimus Pater, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 11 Martii 1908, summopere exoptans maiori spirituali bono christifidelium prospicere, expositis precibus clementer annuere dignatus est, ita tamen ut praeter communionem pridie diei, cui est adnexa Indulgentia, permissam, in adimplendis ceteris operibus iniunctis regula generalis, circa modum et tempus in concessionibus praescriptum, servetur. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 11 Martii 1908.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Receptiones ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo invalidae sanantur.

Beatissime Pater,

P. Praepositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum, ad SS. pedum osculum provolus, S. V. humiliter exorat, ut receptiones ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, quaecumque ex causa usque ad hanc diem invalide peractas, benigne sanare dignetur.

Et Deus, etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 4 Februarii 1908.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus orationem aegrotantium, in honorem B. M. Virginis de Lourdes.

O Marie, conçue sans péché, ô Notre-Dame de Lourdes, qui attirez de toute part vos enfants vers la Grotte de vos Apparitions, vous n'avez cessé d'encourager, par d'innombrables bienfaits, la confiance filiale de ceux qui ont répondu à votre appel. Souffrant dans mon corps et dans mon âme, je viens, après des milliers et des milliers de pauvres malades, me prosterner à vos pieds et implorer la grâce de ma guérison. Mère toute bonne et toute puissante auprès de Notre-Seigneur, faites que je sois délivré de mes infirmités et que je puisse consacrer mes forces rétablies au service de Dieu et de mes frères. Combien il me serait doux de proclamer que je dois à votre intercession le retour d'une santé qui, en attestant votre miséricorde envers moi, deviendrait peut-être, pour beaucoup d'âmes, un motif de conversion !

Mais je désire, par dessus tout, m'abandonner entre vos mains maternelles. Si c'est la volonté de Jésus-Christ, mon divin Sauveur, à laquelle votre volonté demeure unie, que le calice de ma passion ne s'éloigne pas quant à présent, je souhaite de pouvoir dire, avec résignation et avec amour, que je le veux aussi moi-même. Faites donc pénétrer, jusqu'au fond de mon cœur, l'adhésion pleine et entière à cette consolante doctrine venue du ciel : que le Dieu de bonté nous aime infiniment, toujours et partout, mais plus spécialement, sans doute, quand il nous associe aux douleurs de Jésus-Christ et nous attache à sa croix.

O Vierge Immaculée, Notre-Dame de Lourdes, Mère d'un Dieu qui a été l'Homme de douleurs, votre divin Fils a voulu que vous fussiez à côté de Lui sur le Calvaire, pendant qu'il souffrait et mourait pour nous, il vous aimait, comme un Dieu seul peut aimer sa mère, et il a voulu toutefois que votre âme fût transpercée d'un glaive de douleur, afin que votre amour pour Lui se révélât et grandît dans la communauté d'inextinguibles souffrances.

Obtenez-moi cette grâce ô Notre Dame de Lourdes, consolatrice des affligés, salut des infirmes, que j'aime Dieu de plus en plus, à mesure que se prolongent et s'aggravent mes épreuves. Un tel miracle est plus grand que ne le serait la soudaineté de ma parfaite guérison. Pour me rendre la santé, une parole suffirait, dite par vous au nom et avec le pouvoir de Celui qui est votre Fils comme il est votre Dieu ; tandis que la résignation dans la souffrance, me fait accepter avec joie la maladie et son cortège de maux, je sens que c'est, d'une manière éminente,

l'œuvre du Très Haut. Oui, je vois qu'il est en quelque sorte plus facile à Dieu de guérir la douleur que de la faire aimer. Mais, si vous le voulez, ma faiblesse aura pour appui une force surnaturelle qui la rendra victorieuse et ainsi manifestera l'étendue de votre pouvoir.

Puissent les angoisses de ma maladie, sanctifiées par la soumission à la volonté divine, être unies à l'agonie de mon divin Sauveur; puissent mes larmes, mêlés à ses larmes et à son sang, achever, l'expiation de mes fautes passées et attirer des grâces de résurrection sur les pauvres âmes mourantes ou mortes par le péché. Que l'abondance de vos dons, ô mon Dieu, je vous en supplie au nom de votre Mère, soit accordée, en particulier, aux personnes qui me sont unies par les liens du sang ou l'amitié. Faites que mes souffrances, en attendant qu'il vous plaise d'y mettre un terme, ouvrent pour eux une source de bénédictions.

O Mère de douleur et Mère de miséricordieuse bonté, qui avez été debout au pied de la Croix, priez pour nous afin que nous devenions dignes des promesses de Jésus-Christ.

Ainsi soit-il.

Ex Audientia SSmi. die 13 Nov. 1907.

SS. D. N. Pius divina Providentia PP. X supra relatam precem devote recitantibus indulgentiam tercentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit.

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 Nov. 1907.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Facultas benedicendi et indulgentiandi Coronas Viae Crucis.

Beatissimo Padre,

Giovanni Vincenzo Tasso, Assistente generale della Congregazione della Missione, Zelatore dell'arciconfraternita della Santa Agonia di Gesu nell'Orto, stabilita nella Casa madre di Parigi e in molte Case de' Missionarii e della Figlie della Carità, prostrato al bacio del Sacro Piede, supplica umilissimamente la Santità Vostra di estendere a tutti i Preti della Missione e a tutti i Direttori e Zelatori della Santa Agonia la facoltà di benedire e indulgentiare la *Corona della Via Crucis, della Serva di Dio Luigia Borgiotti, Confondatrice delle Suore Nazzarene*, facoltà già concessa dal S. Padre Pio IX. al Card. De Angelis, e da Vostra

Santità stessa al Card. Richelmy e al superiore della Missione di Torino nell'udienza privata accordata a Monsignor Parodi, Arcivescovo di Sassari, il 4 Aprile 1906.

Che della grazia, ecc.

Iuxta preces in Domino.

Die 2 Novembris 1906.

PIUS PP. X.

Nova concessio quoad Coronas Viae Crucis.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procurator generalis Congregationis Missionis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, enixe orat concedi, ut christifideles, a Stationibus Viae Crucis visitandis, canonice erectis, impediti, si una simul cum altero congregati, qui Coronam Viae Crucis possideat, indulgentia a S. V. ditatam sub die 2 Novembris 1906, recitent vigesies *Pater, Ave et Gloria*, omnes et singuli relativas indulgentias lucrari valeant, dictae Coronae adnexas, etsi unus tantum eandem Coronam manu teneat.

Ex audientia SSmi., die 1 Decembris 1907.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 1 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Indulgentia pro iaculatoria ad SS. Nomen Iesu.

Beatissimo Padre,

Il. sac. Domenico Paoloni, direttore dello *Zelatore del SSmo. Nome di Gesù* di Napoli, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente supplica la S. V. a voler concedere trecento giorni d'indulgenza, applicabile anche alle anime purganti, ogni volt che i fedeli, in riparazione delle bestemmie che si proferiscono contro il SSmo. Nome di Gesù, con cuore contrito e divotamente reciteranno la giaculatoria: *Eterno Padre, pel sangue preziosissimo di Gesù Cristo, glorificate il suo SSmo. Nome, secondo l'intenzione e i desiderii del suo adorabile Cuore*; e l'indulgenza plenaria, applicabile

come sopra, a quelli che in ciascun giorno di un mese avranno recitato la detta giaculatoria, da lucrarsi una volta in quel mese, in un giorno a loro scelta, nel quale confessati e comunicati pregheranno secondo l'intenzione della Santità Vostra.

Che della grazia ecc.

Ex audientia SSmi., die 11 Decembris 1907.

SSmus. Dnus. Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congnis. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 27 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

URBIS ET ORBIS.

Decretum quo Episcopis datur facultas statuendi tempus pro triduanis supplicationibus SS. Eucharistiae.

Anno superiore, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, litteris datis sub die 10 Aprilis, catholici Orbis Sacrorum Antistites vehementer hortabatur, ut quotannis quoad fieri posset, in singulis cathedralibus ecclesiis et etiam in curialibus templis, infra Octavam solemnitatis Corporis Christi, vel alio anni tempore, prout Rmi. Episcopi iudicaverint, supplicationes in triduum instaurarentur, quibus christianus populus ad frequentiore, imo quotidianam, Eucharistiae sumptionem excitarentur. Quum vero in his litteris, iuxta methodum inibi praescriptam, iniunctum sit, ut supplicationes huiusmodi initium sumant a feria sexta et desinant die Dominica, et e contra, ob singularia quaedam adiuncta, in pluribus locis christifidelibus commodius evaderet, aliis diebus hisce supplicationibus interesse, eisque adnexas indulgentias lucrari, postulatum est ab hac S. Congregatione, ut eadem supplicationes, loco dierum in memoratis litteris statutorum, aliis infra hebdomadam diebus, iudicio Rmorum. Episcoporum designandis, peragi queant. Porro has preces in audientia habita die 8 Aprilis 1908 ab Emo. Cardinali Praefecto relatas, SSmus. Dominus Noster Pius PP. X clementer excipiens, petitam gratiam benigne concessit, ceteris tamen servatis, praesertim quoad indulgentiarum acquisitionem, quae in litteris huius Sacrae Con-

gregationis praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 8 Apr. 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

URBIS ET ORBIS.

Conceditur anticipatio confessionis pro indulgentiis lucrandis.

Quo christifideles Indulgentiarum thesauro facilius fruerentur, haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, decreto diei 9 Decembris 1763 cunctis fidelibus, quibus laudabilis est consuetudo accedendi semel in hebdomada ad poenitentiae Sacramentum, iam indultum concessit, vi cuius omnes indulgentias acquirerent per ipsam hebdomadam occurrentes absque alia peccatorum confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas foret necessaria. Huiusmodi vero indultum pro aliquibus regionibus, attenta confessoriorum inopia, etiam ad sacramentalem confessionem infra duas hebdomadas peractam extensum fuit. Insuper alio decreto sub die 6 Octobris 1870 provisum est, ut ad confessionem et S. Synaxim quisque accedere possit die, qui illum immediate praecedit, pro quo aliqua indulgentia sive ratione festivitatis, sive alia quacumque ex causa fuerit concessa.

Experientia tamen compertum est hisce indultis haud satis consultum, quando agitur de iis indulgentiis lucrandis, quae aliquibus festivitatibus extraordinariis sunt adnexae, vel de iis, quas toties quoties eadem die acquiri datum est. Tunc enim ingens fit fidelium concursus ad sacramenta suscipienda, ita ut eorum pio desiderio multis in locis vix satisfieri posset, nisi confessio prae scripta paulo anticipetur ab iis, qui qualibet hebdomada confiteri non solent, neque possunt.

Quapropter SSmo. Domino Nostro Pio PP. X preces sunt exhibitae, ut desuper his de Apostolica benignitate providere dignaretur, indulgendo ut confessio peragenda ad lucrandam indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat.

Et Beatissimus Pater, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 11 Martii 1908, summopere exoptans maiori spirituali bono christifidelium prospicere, expositis precibus clementer annuere dignatus est, ita tamen ut praeter communionem pridie diei, cui est adnexa indulgentia, permissam, in

adimplendis ceteris operibus iniunctis regula generalis, circa modum et tempus in concessionibus praescriptum, servetur. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE PROPAGATION OF THE FAITH.

Rules of St. Joseph's Foreign Missionary College Approved.

Quum Superior Generalis Societatis S. Josepho pro Missionibus Exteris de Mill Hill prope Londinum in Anglia, ab hoc S. Consilio Christiano Nomini Propagando postulasset ut ejusdem Societatis Regulae, quae jam per Decretum diei 28 Januarii ann. 1897 ad decennium per modum experimenti adprobatae fuerant, definitiva nunc adprobatione firmarentur; res, prouti de more, examinanda delata est peculiari ad id constitutae Commissioni sub praesidentia Emi. Viri Card. Francisci Satolli. Eadem vero Commissio, attentis commendatiis Episcoporum litteris nec non uberrimis spiritualibus fructibus quos praefata apostolorum virorum Societas in salutem animarum et religionis incrementum protulit, censuit ejusdem Societatis regulas seu Constitutiones definitive adprobandas esse, nonnullis tamen adjectis modificationibus, quae in adnexo exemplari exhibentur.

Heac vero ejusdem Commissionis sententiam SSmo. D. N. Pio div. prov. Pp. X ab infrascripto S. Congregationis Fidei Propagandae Secretario relatum in Audientia diei 13 vertentis Aprilis, Sanctitas Sua benigne adprobare atque ratam habere dignata est, ac praesens ea super re Decretum confici jussit contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Aedibus ejusdem S. Congregationis die XXV Aprilis anni 1908.

L. ✠ S.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius*.

ROMAN DOCUMENTS

AND

DECREES.

Edited by Rev. D. DUNFORD.

VOL. III.

(JULY, 1908—JUNE, 1909.)

NEW YORK, CINCINNATI, CHICAGO

BENZIGER BROTHERS

PRINTERS TO THE HOLY APOSTOLIC SEE

1908

INDEX.

A.

	PAGE
Alms, Rules as to soliciting ..	117
Altar—	
Consecration of ..	125
Constructed of several tones ..	123
Re-anointing ..	180
Altars, Distance of, from vaults ..	60
Ambulance, Blessing for ..	179
Anniversary of the death of a Bishop ..	102

B.

Benedictine privilege regarding the Divine Office ..	101
Betrothals and marriages. Further questions on ..	58
Biblical Institute erected ..	164
Blessed Sacrament—	
Indulgence for prayer before ..	174
Votive Office of ..	99
Blessing—	
For an ambulance ..	179
For medals of the Child Jesus ..	173
Bonaventure (St.), New lessons for ..	96
Books condemned ..	57, 122
Breviary and Missal, Additions and changes in ..	97
Burial—	
Of French Senators and Deputies ..	63
Of priest in black chasuble ..	124
On the refusal of Christian ..	111
Business with the Holy See, Instruction on the mode of transacting ..	115

C.

Cappa Magna granted to the Abbot General of Cistercians ..	136
Censures inflicted on usurpers of Church property in France ..	137
Chant—	
(Instruction on) for proper Offices ..	183
To be used in Offices for the dead ..	184
Christmas Day, Solutions to questions concerning Masses on ..	111

PAGE

Clergy, Exhortation to ..	88
Clerics, Two indulgenced prayers for ..	61
Commemorations—	
(Order of) in 2nd Vespers ..	101
Of the Dead ..	181
Composition with regard to Church Property in France ..	138
Constitution—	
" Sapienti Consilio " ..	1
(" Promulgandi ") on the promulgation of laws and acts of the Holy See ..	65
Congregation (A new) for minor matters pertaining to canonizations ..	123
Congregations, Tribunals, and Offices, Rules of procedure ..	70
Consecration of an Altar ..	125
Consistory in May, Bishops Convoked for ..	115
Council (Congregation of) Competency of, to dispense from Irregularity and Ordination title ..	117

D.

Dead (Offices for) Chant to be used ..	184
Dispensation from Irregularity and Ordination title. Competency of Congregation of Council to deal with ..	117

E.

Encyclical on St. Anselm ..	141
Eucharistic Congress (London), Letter to Cardinal Vanutelli ..	55
Examination to be made before Solemn Vows ..	121
Exhortation to the Clergy from the Holy Father ..	38
Exposition. Standing and Kneeling during ..	126

F.	PAGE
Faculties of Missionaries Apostolic ..	174
Feast of Seven Dolours raised to double 2nd class	59
Feast transferred to first free day ..	181
Fidelium animae	101

G.

Gregorian Chant, Instruction to publishers of liturgical books with ..	127
--	-----

H.

Holy See (Business with) Instruction on mode of transacting	115
---	-----

I.

Immaculate Conception, Votive Office of	99
Impediments (matrimonial) in periculo mortis, On dispensing from ..	185
Index, Prohibited books	57, 123
Indulgence and Blessing of Medals of the Child Jesus	173
Indulgence, Visit to Private Oratory sufficient for gaining	111
Indulgences—	
For ejaculation to the Sacred Heart ..	110
For kissing the ring of Bishop or Cardinal	173
For prayer before the Blessed Sacrament	174
Granted to National Temperance Crusade in Ireland	105
(Plenary) For seven Saturdays in honour of Our Lady of Mercy ..	104
(Plenary) For twelve Saturdays before the Immaculate Conception	110
Two prayers for Clerics	61
Instruction on mode of transacting business with the Holy See ..	115
Isaias, Authorship of	62

J.

Joan of Aro. Decree of beatification and canonization	128
John Rusbrook (Venerable). Confirmation of Cultus	131
John (St.) Chrysostom declared patron of preachers	100
Joseph (St.), Litany in honour of ..	177

L.

L.	PAGE
Latin. Letter urging study and use of Latin in Seminaries	135
Legitimation of children must be expressly mentioned in petitions ..	137
Letter—	
To Cardinal Vanutelli on London Eucharistic Congress	55
To Cardinal Gibbons	67
To Archbishop Bourne	68
From Holy Father on crowning Statues of the Sacred Heart ..	109
Urging study and use of Latin in Seminaries	135
Litany in honour of St. Joseph ..	177
Liturgical books with Gregorian chant. Instruction for publishers ..	127
Lives of Servants of God, Admonition concerning publication of	131

M.

Marriage and Betrothals, Further questions on	58
Martyrology, Additions to	103
Mass—	
At sea. Permission to certain Bishops to celebrate	99
On altar constructed of several stones	123
Proper to a place not to be exchanged for another	181
Masses—	
For the dead	131
Method of sending to Eastern Churches	106
On Christmas Day. Solutions to questions	111
Matrimonial impediments in periculo mortis, On dispensing from ..	185
Missal and Breviary, Additions and changes in	97
Missionaries Apostolic and their faculties	174
Mixed parentage, Concerning the children of	134
Musical instruments in church, The use of	125

N.

Nuptial blessing not to be given outside Mass	134
Nuptial Mass, Commemoration of a double at	181

INDEX.

v.

O.	PAGE
Oath taken by Propaganda students, Regarding the	114
Office (Divine), Benedictine privilege regarding	101
Office of Our Lady, Directions regarding the recitation of	114
Office of the Dead. Chant to be used	184

P.	PAGE
Parentage (Mixed), Concerning the Children of	134
Precedence of Vicar General	179
Priest (Burial of) in black chasuble	124
Privilege (Benedictine) regarding the Divine Office	101
Promulgation of laws and acts of the Holy Sec, Constitution on	65
Propaganda (College) Regarding the oath taken by students	114
Propaganda (Congregation of), Regarding the competence of	112

R.	PAGE
Ring of Bishop or Cardinal, Indulgence for kissing	173
Rockford, New diocese formed	171
Rogation days, Commemoration of a double on	181
Rules of procedure of Roman Congregations, Tribunals, and Offices	70

S.	PAGE
Sacred Heart, Indulgence for ejaculation	110
Sacred Heart, Letter from the Holy Father on crowning statues of	102
Sanctuary Lamp, Wax and olive oil as a substitute for pure olive oil	128
"Sapienti Consilio," The Constitution	1
Senators and Deputies (French), The burial of	63
Seven Dolours (Feast of) raised to double 2nd class	59

T.	PAGE
Temperance crusade in Ireland, Indulgence granted to	105
Transfer of a feast to first free day	181

V.	PAGE
Vaults, Distance of altar from	60
Vernacular, On singing in the	181
Veto at the election of a Sovereign Pontiff	169
Vicar General, Precedence of	179
Visit to private oratory sufficient for gaining indulgences	111
Votive Offices of Immaculate Conception and the Blessed Sacrament	99
Vows (Solemn), Examination to be made before taking	121

W.	PAGE
Women singing in church	126

CONSTITUTIO APOSTOLICA DE ROMANA CURIA.

PIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Sapienti consilio sa. me. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhaerens eorumque coepta perficiens, sacros Cardinalium coetus, seu Romanas Congregationes, quarum aliquot iam erant ad certa negotia institutae, augeri numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litteris, die 22 mensis Ianuarii an. 1587, quæis initium, *Immensa*, eiusmodi Congregationes constituit quindecim, ut "partita inter eos aliosque romanae Curiae magistratus ingenti curarum negotiorumque mole," quae solet ad Sanctam Sedem deferri, iam necesse non esset tam multa in Consistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiae diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique sive studio religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae, aliisque de causis ad Summum Pontificem confugerent.

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiae historia exploratumque omnibus est.

Verum decursu temporis ordinatio Romanae Curiae a Xysto V potissimum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perstitit. Nam et Sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo auctus est, modo diminutus; atque ipsa iurisdictio unicuique Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum iurisdictio, seu *competentia*, non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit; plures ex Sacris Congregationibus eadem de re ius dicere valeant, et nonnullae ad pauca tantum negotia expedienda redactae sint, dum aliae negotiis obruuntur.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decesorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII. et apud Nos ipsos saepe institerunt ut opportuna remedia hisce incommodis afferrentur. Quod Nos quidem pro parte praestare curavimus datis Litteris die 17 mensis Decembris anno 1903, *Romanis Pontificibus*; aliisque datis die 28 mensis Ianuarii anno 1904, *Quae in Ecclesiae bonum*; itemque aliis datis die 26 mensis Maii anno 1906, *Sacrae Congregationi super negotiis*.

Cum vero in praesenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiaeque operam suam praestare facilius valeat et suppetias ferre perfectius.

Quamobrem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, statuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia, quae Romanam Curiam componunt et quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda reservantur, post ferias autumnales decurrentis anni, hoc est a die 3 mensis Novembris 1908, non alia sint, praeter consueta sacra Consistoria, quam quae praesenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine, competentia, divisa et constituta maneant his legibus, quae sequuntur.

I.—SACRAE CONGREGATIONES.

1º.—*Congregatio Sancti Officii.*

1. Haec Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praeest, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinertiae, ieiunia, festa, servanda, id omne, huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis: relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta *de disciplina Sacramentorum*, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

2°.—*Congregatio Consistorialis.*

1. Duas haec Sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur :

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere: Episcopos, Administratores apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicare actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *Positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum diocesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum diocesium; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et Studia Seminariorum pertinent.

4. Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

5. Huius Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales a *secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accensentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censuerit.

6. A *secretis* semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Adessoris* nomen, qui idem fungetur munere a *secretis* Sacri Collegii Patrum Cardinalium et sub ipso sufficiens administratorum numerus.

7. Consultores huius Congregationis erunt *Adessor* Sancti Officii, et a *secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere: quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

3°.—*Congregatio de Disciplina Sacramentorum.*

1. Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legis-

latio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae hucusque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio proles; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti, aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quae sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum *Secretario* aliisque necessariis administris et consultoribus.

4.^o—*Congregatio Concilii.*

1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populi que christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta servantur, cuius generis sunt ieiunium (excepta eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinencia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quae Parochos et Canonicos spectant; item quae pias Sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecessana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eandem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam deferenda.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

5.^o—*Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita.*

1. Haec Sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

6.^o—*Congregatio de Propaganda Fide.*

1. Sacrae huius Congregationis iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeserferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiectas esse volumus.

2. Itaque a iurisditione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus—in *Europa*—ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem;—in *America*—provincias ecclesiasticas domini Canadensis, Terrae Novae et Foederatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quae ad haec loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes

Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorumdem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquae ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quae Congregatione a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiare alias Congregationes deferat quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

6. Unitam habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quae hucusque servata sunt.

7. Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverendae Camerae Spoliorum*, ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione coniungitur Coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium*.

7^o.—*Congregatio Indicis.*

1. Huius sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit, prohibere, et exemptiones concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denunciare, ad normam *Const. Officiorum*, xxv. Ian MDCCCXCVII.

2. Cum vero librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, administri secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

8^o.—*Congregatio Sacrorum Rituum.*

1. Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae

proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caerimoniae diligenter servantur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caerimonias pertineant, elargiri et cavere ne in haec abusus irreptant.

3. Denique ea omnia exequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

4. Huic Congregationi adiunguntur *Coetus liturgicus*, *Coetus historico-liturgicus* et *Coetus pro Sacro Concentu*.

9.^o—*Congregatio Caeremonialis.*

Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

10.^o—*Congregatio pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis.*

In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

11.^o—*Congregatio Studiorum.*

Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenaea, seu quas vocant Universitates, seu Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

II.—TRIBUNALIA.

1.^o—*Sacra Poenitentiaria.*

Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit.

2.^o—*Sacra Romana Rota.*

Quum Sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatam, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentiionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus “per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnoscere causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudicarium cum processu et probationibus requirentes” (Litt. Secretariae Status, 17 Aprilis 1728); sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotae tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam*, quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure Sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

3.^o—*Signatura Apostolica.*

Item supremum Signaturae Apostolicae tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturae papalis gratiae et iustitiae* suppressa.

III.—OFFICIA.

1.^o—*Cancellaria Apostolica.*

1. Huic officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice-Cancellarii nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

2. Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa

novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublatiis iis modis qui dicuntur per *viam secretam, de Camera et de Curia*.

4. Expedientur memoratae litterae seu *bullae* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

5. Suppresso collegio Praelatorum, qui dicuntur *Abbreviatores maioris vel minoris residentia*, seu *de parco maiori vel minori*; quae ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero*.

2.^o—*Dataria Apostolica.*

1. Huic officio praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinebit,

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

3. In his omnibus agendis normas peculiare sibi proprias, aliasque seorsim dandas servabit.

3.^o—*Camera Apostolica.*

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitae a Const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904.

4.^o—*Secretaria Status.*

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a *Secretis Status*, hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiare Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui Praeposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum Brevium,

quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit.—Primae praeerit *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est *Secretarius* Sacrae Congregationis negotiis extraordinariis praepositae, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis.

5.^o—*Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum Latinarum.*

Duplex hoc officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die 25 mensis Martii, sed a Kalendis Ianuariis.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quae diximus, posthac Romanam Curiam constituent, servata eorum quae ante Nostras has litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius praescripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quae Constitutioni huic adiiciuntur.

Congregatio quae dicitur *Reverendae fabricae S. Petri*, in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV. statutis Const. *Quanta curarum* die 15 mensis Novembris 1751 data.

Coetus *studiis provehendis* sive *Sacrae Scripturae*, sive *historiae*; *Obulo S. Petri administrando*; *Fidei in Urbe praeservandae*, permanent in stato quo ante.

Sublata Congregatione *Visitationis Apostolicae Urbis*, qua ipsius erant iura et munia ad peculiarem Patrum Cardinalium coetum, penes urbis Vicariatum constituendum, deferimus.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis solemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorumdem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum.

Praeterea, sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis.

Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum

generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis praestituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Atque haec valere quidem debent Apostolica Sede plena; vacua enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione "*Vacante Sede Apostolica*" statutis.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, 3 Kal. Iulias, Pontificatus Nostri anno quinto.

RAPHAEL Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.
A. Card. DI PIETRO, *Pro-Datarius*.

VISA

De Curia I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

L. ✕ P.

Reg. in Secret. Brevium.

V. CUGNONIUS.

LEX PROPRIA SACRAE ROMANAE ROTAE ET SIGNATURAE APOSTOLICAE.

TITULUS I.

Sacra Romana Rota.

CAP. I.

De constitutione Sacrae Romanae Rotae.

Can. I.

§ 1. Sacra Romana Rota decem Praelatis constat a Romano Pontifice electis, qui Auditores vocantur.

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia, et iuris peritia praeclari.

§ 3. Cum aetatem septuaginta quinque annorum attigerint emeriti evadunt, et a munere iudicis cessant.

Can. 2.

§ 1. Sacra Rota Collegium constituit, cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.

§ 2. Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et in pari nominatione ratione antiquioris ordinationis ad sacerdotium, et in pari nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis.

§ 3. Vacante decanatu, in officium decani ipso iure succedit qui primam sedem post decanum obtinet.

Can. 3.

§ 1. Singuli Auditores, probante Rotali Collegio et accedente consensu Summi Pontificis, eligant sibi unum studii adiutorem, qui laurea doctorali iuris saltem canonici in publica universitate studiorum, vel facultate a Sancta Sede recognitis donatus sit, et religione vitaeque honestate praestet.

§ 2. Adiutor in suo munere explendo de mandato sui Auditoris agere debet, et manet in officio ad eiusdem nutum.

Can. 4.

§ 1. Erunt insuper in Sacra Rota promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, et defensor sacri vinculi matrimonii, professionis religiosae et sacrae ordinationis.

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, laurea doctorali in theologia et in iure saltem canonico insigniti, maturae aetatis, et prudentia ac iuris peritia praestantes.

§ 3. Eligentur a Summo Pontifice, proponente rotali Auditorum Collegio.

Can. 5.

§ 1. Constituentur etiam notarii, quot necessarii sunt pro actibus Sacrae Rotae rogandis, qui praeterea actuarii et cancellarii munere in sacro tribunali funguntur.

§ 2. Duo saltem ex his erunt sacerdotes; et in causis criminalibus clericorum vel religiosorum his dumtaxat reservatur notarii et actuarii munus.

§ 3. Omnes eligentur a Collegio Rotali ex concursu iuxta regulam pro ceteris Sanctae Sedis officiis datam: eorumque electio confirmanda erit a Summo Pontifice.

Can. 6.

§ 1. Unus vel duo laici maturae aetatis et probatae vitae constituentur pro custodia sedis et aulae Sacrae Rotae, qui, quoties necesse sit, cursorum et apparitorum officia praestabunt.

§ 2. Eligentur a Rotali Collegio cum suffragiorum numero absolute maiore.

Can. 7.

§ 1. Singuli Sacrae Rotae Auditores, post nominationem, ante quam iudicis officium suscipiant, coram universo Collegio, adstante uno ex notariis sacri tribunalis, qui actum rogabit, iusiurandum dabunt de officio rite et fideliter implendo.

§ 2. Idem iusiurandum dabunt singuli adiutores Auditorum, et tribunalis administri coram Sacrae Rotae Decano, adstante pariter uno ex notariis.

Can. 8.

In re criminali, in causis spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus obvenire potest, vel ab ipso tribunali secretum impositum fuit, Auditores, adiutores Auditorum et tribunalis administri tenentur ad secretum officii.

Can. 9.

§ 1. Auditores qui secretum violaverint, aut ex culpabili negligentia vel dolo grave litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis: et ad instantiam partis laesae, vel etiam ex officio, Signaturae Apostolicae iudicio a SSmo. confirmato, puniri possunt.

§ 2. Tribunalis administri et adiutores Auditorum, qui similia egerint, pariter tenentur de damnis; et ad instantiam partis laesae, aut etiam ex officio, Rotalis Collegii iudicio, pro modo damni et culpae puniri possunt.

Can. 10.

§ 1. Declaratio fidelitatis exemplarium cum autographo a notariis fieri potest ad instantiam cuiuslibet petentis.

§ 2. Extrahere vero documenta ex archivio, illaque petentibus communicare, notarii non possunt nisi de mandato Praesidis turni, coram quo causa agitur, si ad effectum causae documentum postuletur: de mandato Decani, si aliquod documentum ob alium finem requiratur.

Can. 11.

Sacra Rota, duabus formis ius dicit, aut per *turnos* trium Auditorum, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua particulari causa Summus Pontifex statuerit sive ex se, sive ex consulto sacrae alicuius Congregationis.

Can. 12.

§ 1. Turni hoc ordine procedent. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus; secundus et tertius ex sex

praecedentibus; quartus ex decano et duobus ultimis Auditoribus, qui denuo in turni seriem redeunt; quintus et sextus turnus ex Auditoribus sex qui praecedunt; septimus ex subdecano et decano rotali una cum ultimo Auditore, qui rursus in seriem venit: denique octavus, nonus et decimus turnus ex novem reliquis Auditoribus: et sic deinceps, servata ea vice perpetuo.

§ 2. Turni in iudicando sibi invicem succedunt iuxta ordinem temporis, quo causae delatae sunt ad Sacrae Rotae tribunal.

§ 3. Si, iudicata iam ab uno turno aliqua causa, opus sit secunda sententia, causam videt turnus qui proxime subsequitur, etsi hic aliam causam iuxta superiorem paragraphum iudicandam assumpserit. Et si opus sit tertia sententia, eodem modo turnus, qui duos praecedentes proxime subsequitur, causam videndam suscipit.

§ 4. In unoquoque turno, seu Auditorum coetu, praeses est semper Auditor cui prior locus competit.

§ 5. Si quis infirmitate aut alia iusta causa impeditus partem in iudicando in suo turno habere non possit, praevio Decani decreto, eum supplet primus Auditor liber, non proximi quidem turni, sed alterius subsequentis.

Quod si opus sit tertia rotali sententia, impeditum Auditorem supplet decimus rotalis, vel alius qui partem in tribus turnis non habet.

§ 6. Auditor ob impedimentum alterius rotalis suffectus, etsi senior, praeses turni esse non potest, quoties causa iam coepta sit, et Praeses alius constitutus.

Can. 13.

Circa vacationes Rotale tribunal eiusque administri eadem utentur regula ac cetera Sanctae Sedis officia.

CAP. II.

De competentia Sacrae Romanae Rotae.

Can. 14.

§ 1. Sacra Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal advocaverit, et Sacrae Rotae commiserit; easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium iuxta praescripta *can. 12*.

§ 2. Iudicat in secunda instantia, causas quae a tribunali Emi. Urbis Vicarii et ab aliis Ordinariis tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur. Itemque eas iudicat, si opus sit, etiam in tertia iuxta modum in *can. 12* praescriptum.

§ 3. Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu iam cognitae, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctum Sedem deferuntur.

§ 4. Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae iuxta titulum *De rest. in integr.*; dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia Sacrae Romanae Rotae: et in his iudicat tum de forma, tum de merito.

Can. 15.

Causae maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

Can. 16.

Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur.

Can. 17.

Defectus auctoritatis Sacrae Rotae in videndis causis, de quibus in duobus canonibus praecedentibus, est absolutus, ita ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla.

CAP. III.

De modo iudicandi Sacrae Romanae Rotae.

Can. 18.

§ 1. Partes per se ipsae possunt se sistere et iura sua dicere coram Sacra Rota.

§ 2. Si quem tamen sibi assumant advocatum, hunc eligere debent inter approbatos iuxta tit. III huius legis.

§ 3. Advocatus, aut qua consultor et adsistens, aut qua patronus, cui causa defendenda ex integro commissa maneat, a parte eligi potest: in utroque casu tradi ei debet mandatum in scriptis, quod exhibendum est tribunali, et servandum in actis.

§ 4. Advocatus ad adsistendum assumptus tenetur clientem instruere, prout et quatenus opus sit; de regulis et usu sacri tribunalis, opportuna consilia de modo agendi eidem praeberere, et defensionem ac responsionem cum eo subsignare.

§ 5. Si partes per se ipsae etiam cum adsistente avvocato ut in § 3, defensionem suam suscipiant, uti possunt in defensionis et responsionis scriptura vernacula lingua a sacro tribunali admissa.

§ 6. In quolibet tamen casu unica semper esse debet defensionis et responsionis scriptura, hoc est aut partis aut eius patroni: nunquam vero duplex, id est utriusque.

Can. 19.

§ 1. Cum ad Sacrae Rotae protocollum pervenerit appellatio aliqua, aut commissio iudicandi aliquam causam in forma ordinaria, appellationis libellus aut litterae commissoriae ex Decani mandato transmittuntur Auditorum turno ad quem spectat iudicium in ordine et vice sua iuxta praecedentem canonem 12; turnus autem, assumpta causa, procedit ad eius examen iuxta ordinarias iuris normas.

§ 2. Quod si commissio iudicandi facta sit, non in forma ordinaria, sed speciali, idest videntibus quinque, vel septem, vel omnibus Auditoribus, aut dumtaxat pro voto; Sacra Rota servare in primis debet commissionis formam iuxta tenorem rescripti, et in reliquis iuxta regulas iuris communis et sibi proprias procedere.

Can. 20.

Quoties quaestio in Sacra Rota fiat circa executionem provisionis alicuius sententiae aut circa inhibitionem executionis, res inappellabili sententia a solo Praeside turni, ad quem iudicium causae in merito spectaret, est definienda.

Can. 21.

Praeses turni, seu Auditorum coetus, qui tribunal constituit, per se est etiam Ponens seu Relator causae. Quod si iustam habeat rationem declinandi hoc officium, auditis ceteris turni seu coetus Auditoribus, suo decreto statuet qui vice sua Ponentis munus suscipiat.

Can. 22.

§ 1. Si in aliqua causa opus sit instructione processus, instructio fiat iuxta receptas canonicas regulas.

§ 2. Ponens autem seu Relator non potest simul esse causae instructor, sed hoc officium a Decano debet demandari alicui Auditori alterius turni.

Can. 23.

§ 1. Causa coram Sacra Rota introducta et instructa, actor, vel etiam conventus, si ipsius intersit, Ponentem rogabit ut diem dicat alteri parti pro contestatione litis, seu concordatione dubiorum.

§ 2. Ponens, vel eius studii adiutor, in calce libelli diem constituet. Quod in exemplari authentico alteri parti communicari statim debet.

Can. 24.

§ 1. Si die assignata pro concordatione dubiorum pars in ius vocata non compareat, et legitimam excausationem absentiae dare negligat, contumax declarabitur, et dubiorum formula ac dies propositionis causae ad postulationem partis praesentis et diligentis ex officio statuetur: idque statim ex officio notum fiet alteri parti, ut, si velit, excipere possit contra dubiorum formulam, et a contumacia se purgare, constituto ad hoc a Ponente vel eius studii Adiutore congruo temporis termino.

§ 2. Si partes praesentes sint, et convenient in formula dubii atque in die propositionis causae, et Ponens vel eius Adiutor ex parte sua nil excipiendum habeant, dabitur opportunum decretum quo id constabiliatur.

§ 3. Si vero partes non convenient in formula dubii, aut in die propositionis causae: itemque si Ponens vel eius Adiutor censeant acceptari non posse partium conclusiones, definitio controversiae reservatur iudicio totius turni; qui quaestione incidentali discussa decretum ad rem feret.

§ 4. Dubiorum formula utcumque statuta mutari non potest nisi ad instantiam alicuius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris, vinculi, audita altera parte, novo Ponentis vel turni decreto, prout, fuerit vel a Ponente vel a turno statuta.

§ 5. Dies eodem modo mutari potest; sed haec mutatio fieri potest etiam ex officio, si Ponens vel turnus necessarium ducant.

Can. 25.

§ 1. Sententiae, decreta et acta quaelibet contra quae expostulatio facta sit, exhibenda sunt Sacrae Rotae saltem decem dies ante litis contestationem.

§ 2. Documenta quae partes in propriae thesisi suffragium producenda habent, triginta saltem dies ante causae discussionem deponenda sunt in protocollo Sacrae Rotae, ut a iudicibus et tribunalis administris atque ab altera parte examinari possint in ipso loco protocolli, unde ea asportari non licet.

§ 3. Debent autem esse legitima forma confecta, et exhibenda sunt in forma authentica, colligata in fasciculo, cum adiuncto eorum indice, ne subtrahi aut deperdi possint.

Can. 26.

§ 1. Defensio typis est imprimenda: et triginta dies ante causae discussionem (*eodem nempe tempore ac documenta de quibus in can. praec. deponenda sunt in protocollo rotali*) distribuenda est duplici exemplari singulis iudicibus, notariis protocolli et archivii, itemque promotori iustitiae et vinculi defensori, si iudicio inter-

sint. Commutari praeterea debet cum altera parte, aut partibus, ut responsioni locus hinc inde fiat.

§ 2. Defensionis adiungendum est Summarium, typis pariter impressum, in quo documenta potiora contineantur.

Can. 27.

§ 1. Responsiones decem dies ante causae discussionem, idest viginti dies post distributionem defensionis, exhibendae sunt una cum novis documentis, si quae adiungenda partes habeant, servatis etiam hoc in casu regulis can. 24 et can. 25.

§ 2. Quo facto conclusum in causa reputabitur: et partibus earumque patronis seu procuratoribus iam non licebit quidpiam adungere aut scribere.

§ 3. Si tamen agatur de repertis novis documentis, fas semper est ea producere. Sed in eo casu pars exhibens probare tenetur se ea documenta nonnisi ad ultimum reperisse. Admissis vero his novis documentis, Ponens debet congruum tempus alteri parti concedere ut super iisdem respondere possit. Aliter nullum erit iudicium.

§ 4. In potestate autem et officio Ponentis est documenta futilia ad moras nectendas exhibita respuere.

Can. 28.

Spacia temporum superioribus canonibus constituta prorogari possunt a iudice ad instantiam unius partis, altera prius audita, vel etiam coarctari, si ipse iudex necessarium duxerit, consentientibus tamen partibus.

Can. 29.

§ 1. Defensionis scriptura excedere non debet viginti paginas formae typographicae ordinariae folii romani. Responsiones decem paginas.

§ 2. Si ob gravitatem, difficultatem, aut grande volumen documentorum parti vel patrono necesse sit hos limites excedere, a Ponente supplici libello id ipsi impetrabunt. Ponens autem decreto suo statuet numerum ulteriorem paginarum quem concedit, quemque praetergredi nefas est.

§ 3. Exemplar tum defensionis tum responsionis antequam edatur exhibendum est Ponenti vel eius studii adiutori, ut imprimendi atque evulgandi facultas impetretur.

§ 4. Nulla scriptura Sacrae Rotae destinata typis edi potest, nisi in typographia a Collegio Sacrae Rotae approbata.

Can. 30.

Quae dicuntur *informationes orales ad iudicem*, in Sacra Rota prohibentur: admittitur tamen moderata disputatio ad elucidanda-

tionem dubiorum coram turno pro tribunali sedente, si alterutra vel utraque pars eam postulet, aut tribunal statuatur ut eadem habeatur. In ea vero hae regulae servantur :

1° Disputatio fiat die et hora a tribunali opportune assignanda tempore intermedio inter exhibitionem responsionis et assignatam iudicio diem.

2° Partes regulariter non admittuntur ut per se ipsae causam suam dicant coram iudicibus ; sed ad id deputare debent unum ex advocatis, quem sibi ad adsistendum, aut qua patronum vel procuratorem adsciverint. In potestate tamen tribunalis est eas rationabili de causa admittere, aut advocare et iubere ut intersint.

3° Biduo ante disputationem partes exhibere debent Adiutori Ponentis quaestionis capita cum altera parte discutienda paucis verbis, una vel altera periodo, contenta, eaque Adiutor partibus hinc inde communicabit, una simul cum quaesitis a turni Auditoribus praeparatis, si quae ipsi habeant, super quibus partes rogare velint.

4° Disputatio non assumet oratoriam formam ; sed sub Ponentis ductu ac moderatione circumscripta erit limitibus illustrandorum dubiorum.

5° Adsistet unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si aliqua pars postulet et tribunal consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, adnotationem ad tramitem iuris ex continenti assumere.

6° Qui in disputatione iniurias proferat, aut reverentiam et obedientiam tribunali debitam non servet ius ad ulterius loquendum amittit, et si agatur de procuratore vel avvocato, puniri pro casus gravitate potest etiam suspensione aut privatione officii.

Can. 31.

§ 1. Assignata iudicio die Auditores in consilium ad secretam causae discussionem convenire debent.

§ 2. Unusquisque scripto afferet conclusiones suas seu votum cum brevibus probationibus tam in facto quam in iure. Attamen in discussione fas semper est Auditoribus a conclusionibus suis recedere, si iustum et necessarium ducant. Conclusiones autem suas singuli Auditores in actis causae deponere tenentur ad rei memoriam : secretae tamen ibi servabuntur.

§ 3. Ea demum sit sententia in qua firmiter conveniant duo saltem ex Auditoribus, aut pars absolute maior praesentium, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur.

§ 4. Si ad sententiam in prima discussione devenire iudices nolint aut nequeant, differre poterunt iudicium ad primum proxi-

mum eiusdem turni conventum, quem protrahi non licet ultra hebdomadam, nisi forte vacationes tribunalis intercedant.

Can. 32.

§ 1. Re conclusa in Auditorum consilio, Ponens super actorum fasciculo signabit partem dispositivam sententiae, idest responsiones ad dubia: quae a notario tribunalis partibus significari poterunt, nisi tribunal censuerit solutionem suam secreto servare usque ad formalis sententiae promulgationem.

§ 2. Haec intra decem dies, aut ad summum intra triginta in causis implicatioribus est peragenda: exaranda vero vel a causae Ponente vel ab alio ex Auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit.

§ 3. Eadem lingua latina est conscribenda; et rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debet.

§ 4. Subsignabitur a Praeside turni et ab aliis Auditoribus una cum aliquo ex notariis Sacrae Rotae.

Can. 33.

§ 1. Si sententia rotalis confirmatoria sit alterius sententiae sive rotalis sive alius tribunalis, habetur res iudicata, contra quam nullum datur remedium nisi per querelam nullitatis, vel per petitionem restitutionis in integrum coram supremo Apostolicae Signaturae tribunali.

§ 2. Si duplex sententia conformis non habeatur, a sententia rotali ab uno turno lata datur appellatio ad turnum proxime sequentem iuxta canonem 12, intra tempus utile dierum decem ab intimatione sententiae, ad tramitem iuris communis.

Can. 34.

§ 1. Si, introducta causa, actor renunciare velit instantiae, aut liti, aut causae actibus, id ei semper licebit. Sed renunciatio debet esse absoluta nullique conditioni subiecta, subsignata cum loco et die a renunciante, vel ab eius procuratore speciali tamen mandato munito, ab altera parte acceptata aut saltem non oppugnata, et a iudice deinde admissa.

§ 2. Renuncians tamen tenetur hisce in casibus ad omnia consectoria, quae ex his renunciationibus profluunt ad tramitem iuris communis.

TITULUS II.

Signatura Apostolica.

CAP. I.

De constitutione et competentia Signaturae Apostolicae.

Can. 35.

§ 1. Supremum Apostolicae Signaturae tribunal constat sex S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice electis, quorum unus, ab eodem Pontifice designatus, Praefecti munere fungetur.

§ 2. Eique dabitur a Romano Pontifice adiutor, seu a Secretis, qui iuxta regulas eiusdem Signaturae proprias, sub ductu Cardinalis Praefecti, omnia praestabit quae ad propositae causae instructionem eiusque expeditionem necessaria sunt.

Can. 36.

§ 1. Praeter Secretarium erit etiam in Apostolica Signatura unus saltem notarius conficiendis actibus, conservando archivum, et adiuvando Secretario in iis quae ab eo ipsi committuntur: habebitur quoque custos conclavium eiusdem Signaturae: prior sacerdos, alter laicus.

§ 2. Erunt etiam aliquot Consultores, a Summo Pontifice eligendi, quibus poterit examen alicuius quaestionis pro voto ferendo committi.

§ 3. Quae ad nominationem, iusiurandum, obligationem secreti ac disciplinam pertinent, et pro administris Sacrae Rotae constituta sunt, servantur quoque, cum proportionem, pro Apostolicae Signaturae administris.

Can. 37.

Supremum Apostolicae Signaturae tribunal videt tamquam sibi propriae ac praecipuae,

1°. de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur;

2°. de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta can. 9;

3°. de querela nullitatis contra sententiam rotalem;

4°. de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.

CAP. II.

De modo iudicandi Apostolicae Signaturae.

Can. 38.

Ad postulandum restitutionem in integrum et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem dantur tres menses

utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad haec remedia recursus fieri potest.

Can. 39.

§ 1. Expostulatio ad Signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae executionem.

§ 2. Nihilominus ad instantiam partis recurrentis Signatura potest, incidentaliter sententia, inhibitionem executionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam, pro restitutione in integrum.

Can. 40.

§ 1. Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est Secretario Signaturae Apostolicae.

§ 2. Cardinalis autem Praefectus, una cum Secretario accepta instantia, examinare debet, utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat: quod si desit, instantiam ipsam quamprimum reiicere; sin vero habeatur, tenetur admittere.

Can. 41.

§ 1. In causa criminali, de qua sub num. 2 canonis 37, regulae processuales servantur, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur.

§ 2. In aliis iudiciis, de quibus in num. 1, 3 et 4, can. 37, Signatura procedere potest sola rei veritate inspecta, citata tamen semper parte adversa, vel conventa, vel cuius intersit, et praefixo partibus congruo peremptorio termino ad iura sua deducenda.

§ 3. Et in primo ex memorati iudicii casibus Apostolica Signatura inappellabili sententia definit utrum, an non, sit locus recusationi Auditoris. Quo facto iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut iuxta suas regulas ordinarias procedat, admissio in suo turno, vel non, Auditore contra quem exceptio sublevata fuit, iuxta Signaturae sententiam.

In tertio casu de hoc tantum iudicat, sitne nulla rotalis sententia, et sitne locus eius circumscriptioni.

In quarto casu Apostolica Signatura, inappellabili sententia definit utrum, necne, locus sit restitutioni in integrum. Qua concessa, rem remittit ad Sacram Rotam, ut, videntibus omnibus, de merito iudicet.

Can. 42.

Cardinalis Praefectus, itemque Signaturae tribunal, si expedire reputent, convocare possunt Promotorem iustitiae et Defensorem vinculi penes Sacram Rotam, et ab eis votum exigere, vel etiam petere ut de actibus rotalibus, quae impugnantur, rationes explicant.

Can. 43.

In reliquis, quae necessaria sunt ad iudicii expeditionem, et non sunt in praecedentibus canonibus cauta, servari in primis debent, congrua congruis referendo, regulae pro Sacra Rota statutae, et deinde normae iuris communis.

TITULUS III.

De Advocatis penes Sacram Rotam et Apostolicam Signaturam.

Can. 44.

§ 1. Advocati proprii ac nativi Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sunt Advocati consistoriales.

§ 2. Admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in canonico iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram Rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint, a Sacrae Rotae Decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum coram Rotali Collegio dederint de munere ex conscientia implendo.

Can. 45.

§ 1. Advocati in causis coram Sacra Rota et Signatura Apostolica agendis tenentur servare tum communes leges canonicas tum regulas horum tribunalium proprias; et in scripturis pro defensione exarandis lingua latina uti debent.

§ 2. Tenentur insuper de mandato Decani Sacrae Rotae aut Cardinalis Praefecti Signaturae Apostolicae gratuitum patrocinium aut gratuitam adsistentiam praebere iis, quibus Sacra Rota aut Signatura Apostolica hoc beneficium concesserit.

§ 3. Nefas eisdem est emere litem, aut de extraordinario emolumento vel immodica rei litigiosae parte sibi vindicandi pacisci. Quae si fecerint, praeter nullitatem pactionis, a Sacra Rota congrua poena mulctari possunt, iuxta sequentem canonem.

Can. 46.

Collegium advocatorum consistorialium fungetur munere collegii disciplinae pro continendis in officio advocatis: qui, ex voto eiusdem Collegii, a Sacra Rota reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria mulctari, suspendi, vel etiam ex albo advocatorum expungi poterunt.

APPENDIX

DE TAXATIONE EXPENSARUM IUDICIALIUM.

CAP. I.

De proventibus quae ad aerarium Sanctae Sedis spectant.

1. Acta quaelibet iudicialia in causis tum contentiosis tum criminalibus exarari debent in foliis sigillum Sedis Apostolicae referentibus, excepta prima instantia, et exceptis quoque foliis typis edendis, de quibus in can. 25 et 26. Folia quatuor paginis constant et paginae triginta lineis.

Pretium uniuscuiusque folii coram Sacra Rota adhibendi est, lib. 1; coram Signatura Apostolica, lib. 2.

2. In eodem folio cumulari nequeunt acta diversa, quamvis ad eandem causam spectantia.

3. Quoties documenta in protocollo Sacrae Rotae exhibentur sive plura sint, sive pauciora, singulis vicibus pendenda est lib. 1.

4. Pro actu quo declaratur concordare exemplar alicuius documenti cum autographo, ad singula folia, lib. 0,50.

5. Pro peritiis, si requirantur, et pro examine testium, si habendum sit, a requirente peritiam vel probationem per testes deponenda est penes officialem rotalem, pecuniae custodem, summa ab Adiutore Praesidis tribunalis, taxanda, quae ab eo censeatur sufficiens ad expensas peritiae vel examinis testium solvendas.

6. In taxanda hac summa Adiutor aestimare debet, iuxta civilem Urbis usum, quid requiratur ad retribuendam peritorum operam, si de ipsa agatur, vel ad indemnitate[m] testibus praestandam, tum ob itineris expensas, tum ob cessatum lucrum ex interruptione laboris, si de examine testium res sit. Praeterea tribunalis iura iuxta communes normas ei prae oculis habenda sunt.

7. Ad occurrendum expensis iudicialibus universe sumptis deponenda est in arca nummaria Sacrae Rotae pro prudenti Ponentis arbitrio pecuniae summa a 100 ad 500 libellas.

8. Proventus universi hucusque recensiti ad aerarium Sanctae Sedis spectant, et ad illud singulis mensibus transmitti debent iuxta regulam pro aliis Sanctae Sedis officiis assignatam.

CAP. II.

De proventibus qui cedunt in retributionem operis a singulis praestitae.

1. Pro versione alicuius actus a lingua non in usu penes Romanam Curiam in aliam usu receptam, retributio pro singulis foliis, lib. 1,50.

2. Pro examinanda versione, et pro declaratione facienda a perito de eius fidelitate, ad singula folia, lib. 0,50.
3. Pro simplici transcriptione, ad singulas paginas, lib. 0,25.
4. Pro extrahendis ex archivio documentis vel fasciculo (*posizione*) alicuius causae, tabularius ministerium suum gratuito debet praestare, si agatur de re ultimis decem annis acta; si de antiquiori, ius habet ad lib. 5.

CAP. III.

De advocatorum et procuratorum proventibus.

1. Pro qualibet instantia exarata, lib. 5.
2. Pro concordatione dubiorum, ad singula dubia, lib. 5.
3. Pro interventu in examine testium in qualibet sessione, lib. 5.
4. Pro adsistentia examini, vel iuramento parti delato, lib. 5.
5. Pro congressibus cum cliente et cum aliis personis ad effectum causae, iuxta numerum et simul sumptis, a lib. 10 ad 100.
6. Pro accessibus ad tribunal, a lib. 5 ad 50.
7. Pro disputatione coram tribunali ad normam can. 30, a lib. 10 ad 25.
8. Pro examine omnium documentorum, a lib. 50 ad 300.
9. Pro eorum ordinatione et summarii compositione, a lib. 50 ad 100.
10. Pro exaranda defensione, a lib. 200 ad 1000.
11. Pro responsione, a lib. 100 ad 200.
12. Pro simplici adsistentia ad normam can. 18, a lib. 100 ad 200.
13. Harum omnium taxarum motio, seu *liquidatio*, facienda est ad tramitem communis iuris a Praeside tribunalis.

CAP. IV.

De exemptione a iudicialibus expensis et gratuito patrocinio.

1. Pauperibus ius est exemptionis ab expensis iudicialibus, et gratuiti patrocinii, iuxta praescripta superius can. 45, § 2.
2. Qui pauperes absolute dici non possunt, sed ob arctam suam conditionem ordinariis expensis ferendis pares non sunt, ad earum reductionem ius habent.
3. Qui exemptionem ab expensis vel earum reductionem assequi velit, eam postulare debet, dato supplici libello Praesidi turni vel Auditorum coetus, qui causam iudicandam habet, adductisque documentis quibus conditionem suam comprobet. Praeterea, nisi agatur de iudicio a SSmo. commissio, demonstrare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

4. Praeses turni postulationem ne admittat, nisi auditis, praeter partem postulantem, parte adversa, promotore iustitiae ac decano advocatorum consistorialium, requisitisque, si opus sit, notitiis etiam secretis super statu oeconomico postulantis.

5. Contra decretum Praesidis negantis exemptionem ab expensis vel earum reductionem, potest, intra utile tempus decem dierum, expostulatio fieri pro recognitione iudicii ad turnum, vel Auditorum coetum, cui causa iudicanda est.

6. Qui exemptionem ab expensis et gratuitum patrocinium concedit, simul debet unum ex advocatis designare, qui pauperis patrocinium vel adsistentiam suscipiat ad normam can. 45, § 2.

7. Si vero decreta tantum fuerit expensarum reductio, qui huiusmodi decretum tulit debet simul normas saltem generales statuere intra quas reductio sit circumscribenda.

CAP. V.

De expensis in iudiciis coram Signatura Apostolica.

Eadem regula, congrua congruis referendo, servetur ac pro iudiciis coram S. Rota.

Datum Romae, die 29 Iunii 1908.

De mandato speciali SSmi. D. N. Pii Papae X.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ordo Servandus in Sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae.

NORMAE COMMUNES.

CAP. I.

De Ordine ac Directione generatim.

1°. In omnibus superius memoratis S. Sedis Officiis (*dicasteri*) duplex erit Administratorum coetus, Maiorum et Minorum.

2°. In singulis moderatio proxima *Secretariae*, Protocolli, Tabularii, ad Praelatum pertinet qui alter est a Cardinali Praeside. A Praelato tamen erunt ad Cardinalem deferendae maioris momenti res, quibus peculiari aliquo modo sit consulendum.

In S. Rotae tribunali *secretaria*, protocollum, tabularium, obnoxia sunt Auditori Decano, eoque impedito, Auditori qui primam sedem post decanum obtinet: hi tamen, ubi agatur de

extraordinario aliquo consilio capiendo, rem deferent ad Collegium Auditorum universum.

3°. Excepta S. Rota, cui propriis erit agendum normis, in ceteris Officiis omnibus, administri maiores praeside Cardinali suo, Congressum constituunt.

4°. Ad Congressum spectat minora negotia expendere atque expedire; de ceteris disponere et ordinare ut agantur in pleno sui cuiusque officii conventu.

5°. Singula Officia sibi librum habebunt "*Rerum Notabilium*," in quo rite indicentur nominationes, initique muneris dies Patrum Cardinalium, Consultorum, maioris et minoris ordinis Administorum; datum iusiurandum, cessatio ab officio, et si qua forte pontificia rescripta immutationem aliquam circa cuiusque Officii competentias induxerint.

CAP. II.

De provisione Officiorum.

1°. Maiores Administri cuiusque Sacrae Congregationis, Tribunalis, Officii, a Summo Pontifice libere eligentur.

2°. Minoribus eligendis administris titulorum doctrinaque certamen proponetur.

Gratiosae suffragationes non admittuntur, earumque, si intercedant, ratio habebitur nulla.

3°. Certamen indicetur intra mensem a vacuo officio, acceptis ante mandatis a Summo Pontifice. Assignabitur vero spatium utile unius mensis ad exhibendam petitionem ac titulos necesarios.

4°. Periculum de doctrina erit scripto faciendum certo die, quo propositae ex tempore quaestiones evolventur circa disciplinas ad petatum officium pertinentes. De proposita materia candidati in communi aula conscribent, designatis horis, advigilante Consultore aut aliquo ex minoribus eiusdem Officii administris, quem Praelatus moderator adlegerit.

5°. Scripta, numeris distincta, non expresso candidati nomine, duo Consultores ordine excutient, a Congressu eligendi, et, si agatur de S. Rota, a Decano. Horum nomina Censorum occulta manebunt; iidemque quamprimum suum expriment scripto iudicium super exarata a candidatis, declarantes, quatenam ex iis, sive doctrinae laude, sive dicendi forma probentur; quatenam idonea tantum, quatenam omnino improbanda censeantur.

6°. Si Consultorum iudicia de idoneitate scripti secum pugnent, candidatus non idoneus habebitur deficientis causa doctrinae. Verum facultas erit Congressui, et apud S. Rotam Decano, in ea iudiciorum discrepantia, exquirendi, si necessarium

aut aequum duxerint, Consultoris tertii suffragium, ad quem proinde remittentur priorum duorum iudicia, ut ipse proferat de summa lite sententiam.

7°. Ut quis possit ad eligendorum scrutinium admitti, requiritur tamquam necessaria conditio ut probatus discesserit experimento doctrinae.

8°. Scrutinium fiet a Congressu, et apud S. Rotam a Collegio Auditorum. Idem erit duplex, et in utroque suffragia erunt secreta.

In primo, suffragia ferentur de singulis candidatis, ut decernatur, quinam aetate, moribus, indole censeantur idonei. Qui paria suffragia retulerint iudicandi sunt non idonei.

In altero suffragia ferentur de singulis in primo scrutinio approbatis, ut decernatur quinam virtute, meritis, scientia, habilitate sit praeferendus. Paribus inter duos pluresve candidatos suffragiis, Cardinalis, qui Congressui praeerit, et apud S. Rotam Decanus, paritatem diriment.

9°. De scrutinii exitu ad Summum Pontificem integre refertur, ut, Eo probante, ad candidati nominationem deveniri possit.

10°. Rationes et modi, quibus lata sint suffragia, sunt prorsus reticendi.

11°. Litteras nominationis ad maiores Administros mittit Cardinalis a Secretis Status; ad minores mittent, in S. Rota Decanus, subscripto nomine alicuius Notarii; in ceteris Officiis suis cuiusque praeses Cardinalis, contra posita subscriptione more rescriptorum.

12°. Deservientium nominatio, apud S. Rotam spectat ad Collegium Auditorum; apud Officia reliqua ad suum cuiusque Praesidem Cardinalem, proponentibus maioribus Administris.

13°. In uno eodemque viro cumulare munia non licet; ideoque qui ad novum adspiret munus, ad id semel assumptus, pristino cessit.

14°. Ad unum idemque Officium prohibetur aditus duobus consanguineis in primo et secundo gradu, et affinibus in primo.

15°. Minoribus administris, ubi inter ipsos vacaverit locus, ius est adscensus titulo ministerii provectionis; non ita ceteris.

CAP. III.

Cuiusvis ordinis Administri, ante quam adsciscantur, iusiurandum dabunt, coram suo Praelato, "de officio fideliter implendo, de non recipiendis muneribus etiam sponte oblatis, et de secreto servando," secundum formulam heic adiectam, servata lege iis Officiis quibus peculiare et gravius iusiurandum imponitur, ut communi formae particularem addant.

IURISIURANDI FORMA.

In nomine Domini.

Ego N. N. spondeo, voveo ac iuro, fidelem et obedientem me semper futurum B. Petro et Domino Nostro Papae eiusque legitimis Successoribus; ministeria mihi commissa in hac S. Congregatione (Tribunali, aut Officio) sedulo ac diligenter impleturum; munera mihi in remunerationem, etiam sub specie doni oblata, non recepturum: et secretum officii religiose servaturum in iis omnibus, quae sacri Canones aut Superiores secreta servari iusserint, itemque, quoties ab Ordinariis id postulatum fuerit, et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus aut Ecclesiae obvenire potest. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango.

CAP. IV.

DE HORIS AC DISCIPLINA OFFICIORUM.

1°. Spatium temporis officio assignatum est matutinum, ab hora nona cum dimidio usque ad meridiem cum semihora, singulis diebus non feriatis. Per has horas administri omnes tenentur in officio esse, non remorari, nec ab ipso ante constitutum tempus discedere, incolumi eorum privilegio, quibus officii sui lex concesserit ut commissum opus possint exequi domi.

2°. Est tamen Moderatoribus facultas concedendi singulis Administris diem unum vel duos vacationis in mense, modo talis concessio cum Officii necessitatibus componi queat. Eadem conditione quotannis aut unoquoque biennio dies aliquot, non ultra hebdomadam, singulis concedere debebunt, ut piis exercitationibus vacent.

3°. Morbo aut alia causa impediti quominus Officium adeant, rem Praelato significant.

4°. Exceptis maioribus Administris, itemque scriba protocolli, diribitore atque aliis, qui sui muneris gratia debent se adeuntes excipere, ceteris non licet per horas officii visitantem quemquam admittere.

5°. In sua quisque munia religiose et quam optime explenda incumbet; nec fas erit cuiquam alienam occupare provinciam, aut in sui locum substituere quempiam, aut ipse alium sufficere.

6°. Verum, si Praelatus id committat, quilibet Administer se promptum exhibebit ad subrogandos collegas, atque ad alia non communia pensa quae forte sint expedienda.

7°. Erit curae omnibus, maxime iis qui praesunt, ne diu negotia iaceant. Danda igitur opera ut necessaria studia, ut actorum perscriptio, ut expeditio negotiorum ea sollicitudine procedant, quae naturae rerum tractandarum et normis Officii respondeant.

8°. Quoties igitur designatae horae muneri explendo satis non sint, administri reliquum operis aut domi conficient, aut morabuntur in officio diutius, aut revertentur post meridiem, prout visum fuerit moderatori opportunius.

9°. Quod si productus hic labor fere quotidianus evadat, moderatorum erit eum ex aequo remunerari.

10°. Idem Administorum nomina, qui doctrina, diligentia, rerum agendarum peritia, vitaeque honestate praecellant, Summo Pontifici significanda curabunt.

11°. Administro nemini licet *Agentis*, Procuratoris, Advocati partes assumere, neque in suo, neque in alieno Officio.

Unum eximitur procuratoris vel advocati munus in Sanctorum causis, quo munere fungi poterunt Administri minores ad SS. Rituum Congregationem non pertinentes.

12°. Si quis Administer negligentia culpave suo officio defuerit, erit admonendus, aut aliqua poena multandus, aut loco movendus ad tempus, aut etiam omnino dimittendus, pro admissi gravitate aut recidendi frequentia.

13°. Si autem a sacerdotis aut christiani viri aut civis officiis ita declinaverit, ut in ius rapi debuerit, aut publicae existimationis iacturam fecerit, suo loco movebitur ad tempus, aut omnino dimittetur.

14°. Aere alieno ita gravari ut aditus fiat sequestris iudicialibus, esse causa potest quamobrem quis ad certum tempus exuatur munere, aut etiam abdicare cogatur.

15°. Publica inquisitione instituta de crimine adversus aliquem administrum, qui Officio praeest, officii ipsius honori tutando, simulque non gravando reo, providebit. Ad eum finem curare poterit ut accusatus ab officio recedat, et partem stipendii retinere in remunerationem suffecti in eius locum.

16°. Remotio ad tempus, expulsio aut officii amissio, multae poenaeque ceterae contra administrum decernentur, nullo provocationis iure relicto, apud S. Rotam a Collegio Auditorum; in aliis vero Officiis a Cardinali Praeside, suffragante Congressu; et in utroque casu audita parte per scriptum.

De temporaria remotione aut dismissione referendum est ad SSmum. Dominum, ut has poenas ratas habeat.

CAP. V.

DE FERIIS.

1^o Singulis diebus festis cum praecepto Officia vacabunt.

His adduntur :

Anniversarius dies creationis et coronationis Summi Pontificis.

Item obitus Decessoris.

Stati dies Consistoriis habendis sive publicis sive semi-publicis.

Feria secunda et tertia Quinquagesimae, et quarta Cinerum.

Postremi dies quatuor maioris hebdomadae, et Feria secunda et tertia Paschatis.

Pervigilium Pentecostes et succedentes huic Festo dies, Feria secunda ac tertia.

Pervigilium Deiparae in caelum receptae.

Secundus dies mensis Novembris, in commemoratione Fidelium defunctorum.

Pervigilium Nativitatis Domini et consequentes tres dies.

Ultimus anni dies.

2^o Feriatis diebus, Moderatore Officii curare poterunt ut aliquis ex administris Officium frequentet, expediturus negotia si quae forte occurrerint. Huic autem administro licebit vacationis dies alios petere.

3^o A die decimo mensis Septembris ad trigesimum primum Octobris decurrent Ferae autumnales.

Hoc spatio temporis Officium nullum erit intermissum; sed in unoquoque tot aderunt tum maioris tum minoris ordinis administri, quot satis esse existimentur urgentioribus expediendis negotiis ordinariae administrationis; maiorum enim tractationes, ac de gravioribus et implicationibus rebus deliberationes in mensem Novembrem differentur. Quod si urgens rei gravitas postulet ut cito occurratur, intra merae necessitatis fines providebitur.

4^o Qui feriarum tempore in officio versari debebunt, iis conceduntur vacationis dies quinque et quadraginta, sive intermissi, sive continui pro lubitu petentium, alio anni tempore ab iisdem eligendo, habita tamen ratione necessitatum Officii, atque approbante Moderatore.

CAP. VI.

DE STIPENDIIS.

1^o De medio sublatis emolumentis, quae *incerta* vocari solent, administri omnes certo stipendio, eoque menstruo et ad honestam sustentationem sufficienti, fruentur ex aerario Sanctae Sedis. Stipendii ratio pro variis administris proponetur in apposita tabula; incipietque vim habere pro iis qui in officia adsciscuntur

post praesentem ordinationem, ac pro veteribus administris qui ad officia diversi gradus et conditionis advocentur.

2° Emolumentorum, seu *incertorum*, genus unicum derivari poterit minoribus administris ex opere in extrahendis ab archivis documentis impenso, ac transcriptione documentorum et processuum, si non ex officio fiant, sed instantibus partibus quarum intersit; dummodo tamen his rebus non detur opera horis officio destinatis, et praescripta servantur *Appendicis Legis propriae S. Rotae* c. 2 de exigenda compensatione.

3° Qui in praesens cuiusvis gradus ac naturae officio funguntur, sua stipendia retinebunt tum ordinaria tum extraordinaria, qua tamen stabilitatis rationem habeant, (*incerta certa*), et ad officium ipsum referantur; non quae speciem remunerationis praeseferant ob collocatam peculiarem operam aut extraordinarios ob titulos.

Eadem stipendia non aliunde solventur in posterum nisi ab aerario Sanctae Sedis.

4° Ut autem recti iustique servetur lex, intra mensem ab edita praesenti ordinatione, singuli qui variis Officiis praesunt ad Cardinalem *Secretarium Status* administratorum deferent nomina, adiecto suo cuiusque stipendio, ad normam superiori numero descriptam.

Idem Praesules intra memoratum tempus, recensebunt onera sive perpetua sive temporaria, quibus Officia sua gravantur, et impensas Officii ordinarias.

5° Gradus et stipendia ad normam n. 3 sarta tectaque manebunt Administris eorum etiam Officiorum, quae ob novam Romanae Curiae ordinationem aut prorsus desierint, aut sint natura penitus immutata.

Huiusmodi autem administri a Sanctae Sedis nutu pendebunt, et, ubi eorum postuletur opera, ad eam praestandam debebunt sese promptos ac paratos exhibere.

6° Salvis iuribus a praesentibus administris acquisitis in quibusdam Officiis ad emeritum percipiendum, ceteris omnibus in posterum, qui sive aetatis ingraescentis, sive diutini morbi causa, sustinendis rite muneribus impares fiant, Apostolica Sedes, quantum poterit, ex aequo providebit, curando ut sufficiantur ab aliis, et cavendo ne ipsis necessaria desint ad honestam sustentationem.

CAP. VII.

DE ADVOCATIS.

1° Firmo illorum iure qui modo legitimi habentur advocati, in posterum, ad ineundum hoc munus, servandae erunt normae tit. III *legis propriae S. Rotae* constitutae.

2° Exinde leges disciplinae vigeant in memorato titulo contentae, quibus aequae omnes erunt obnoxii.

3° Qui vero cupiat advocati munus exercere apud S. Rituum Congregationem in Sanctorum causis, is legitimus sibi titulum compareret Advocati rotalis, ceterisque satisfaciat consuetudinis formis, quae ab eo Sacro Consilio praescriptae sunt.

CAP. VIII.

DE MINISTRIS EXPEDITIONUM.

1° Privilegium *exclusivae*, quo Apostolici Ministri expeditionum in Datariae Officio fruuntur, ubi primum habere vim coeperit Constitutio *Sapienti consilio*, cessabit.

2° Est autem Sanctae Sedis propositum de ministrorum expeditionum, qui modo sunt, conditione ac statu cognoscere, ut in peculiaribus casibus ea possit inire consilia, quae magis aequa et opportuna iudicaverit.

CAP. IX.

DE PROCURATORIBUS SEU AGENTIBUS.

SECTIO I.—*De procuratoribus particularibus et privatis.*

1° Qui ad Sanctam Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causa uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eundem legitimo mandato munire, quod in Actis, ad ipsius Officii cautionem, servabitur; aut sin minus apud Moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas condiciones.

2° Si exhibitum virum Moderatores iudicaverint admitti non posse, certiore facient mandantem, ut aliter consulat.

SECTIO II.—*De Procuratoribus publicis ac legitimis.*

3° Ad procuratoris munus legitime et constanter obeundum pro Episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in Procuratorum albo, quod patebit in Officio a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis.

4° Salvis iuribus acquisitis ab exercentibus hodie munus *Agentium* seu ministrorum expeditionis, qui, ubi postulaverint, in memoratum album referentur, posthac quicumque volet inscribi debet petitionem, cum titulis quibus illa nititur, exhibere Adessori S. C. Consistorialis.

5° Ad iustam admissionem requiritur ut orator catholicam fidem profiteatur, sit integra fama, calleatque satis latinum

sermonem et ius canonicum. Si agatur de sacri ordinis viro, oportet ab Officio Urbis Vicarii adsensum impetret Romae residendi; religiosus autem sodalis id a Praeposito generali impetrabit.

6° Iudicium de petitione, utrum ea admitti possit necne, edetur a Cardinali a Secretis S. C. Consistorialis, audito *congressu*; qui, ut magis explorata sit candidati doctrina, poterit ipsum experimento subiicere, prout melius iudicaverit.

7° Nihil obstat quominus Ordinarius procuratorem eligat virum nondum in album relatum; qui tamem, ante quam exerceat mandatum, inscriptionem postulabit.

Hoc autem in casu Ordinariorum prudentiae relinquitur ante videre, num cui forte obstaculo propositus procurator esse possit obnoxius, ne sese repulsae periculo obiiant.

8° Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procuratur dioecesanus, necessario requiritur iustum Ordinarii mandatum ab adlecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud Officium a Secretis Consistorialis Congregationis deponetur.

9° Munerum a procuratore dioecesano explendorum haec summa est: curare ut epistolarum commercium inter Apostolicam Sedem et Episcopum, de omnibus dioecesis negotiis, rite et cum fide procedat; ea referre, de quibus Officio alicui praepositi, in rebus ad ipsum pertinentibus, eum sint percontati; in cognitione versari negotiorum, quae apud varia Sanctae Sedis Officia evolvuntur spectantque dioecesim, cuius habet ipsi procuratorem.

10° Quae scripta data sint obsignata, inviolata transmittenda sunt; neve procurator unquam ullave de causa sibi fas esse ducat ea resignare. Qua in re cuiusvis generis culpa censebitur gravis.

11° Circa res omnes dioecesis, quarum, ratione sui muneris, notitiam acceperit, nisi agatur de re publica et notoria, procurator secreto officii tenetur. Huius legis violatio culpae gravis instar habebitur.

12° Procuratoribus interdicitur ne litteras passim dimittant ad clientum aucupium, exhibentes faciliores condiciones aut similia.

13° Nemini procuratori licet pro sua opera maiorem pecuniae summam exigere quam quae pro rescriptis, brevibus, bullis officiorum Sanctae Sedis constituta sit atque descripta: quam qui fregerit legem restitutionis obligatione tenebitur, etiam poenis aliis non irrogatis.

14° Qui christiano plane more non agat, quae conditio ad exercendum procuratoris munus est omnino necessaria, aut in

memoratis officii sui partibus grave aliquid admittat, potest ad tempus removeri, aut etiam perpetuo dimitti.

15° Advocatorum Consistorialium Collegium erit *agentibus* seu procuratoribus omnibus instar Consilii disciplinae. Ex eius Collegii sententia, Cardinalis a Secretis S. C. Consistorialis (si agatur de prave acta vita sociali vel de alia publice nota culpa); aut praepositi Officio, cuius intersit, (si de culpa officium spectante), poterunt ad admonitionem rei, aut ad eius remotionem sive temporariam sive perpetuam procedere.

16° Procurator, sive remotus ad tempus sive perpetuo dimissus ab uno officio, hoc ipso remotus censetur, aut omnino exclusus ab omnibus. Quare praepositi Officio, a quo eiusmodi sit prolata sententia, ceteris Officiis rem significandam curabunt.

CAP. X.

DE RATIONE ADEUNDI SANCTAE SEDIS OFFICIA CUM IISQUE AGENDI GENERATIM.

SECTIO I.—*Pro privatis.*

1° Christifideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis.

2° Advocati opera uti volenti, in quaestionibus quae illum admittant, fas non erit patronum proponere quemlibet; sed optio ei dabitur inter approbatos, de quibus cap. VII.

3° Si vero Procuratoris desideret operam, eius eligendi arbitrium ipsi relinquitur, servatis tamen normis cap. IX sect. I constitutis.

SECTIO II.—*Pro Ordinariis.*

4° Ordinarius unusquisque potest ipse per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum quae se ipsum spectent, sed etiam quae dioecesim ac sibi subditos fideles ad ipsum confugientes.

5° Quoties Ordinarius velit ipse per se de negotio aliquo agere, sive praesens in Curia, sive per litteras a sua sede mittendas, Officium praemonebit quocum ei erit agendum. Tunc vero in Positione adnotabitur: *Personalis pro Ordinario*; resque nullis interpositis procuratoribus agetur.

6° Ordinarius, qui petit directo agere cum Officio aliquo, sibi assumit solvendas impensas, non modo pro acceptis redditisque litteris et scriptis, aut pro aliis rebus necessariis, sed etiam pro taxationibus praescriptis in singulis actis.

7° Si advocato fuerit opus, etiam Ordinariis cohibetur optio, ita ut nequeant ipsum deligere nisi ex approbatis.

8° Si procuratore uti velint, normis inhaerebunt cap IX. sect. II declaratis.

9° Mandatum, quo ab Ordinario procurator eligitur, potest usque rescindi ad formam iuris communis, in eamque rescissionem, utpote rem ad fiduciam pertinentem, nulla datur inquirendi aut expostulandi facultas.

10° Vicario Capitulari non licet electum ab Episcopo procuratorum cum alio mutare; at poterit cum Sanctae Sedis Officiis directo agere, ad normam art. 4, 5, 6 huius Sectionis.

CAP. XI.

DE TAXATIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.

1° In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio Sanctae Sedis solvenda et remuneratio Agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecessana Curia pro exsequutione rescriptorum, si haec necessaria sit; quae quidem summa pontificia taxatione erit inferior.

2° Taxatio pauperibus, sive cives privati sint, sive Instituti piaevae causae, si petita gratia moraliter necessaria sit, non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere, ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro exscriptione, aliisque id genus necessariis.

His in casibus, etiam Agentis procuratio ad partem dimidiam redigetur aut omnino condonabitur, salvis impensis pro tabellariis.

3° Ordinarii, secreto percontati parochos, quae vera sit oratorum conditio, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competat ne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid iniuria sublatum sit.

Si qui autem iniqua voluntate renuant satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem praescriptam, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Idem impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit ab ipsis) ex iustitia, aliquid Sanctae Sedi deberi.

Utrumque tamen gratiae validitati nihil unquam officiet error aut fraus circa oeconomiam petentis conditionem.

4° In omnibus Officiis, subsignatis rescriptis destinatus administrator, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notabit Sanctae Sedi debitam, impensas procurationis et pecuniae summam pro executione; quae omnia in menstruo libello recensebit, ad rationum computationem suique cautionem adservando.

In variis taxationibus designandis administrator prae oculis habebit superius expositas normas, *Positionem* seu fasciculum actorum expendens; in dubiis vero rem ad Officii moderatores deferet.

5° Singula Officia alterum habebunt a priore distinctum administrum diribendis litteris, rescriptis, et exigendae pecuniae taxationum ad Sanctam Sedem pertinentium.

6° In rebus secreto tegendis rescripta obserata tradentur; taxatio vero in alio notabitur folio eundem numerum referente qui in obserato rescripto. Eadem taxationis notatio in interiore rescripti pagina iterabitur, ad securitatem recipientis.

7° Extremo quoque mense, Praelatus Officii moderator libellum inspiciet, de quo num. 4, acceptique rationem expendet; deinde utrumque ad Sanctae Sedis arcam summariam deferet, sua auctoritatis testimonio munitum.

DISPOSITIONES TEMPORARIAE.

8° Officiorum administrationem totam illico retexere quum minime detur; Sancta Sedes sibi reservat peculiare normas constituere servandas in posterum.

9° Interim nulla fiet immutatio taxationum quae legitime in usu sunt pro expeditione *Bullarum* et *Brevium* Apostolicorum.

10° Pariter in usu esse non desinunt eae taxationes, quae in causis Beatificationis aut Canonizationis descriptae habentur in lege SS. Rituum Congregationis: *de taxis et impensis pro causis Servorum Dei*.

11° Sua etiam disciplina est moderandarum taxationum, mercedum, impensarum apud S. Rotam et Signaturam Apostolicam in causis quae ad ea tribunalia deferantur.

12° Pro dispensationibus matrimonii vigore quoque pergent in praesens taxationes pendi solitae penes *Datariam* Apostolicam et *S. Poenitentiarium*. In causis vero matrimonialibus dispensationis *super rato*, et in aliis quae a S. Congregatione *de Sacramentis* indicantur, standum normis a S. Congregatione Concilii huc usque servatis.

13° Pro ceteris gratiarum, indultorum, dispensationum rescriptis, in Officiis omnibus, taxatio Sanctae Sedi solvenda erit

libellarum decem, si de maioribus rescriptis agatur; si de minoribus, quinque.

Remuneratio *Agenti* debita erit libellarum sex pro rescriptis maioribus; pro minoribus, trium.

Si rescriptum unum plures gratias contineat, augebitur pro portione taxatio; non ita tamen *Agentis* procuratio.

14° In omnibus autem et singulis casibus superius, num. 9, 10, 11, 12, et 13, recensitis, incolumes semper sint dispositiones capitis VI praecedentis, *de stipendiis*, et dispositiones num. 4, 5, 6 et 7 huius capitis, de solutione pecuniae singulis mensibus arcae nummariae S. Sedis facienda.

15° Usus S. Congregationis de Propaganda Fide exemptionis e qualibet taxatione in suae iurisdictionis locis incolumis servetur.

Datum Romae, die 29 Iunii 1908.

De mandato speciali SSmi. D. N. Pii Papae X.

R. Card. MERRY DEL VAL.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE X

IN QUINQUAGESIMO NATALI SACERDOTII SUI EXHORTATIO AD
CLERUM CATHOLICUM.

PIUS PP. X

Dilecti filii salutem et Apostolicam Benedictionem.

Haerent animo penitus, suntque plena formidinis quae gentium Apostolus ad Hebraeos scribebat, quum illos commonens de obedientiae officio praepositis debitaе, gravissime affirmabat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Haec nimirum sententia si ad omnes pertinet, quotquot in Ecclesia praesunt, at maxime in Nos cadit, qui, licet impares, supremam in ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti, meditari atque eniti non intermittimus quaecumque ad incolumitatem faciant et incrementa dominici gregis. Inter haec unum praecipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse qui pro muneris officio esse debent. Persuasum enim habemus, hac maxime via de

religionis statu bene esse laetiusque sperandum. Idcirco, statim ut Pontificatum inivimus, quamquam, universitatem cleri conuentibus, multiplices eius laudes elucebant, tamen venerabiles fratres catholici orbis Episcopos impensissime hortandos censuimus, ut nihil constantius nihil efficacius agerent, quam ut Christum formarent in iis, qui formando in ceteris Christo rite destinantur. Sacrorum autem Antistitum quae fuerint in hac re voluntates probe novimus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem clero assidue connituntur: de quo illis non tam laudem impertivisse, quam gratias palam habuisse libet.

At vero, quum ex huiusmodi Episcoporum curis iam plures e clero gratulamur caelestes concepisse ignes, unde gratiam, Dei ex impositione manuum presbyterii susceptam, vel resuscitarunt vel acuerunt; tum adhuc conquerendum superest, alios quosdam per diversas regiones non ita se probare, ut in ipsos tamquam in speculum, prout dignum est, plebs christiana coniiciens oculos, sumere possit quod imitetur. Ad hos porro cor Nostrum per hasce litteras patere volumus; videlicet ut cor patris, quod in conspectu aegrotantis filii anxia palpitat caritate. Hac igitur suadente, hortationibus Episcoporum hortationes addimus Nostras; quae, quamvis eo spectent potissimum ut devios torpentesve ad meliora revocent, tamen etiam ceteris admoveant velimus incitamenta. Commonstramus iter quo quisque studiosius in dies contendat ut vere sit, qualem Apostolus nitide expressit, *homo Dei* (1), iustaeque expectationi Ecclesiae respondeat.—Nihil plane inauditum vobis aut cuiquam novum dicemus, sed quae certe commeminisse omnes oportet: spem autem indit Deus, vocem Nostram fructum non exiguum esse habituram. Id equidem flagitamus: *Renovamini... spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis* (2): eritque hoc a vobis in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali pulcherrimum acceptissimumque munus. Quumque Nos, *in animo contrito et spiritu humilitatis* (3), exactos in sacerdotio annos recogitabimus Deo; quidquid humani dolendum sit, videbimur quodammodo expiare, admonendo vos et cohortando *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes* (4).—Qua tamen in hortatione, non vestras tantum utilitates tuebimur, sed communes etiam catholicarum gentium; quum aliae ab aliis dissociari nequaquam possint. Etenim non

(1) I Tim., VI., II.

(2) Ephes. IV., 23, 24.

(3) Dan. III., 39.

(4) Coloss. I., 10.

eiusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi esse queat; sed eius ratio et habitus vitae sane quantum habet consequentis effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!

Hinc porro, dilecti filii, hortationis Nostrae exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitae sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus. — Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur; *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum* (1). Idipsum et Christus indicavit, qui ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terrae sacerdos est. Neminem sane fugit id praecipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem eiusmodi pro nihilo fere esse, si quae sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito obiicient: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (2); doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quam ob rem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: *Coeipit Iesus facere, et docere* (3). — Item, sanctimonia posthabita, nihil admodum sacerdos sal terrae esse poterit; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendae: unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet. Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, atque adeo conculcetur ab hominibus* (4).

Quae quidem eo apertius patent, quod, sacerdotali munere haud nostro nos fungimur nomine, sed Christi Iesu. Sic nos, inquit Apostolus, *existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (5): *pro Christo ergo legatione fungimur* (6). — Hac nempe de causa Christus ipse, non ad servorum, sed ad amicorum numerum nos adscripsit: *Iam non dicam vos servos Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis . . . Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis* (7). — Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit, eo nos peringamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle, ea demum firma*

(1) Hebr. V., 1.

(2) Tit. I., 16.

(3) Act. I., 1.

(4) Matth. V., 13.

(5) I Cor. IV., 1.

(6) II Cor. V., 20.

(7) Ioan. XV., 15, 16.

amicitia est : tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Iesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* (1) : ut legati ab eo, debemus doctrinis eius ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes : ut potestatis eius participes ad animos vinculis culparum levandos, conari nos omni studio oportet ne illis implicemur. At maxime ut ministri eius in praecellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vita innovatur, debemus ea animi conformatione uti, qua ille ad aram crucis seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo. Nam si olim, in specie solummodo ac figura, tanta a sacerdotibus postulabatur sanctitas : ecquid a nobis, quum victima est Christus ? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruente sacrificio ? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem ? os quod igni spirituali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit ?* (2) Perapte S. Carolus Borromaeus, in orationibus ad clérum, sic instabat : " Si meminissemus, dilectissimi fratres, quanta et quam digna in manibus nostris posuerit Dominus Deus, quantam istiusmodi consideratio vim haberet ad nos impellendum ut vitam ecclesiasticis hominibus dignam ducere-mus ! Quid non posuit in manu mea Dominus, quando proprium Filium suum unigenitum, sibi coaeternum et coaequalem, posuit ? In manu mea posuit thesauros suos omnes, sacramenta et gratias ; posuit animas, quibus illi nihil est carius, quas sibi ipsi praetulit in amore, quas sanguine suo redemit : in manu mea posuit caelum, quod et aperire et claudere ceteris possim. . . Quomodo ergo adeo ingratus esse potero tantae dignationi et dilectioni, ut peccem contra ipsum ? ut illius honorem offendam ? ut hoc corpus, quod suum est, inquinem ? ut hanc dignitatem, hanc vitam, eius obsequio consecratam, maculem ? "

Ad hanc ipsam vitae sanctimoniam, de qua iuvat paulo fusius dicere, magnis Ecclesia spectat perpetuisque curis. Sacra idcirco Seminaria instituta : ubi, si litteris ac doctrinis imbuendi sunt qui in spem cleri adolescent, at simul tamen praecipueque ad pietatem omnem a teneris annis sunt conformandi. Subinde vero, dum ipsa candidatos diuturnis intervallis gradatim promovet, nusquam, ut mater sedula, hortationibus de sanctitate assequenda parcat. Iucunda quidem ea sunt ad recolendum. Quum enim primo in sacram militiam cooptavit, voluit nos ea rite profiteri : *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei : tu es, qui restitues haereditatem meam mihi* (3). Quibus, inquit Hieronymus, monetur clericus ut *qui, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibeat, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a*

(1) Hebr. VII., 26.

(2) S. Io. Chrysost. hom. LXXXII in Matth., n. 5.

(3) Ps. XV., 5.

Domino (1).—Subdiaconis accensendos ipsa quam graviter est allocuta! Iterum atque iterum considerare debetis attente quod onus hodie ultro appetitis; . . . quod si hunc ordinem susceperitis,, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo . . . perpetuo famulari, et castitatem, illo adiuvante, servare oportebit. Tum denique: Si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui: si usque nunc somnolenti, amodo vigiles: . . . si usque nunc inhonesti, amodo casti. . . Videte cuius ministerium vobis traditur!—Diaconatu porro augendis sic per Antistitem a Deo precata est: Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.—Sed eo acrius movet commonitio initiandis sacerdotio facta: Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet. . . Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei. Maximeque omnium urget illud gravissime additum: Imitamini quod tractatis: quod profecto cum Pauli praecepto congruit: ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu (2).

Talis igitur quum sit mens Ecclesiae de sacerdotum vita, mirum nemini esse possit, quod sancti Patres ac Doctores omnes ita de ea re consentiant, ut illos fere nimios quis arbitretur: quos tamen si prudenter aestimemus, nihil eos nisi apprime verum rectumque docuisse iudicabimus. Eorum porro sententia haec summam est. Tantum scilicet inter sacerdotem et quemlibet probum virum intercedere debet discriminis, quantum inter caelum et terram: ob eamque causam, virtuti sacerdotali cavendum non solum ne gravioribus criminibus sit affinis, sed ne minimis quidem. In quo virorum tam venerabilium iudicio Tridentina Synodus stetit, quum monuit clericos ut fugerent *levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent* (3): maxima scilicet, non re ipsa, sed respectu peccantis, in quem, potiore iure quam in templorum aedificia, illud convenit: *Domum tuam decet sanctitudo* (4).

Iam sanctitas eiusmodi, qua sacerdotem carere sit nefas, videndum est in quo sit ponenda: id enim si quis ignoret vel praepostere accipiat, magno certe in discrimine versatur. Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem, dimissa fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*),

(1) Ep. LII., ad Nepotianum, n. 5.

(2) Coloss. I., 28.

(3) Sess. XXII., de reform., c. 1.

(4) Ps. XCII., 5.

aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas* virtutes quis excolat exercentque. Haec sane doctrina mirum quantum fallaciae habet atque exitii. De ea Decessor noster fel. rec. sic pro sua sapientia edixit (1): "*Christianas . . . virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (2). Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem *heri et hodie: ipse et in saecula* (3). Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (4); nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem* (5): valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui . . . sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*" (6).—Quae documenta si quidem spectant unumquemque fidelium, proprius tamen ad sacerdotes attinent: ipsique praeter dicta sibi habeant quae idem Decessor Noster apostolico ardore subiecit: "*Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! qui demissione animi, obedientia, abstinencia, potentes fuerunt opere et sermone, emolumento maximo, nedum religiosae rei, sed publicae ac civilis.*" Ubi animadvertere non abs re fuerit, Pontificem prudentissimum iure optimo singularem abstinenciae mentionem intulisse, quam evangelico verbo dicimus, abnegationem sui. Quippe hoc praesertim capite, dilecti filii, robur et virtus et fructus omnis sacerdotalis muneris continetur: hoc neglecto, exoritur quidquid in moribus sacerdotis possit oculos animosque fidelium offendere. Nam si turpis lucri gratia quis agat, si negotiis saeculi se involvat, si primos appetat accubitus ceterosque despiciat, si carni et sanguini acquiescat, si quaerat hominibus placere, si fidat persuasibilibus humanae sapientiae verbis; haec omnia inde fluunt, quod Christi mandatum negligit conditionemque respuit ab ipso latam: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (7).

Ista Nos quum adeo inculcamus, illud nihilo minus sacerdotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enim vero est operarius, quem Christus *exiit . . . conducere in*

(1) Ep. *Testem benevolentiae*, ad Archiep. Baltimor., 22 Ian. 1899.

(2) Rom. VIII., 29.

(3) Hebr. XIII., 8.

(4) Math. XI., 29.

(5) Philipp. n. 8.

(6) Gal. V., 24.

(7) Matth. XVI., 24.

vineam suam (1). Eius igitur est fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo superseminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti ne, inconsulto quodam intimae perfectionis studio adductus, quidquam praetereat de muneris partibus quae in aliorum bonum conducant. Cuiusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis praesertim morituris, ignaros fidei erudire, solari moerentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (2).—Inter haec vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus* (3). Liceat quidem euntes et flentes mittere semina: liceat ea labore multo fovere: sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est eiusque praepotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum, nihil praeterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quae a Deo tractentur. Qua sane ratione? Num ulla putamus vel insita vel parta studio praestantia moveri Deum ut opem adhibeat nostram ad suae gloriae amplitudinem? Nequaquam: scriptum est enim: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (4). Unum nimirum est quod hominem cum Deo coniungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum eius misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia. Haec, quae demum est supereminens Iesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia. Nam, ab ea disunctae, ipsa exquisitae doctrinae copia (quam Nosmetipsi nitimur in clero provehere), ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamsi emolumenti aliquid vel Ecclesiae vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni aetate testimonia loquuntur: praeclare, non remota memoria, Ioannes Bapt. Vianney, animarum in exemplum curator, cui honores Caelitum Beatorum Nosmet decrevisse laetamur.—Sanctitas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in novitate vitae ambulantes, qui, ut Paulus monet (5),

(1) Matth. XX., 1.

(2) Act. X., 38.

(3) I Cor. III., 7.

(4) I Cor. I., 27, 28.

(5) II Cor. VI., 5 et seqq.

in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in caelestia tendant, et alios eodem adducere omni ope contendant.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitae sanctitas eatenus fructus est voluntatis nostrae, quoad haec gratiae subsidio roboretur a Deo, abunde nobis Deus ipse providit, ne gratiae munere, si velimus, ullo tempore careamus; idque in primis assequimur studio precandi.—Sane precationem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea sententia Chrysostomi: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis praesidio cum virtute degere*: (1) acuteque Augustinus concludit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare* (2). Quae nobis documenta Christus ipse et crebra hortatione et maxime exemplo suo firmiter persuasit. Nempe orandi causa vel in deserta secedebat, vel montes subibat solus: noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adibat; quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in caelum oculis palam orabat; denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore valido et lacrimis supplicavit Patri.—Hoc igitur certum ratumque habeamus, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi studio eximie deditum esse oportere. Saepius quidem dolendum quod ipse ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis oscitanter psallat vel pauculas interserat preces, nec deinde ullam de die partem memor tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos multo impensius ceteris paruisse debet Christi praecepto: *Oportet semper orare* (3): cui inhaerens Paulus tantopere suadebat: *Oratione instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* (4); *Sine intermissione orate* (5) Animo quippe sanctimoniae propriae aequae ac salutis alienae cupido quam multae per diem sese dant occasiones ut in Deum feratur! Angores intimi, tentationum vis ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et negligentiae creberrimae, timor demum ad iudicia divina: haec omnia valde incitant ut ploremus coram Domino, ac, praeter impetratam opem, bonis ad ipsum meritis facile diteamus. Neque nostra tantummodo ploremus causa oportet. In ea, quae latius ubique funditur, scelerum colluvione, nobis vel

(1) De precatione, orat. 1.

(2) Hom. IV. ex 50.

(3) Luc. XVIII., 1.

(4) Coloss. IV., 2.

(5) I Thess. V., 17.

maxime imploranda exorandaque est divina clementia ; nobis instandum apud Christum, sub mirabili Sacramento omnis gratiae benignissime prodigum : *Parce, Domine, parce populo tuo.*

Illud in hac parte caput est, ut aeternarum rerum meditationi certum aliquod spatium quotidie concedatur. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine gravi incuriae nota et animae detrimento praetermittere. Ad Eugenium III, sibi quondam alumnum, tunc vero romanum Pontificem, Bernardus Abbas sanctissimus scribens, eum libere obnixequae admonebat, ne unquam a quotidiana divinorum meditatione vacaret, nulla admissa excusatione curarum, quas multas et maximas supremus habet apostolatus. Id autem se iure exposcere contendebat, utilitates eiusdem exercitationis ita enumerans prudentissime : *Fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat ; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Haec est quae confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum aut correctione egens. Haec est quae in prosperis adversa praesentit, in adversis quasi non sentit ; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiae est (1).* Quae quidem magnarum utilitatum summa, quas meditatio parere est nata, nos item docet atque admonet, quam sit illa, non modo in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria.

Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena venerationis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant. Hinc, sensim deferrescente animo, facilis gressus ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum. Accedit, quod sacerdotem quotidiana consuetudine versari necesse sit quasi *in medio nationis pravae* ; ut saepe, in pastoralis ipsa charitatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae. Quid, quod tam est proclive, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere ? Apparet igitur quae et quanta urgeat necessitas ad aeternorum contemplationem quotidie redeundi, ut adversus illecebras mens et voluntas, renovato subinde robore, obfirmetur.—Praeterea expedit sacerdoti quadam instrui facilitate assurgendi nitendique in caelestia ; qui caelestia sapere, eloqui, suadere omnino debet ; qui sic debet vitam suam omnem supra humana instituere, ut, quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum agat, instinctu ductuque fidei. Iamvero hunc animi habitum, hanc veluti nativam cum Deo coniunctionem efficit maxime ac tuetur quotidianae

(1) *De Consid. L. I., c. 7.*

meditationis praesidium; id quod prudenti cuique tam perspicuum est, ut nihil opus sit longius persequi.—Quarum rerum confirmationem petere licet, sane tristem, ex eorum vita sacerdotum, qui divinorum meditationem vel parvi pendunt vel plane fastidiunt. Videas enim homines, in quibus *sensus Christi*, illud tam praestabile bonum, oblanguit; totus ad terrena conversos, vana consecretantes, leviora effutientes; sacrosancta obeuntes remisse, gelide, fortasse indigne. Iampridem ipsi, unctionis sacerdotalis recenti charismate perfusi, diligenter parabant ad psallendum animam, ne perinde essent ac qui tentant Deum; opportuna quaerebant tempora locaque a strepitu remotiora; divina scrutari sensa studebant; laudabant, gemeabant, exsultabant, spiritum effundebant cum Psalte. Nunc vero, quantum mutati ab illis sunt! . . .—Itemque vix quidquam in ipsis residet de alacri ea pietate quam spirabant erga divina mysteria. Quam dilecta erant olim tabernacula illa! gestiebat animus adesse in circuitu mensae Domini, et alios ad eam atque alios advocare pios. Ante sacrum quae mundities, quae preces desiderantis animae! tum in ipso agendo quanta erat reverentia, augustis caeremoniis decore suo integris; quam effusae ex praecordiis gratiae: feliciterque manabat in populum bonus odor Christi! . . .—*Rememoramini*, obsecramus, dilecti filii *rememoramini*. . . . *pristinos dies* (1): tunc nempe calebat anima, sanctae meditationis studio enutrita.

In his autem ipsis, qui *recogitare corde* (2) gravantur vel negligunt, non desunt sane qui consequentem animi sui egestatem non dissimulent, excusentque, id causae obtendentes, se totos agitationi ministerii deditisse, in multiplicem aliorum utilitatem. Verum falluntur misere. Nec enim assueti cum Deo colloqui, quum de eo ad homines dicunt vel consilia christianae vitae impertiunt, prorsus carent divino afflatu; ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum. Vox eorum, quantavis prudentiae vel facundiae laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant: strepit enim diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli, non sine religionis dedecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in caeteris partibus actuosae vitae: quippe vel nullus inde solidae utilitatis proventus, vel brevis horae, consequitur, imbre deficiente caelesti, quem sane devocat uberrimum *oratio humiliantis se* (3).—Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra

(1) Hebr. X., 32.

(2) Ierem. XII., 11.

(3) Eccl. XXXV., 21.

haec sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta caecitas! Utinam, secum ipsi probe considerantes, aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia; unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animus et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tanta in eos copia *spiritum gratiae et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum gaudio volentes repetant, cautiores persequantur. Item ut olim Apostolo (1), ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Iesu Christi!

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quae Christi Domini est: *Videte, vigilate, et orate* (2). Praecipue in pie meditandi studio uniuscuiusque elaboret industria: elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare* (3). Nec parvi quidem momenti esse nobis ad meditandum debet peculiaris quaedam causa: scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde profluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile.—Cum re cohaeret, et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: “Intelligite, fratres, nil aequae ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens: *Psallam*, inquit propheta, *et intelligam* (4). Si Sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatae (5). Quapropter recte ac iure Ecclesia nos ea davidica sensa iterare frequentes iubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas eius permanet die ac nocte; omnia quaecumque faciet semper prosperabuntur*.—Ad haec, unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim, si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis, nonne talis omnino et fieri et haberi debeat etiam imitatione factorum? . . . *Summum igitur studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari* (6).

Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, coniungat assiduus. Sic Paulus manda-

(1) Philipp. I., 8.

(2) Marc. XIII., 33.

(3) Luc. XI., 1.

(4) Ps. C. 2.

(5) Ex orationib. ad clerum.

(6) De imit. Chr. I., 1.

bat Timotheo : *Attende lectioni* (1). Sic Hieronymus, Nepotianum de vita sacerdotali instituens, id inculcabat : *Nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur* : cuius rei hanc subtexebat causam : *Disce quod doceas : obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere*. Quantum enimvero proficiunt sacerdotes qui constanti hoc praestant assuetudine ; ut sapide praedicant Christum utque mentes animosque audientium, potius quam emolliant et mulceant, ad meliora impellunt, ad superna erigunt desideria !—Sed alia quoque de causa, atque ea in rem vestram, dilecti filii, frugifera, praeceptio valet eiusdem Hieronymi : *Semper in manu tua sacra sit lectio* (2). Quis enim nesciat maximam esse in amici animum vim cuiuspiam amici qui candide moneat, consilio iuvet, carpat, excitet, ab errore avocet ? *Beatus, qui invenit amicum verum* (3) . . . *qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (4). Iamvero amicos vere fideles adscribere ipsis nobis pios libros debemus. De nostris quippe officiis ac de praescriptis legitimae disciplinae graviter commonefaciunt ; repressas in animo caelestes voces suscitant ; desidiam propositorum castigant ; dolosam obturbant tranquillitatem ; minus probabiles affectiones, dissimulatas, coarguunt ; pericula detegunt, saepenumero incautis patentia. Haec autem omnia sic illi tacita cum benevolentia praestant, ut se nobis non modo amicos praebeant, sed amicorum perquam optimos praebeant. Siquidem habemus, quum libeat, quasi lateri adhaerentes, intimis necessitatibus nulla non hora promptos ; quorum vox nunquam est acerba, consilium nunquam cupidum, sermo nunquam timidus aut mendax.—Librorum piorum saluberrimam efficacitatem multa quidem eaque insignia declarant exempla ; at exemplum profecto eminet Augustini, cuius promerita in Ecclesiam amplissima inde auspiciū duxerunt : *Tolle, lege ; tolle, lege*. . . *Arripui* (epistolas Pauli apostoli), *aperui et legi in silentio*. . . *Quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebrae diffugerunt* (5). Sed contra heu ! saepius accidit nostra aetate, ut homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et saeculi obliqua sectentur, eo praesertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeridum turbam praeoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete : adultae provectaeque aetati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur fines, tum quos

(1) I Tim. IV., 13.

(2) Ep. LVIII. ad Paulinum, n. 6.

(3) Eccl. XXV., 12.

(4) Ib., VI., 14.

(5) Conf. I. VIII., c. 12.

Ecclesiae leges praestituant, tum quos prudentia cernat et charitas sui: nam venena istaec semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione caelestium quaesita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsemet dignoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitae perficere. Est apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti praesertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat: *excita iudicium conscientiae tuae, ab ipsa rationem exige, et quae interdum mala cepisti consilia . . . fodica et dilania, et de eis poenam sume* (1). Quam rectum id sit ac fructuosum christianae virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Praeclarum illud referre placet e disciplina Sancti Bernardi: *Integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attend: diligenter quantum proficias, vel quantum deficias. . . . Stude cognoscere te. . . . Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange* (2).

Etiā in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis!* (3). Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam saepe data et accepta conferant; quam accurate restrictaeque rationes subducant; iacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent ad sarcindas. Nos vero, quibus fortasse ardet animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam praesidio scientiae praedicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimoniae videlicet adeptionem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea paene silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae, et operuerunt superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat* (4).—Ingravescit res, crebrescentibus circum exemplis pravis, sacerdotali ipsi virtuti haud minime infestis! ut opus sit vigilantius quotidie incedere ac vehementius obniti. Iam experiendo cognitum est, qui frequentem in se censuram et severam de cogitatis, de dictis, de factis peragat, eum plus valere animo, simul ad odium et fugam mali, simul ad studium et ardorem boni. Neque minus experiendo compertum, quae incommoda et damna fere accidant declinanti tribunal illud, ubi sedeat iudicans iustitia,

(1) Exposit. in Ps. IV., n. 8.

(2) Meditationes piissimae, c. V., de quotid. sui ipsius exam.

(3) Luc. XVI., 8.

(4) Prov. XXIV., 30, 31

stet rea et ipsum accusans conscientia. In ipso frustra quidem desideres eam agendi circumspectionem, quae adeo in christiano homine probatur, de minoribus quoque noxis vitandis; eamque verecundiam animi, maxime sacerdotis propriam, ad omnem vel levissimam in Deum offensam expavescentis. Quin immo indiligentia atque neglectus sui nonnunquam eo deterius procedit, ut ipsum negligent poenitentiae sacramentum: quo nihil sane opportunius infirmitati humanae suppeditavit Christus insigni miseratione.—Diffitendum certe non est, acerbeque est deplorandum, non ita raro contingere, ut qui alios a peccando fulminea sacri eloquii vi deterret, nihil tale metuat sibi culpisque obcalescat; qui alios hortatur et incitat ut labes animi ne morentur debita religione detergere, id ipse tam ignave faciat atque etiam diuturno mensium spatio cunctetur; qui aliorum vulneribus oleum et vinum salutare novit infundere, saucius ipse secus viam iaceat, nec medicam fratris manum, eamque fere proximam, providus sibi requirat. Heu quae passim consecuta sunt hodieque consequuntur, prorsus indigna coram Deo et Ecclesia, pernicioſa christianae multitudini, indecora sacerdotali ordini!

Haec Nos, dilecti filii, pro conscientiae officio quum reputamus, oppletur animus aegritudine, et vox cum gemitu erumpit; Vae sacerdoti, qui suum tenere locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat! Optimorum corruptio, teterrimum: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant; laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse!* (1) Vae igitur sacerdoti, qui, immemor sui, precandi studium deserit; qui piarum lectionum pabulum respuat; qui ad se ipse nunquam regreditur ut accusantis conscientiae exaudiat voces! Neque crudescencia animi vulnera, neque Ecclesiae matris ploratus movebunt miserum, donec eae feriant terribiles minae: *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (2).—Triste omen ab unoquoque vestrum, dilecti filii, avertat dives in misericordia Deus; ipse qui Nostrum intuetur cor, nulla prorsus in quemquam amaritudine affectum, sed omni pastoris et patris charitate in omnes permotum: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum Nostrum Iesum Christum?* (3).

At videtis ipsi, quotquot ubique estis, quaenam in tempora, arcano Dei consilio, Ecclesia inciderit. Videte pariter et medi-

(1) S. Hieron. in Ezech. I., XIII., c. 44, v. 30.

(2) Is. VI., 10.

(3) I. Thess. II., 19.

tamini quam sanctum officium vos teneat, ut a qua tanto dignitatis honore donati estis, eidem contendatis adesse et succurrere laboranti. Itaque iu clero, si unquam alias, nunc opus maxime est virtute non mediocri; in exemplum integra, experrecta, operosa, paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quidquam est quod cupidior Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis.—In vobis igitur intemperate semper honore floreat castimonia, nostri ordinis lectissimum ornamentum; cuius nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur angelis, sic in christiana plebe venerabilior praestat sanctisque fructibus fecundior.—Vigeat perpetuis auctibus reverentia et obedientia, iis sollemni ritu promissa, quos divinus Spiritus rectores constituit Ecclesiae: praecipue in obsequio huic Sedi Apostolicae iustissime debito mentes animique arctioribus quotidie fidelitatis nexibus devinciantur.—Excellatque in omnibus charitas, nullo modo quaerens quae sua sunt: ut, stimulis qui humanitus urgent invidiae contentionis cupidaeve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia ad incrementa divinae gloriae fraterna aemulatione conspirent. Vestrae beneficia charitatis *multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum*, quam miserrima, expectat; vel maxime expectant densi adolescentum greges, civitatis et religionis spes carissima, fallacii undique cincti et corruptelis. Studete alacres, non modo sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed, omni quacumque liceat ope consilii et sollertiae, bene optimeque mereri de omnibus. Sublevando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propremodum sitiatis, lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis eius heu quam impigre, quam laboriose, quam non trepide agitur, instatur, exitio animarum immenso!—Ob hanc potissime charitatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in clero suo, christianam pacem evangelizante salutem atque humanitatem afferente, ad gentes usque barbaras: ubi ex magnis eius laboribus, profuso nonnunquam sanguine consecratis, Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior.—Quod si, dilecti filii, effusae charitatis vestrae officiis simultas, convicium, calumnia, ut persaepe fit, responderit, nolite ideo tristitiae succumbere, *nolite deficere bene facientes* (1). Ante oculos observentur illorum agmina, numero meritisque insignia, qui per Apostolorum exempla, in contumeliis pro Christi nomine asperrimis, *ibant gaudentes, maledicti benedicebant*. Nempe filii sumus fratresque Sanctorum, quorum nomina splendent in libro vitae, quorum laudes nuntiat Ecclesia: *Non inferamus crimen gloriae nostrae!* (2).

(1) II. Thess. III., 13.

(2) I. Mach. IX., 10.

Instaurato et aucto in ordinibus cleri spiritu gratiae sacerdotalis, multo quidem efficacius valebunt Nostra, Deo adspirante, proposita ad caetera, quaecumque late sunt, instauranda.—Quapropter ad ea quae supra exposuimus, certa quaedam adiicere visum est, tamquam subsidia eidem gratiae custodiendae et alendae opportuna. Est primum, quod nemini sane non cognitum et probatum, sed non item omnibus re ipsa exploratum est, pius animae recessus ad Exercitia, quae vocant, spiritualia; annuus, si fieri possit, vel apud se singulatim, vel potius una cum aliis, unde largior esse fructus consuevit; salvis Episcoporum praecriptis. Huius instituti utilitates iam Ipsi satis laudavimus, quum nonnulla in eodem genere ad cleri romani disciplinam pertinentia ediximus (1).—Nec minus deinde proficiet animis, si consimilis recessus, ad paucas horas, menstruus, vel privatim vel communiter habeatur: quem morem libentes videmus pluribus iam locis inductum, ipsis Episcopis faventibus, atque interdum praesidentibus coetui.—Aliud praeterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles actus tuendam, ad alias istiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum, ad animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam aetatem, congruenter quidem locis et muniis, revocari queat? pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiae, nonne sint recte sperandi?—Nec vero desunt instituti similis societates, sacrorum Antistitum comprobatione auctae: eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere, eandem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur.—Ista sacerdotalis gratiae adiumenta, eaque item quae vigil Episcoporum prudentia pro rerum opportunitate suggerat, vos, dilecti filii, sic aestimate, sic adhibete, ut magis in dies magisque *digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (2), ministerium vestrum honorificantes, et perficientes in vobis Dei voluntatem, quae nempe est *sanctificatio vestra*.

(1) Ep. *Experiendo* ad Card. in Urbe Vicarium, 27 Decembris 1904.

(2) Ephes. IV., 1.

Huc enimvero feruntur praecipuae cogitationes curaeque Nostrae: propterea sublati in caelum oculis, supplices Christi Domini voces super universum clerum frequenter iteramus: *Pater sancte . . . sanctifica eos* (1). In qua pietate laetamur permultos ex omni fidelium ordine Nobiscum comprecantes habere, de communi vestro et Ecclesiae bono vehementer sollicitos: quin etiam iucundum accidit, haud paucas esse generosioris virtutis animas, non solum in sacratis septis, sed in media ipsa saeculi consuetudine, quae ob eandem causam sese victimas Deo votivas non intermissa contentione exhibeant. Puras eximiasque eorum preces in odorem suavitatis summus Deus accipiat, neque humillimas abnuat preces Nostras. Faveat, exoramus, clemens idem et providus: atque e sanctissimo dilecti Filii sui Corde divitias gratiae, caritatis, virtutis omnis universum in clerum largiatur.—Postremo, libet gratam ex animo vicem referre vobis, dilecti filii, de votis faustitatis quae, appetente sacerdotii Nostri natali quinquagesimo, multiplici pietate obtulistis: votaue pro vobis Nostra, quo cumulatus eveniant, magnae Virgini Matri concredita volumus, Apostolorum Reginae. Haec etenim illas sacri ordinis felices primitias exemplo suo edocuit quemadmodum perseverarent unanimes in oratione, donec induerentur superna virtute: eandemque ipsis virtutem multo sane ampliorem sua deprecatione impetravit, consilio auxit et communivit, ad fertilitatem laborum laetissimam.—Optamus interea, dilecti filii, ut pax Christi exultet in cordibus vestris cum gaudio Spiritus Sancti; auspice Apostolica Benedictione, quam vobis omnibus peramanti voluntate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 4 Augusti anno 1908, Pontificatus Nostri ineunte sexto.

PIUS PP. X.

(1) Ioan. XVII., II., 17.

VENERABILI FRATRI NOSTRO
VINCENTIO S. R. E. CARD. VANNUTELLI
EPISCOPO PRAENESTINO
PIUS PP. X.

VENERABILIS FRATER NOSTER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

E solemnibus catholicorum conventibus, qui quotannis in honorem Sanctissimae Eucharistiae haberi solent, insignis admodum is fore videtur, quem nostri indictum esse Londinium in Septembrem proximum; idque tum frequentia et dignitate coeuntium, tum caeremoniarum splendore ac celebritate. Nam, curantibus praesertim Venerabilibus Fratribus, Francisco Archiepiscopo Westmonasteriensi, qui rei apparandae summa cum diligentia praeest, ac Thoma, Episcopo Namurcensi, praefecto generalis Consilii coetibus Eucharisticis agendis, audimus in eum conventum mirifice commota esse studia piorum; conventuros undique lectissimos cuiusvis ordinis viros; in ipsa autem luce amplissimae florentissimaeque urbis magnas factum iri significationes pietatis publicae. Quam iucunda Nobis haec accidant, facile existimabit, quisquis permagni referre intelligit ut vigeat in populo christiano quotidieque crescat amor, cultus atque usus divinae Eucharistiae. Hic adeo fons est, unde per totum Ecclesiae corpus supernaturalis vitae spiritus diffunditur; hoc vinculum, quo eiusdem membra corporis arctissime coalescunt. Etenim, quum in augusto Sacramento, licet mystice latens, vere tamen praesens et vivus adsit inter nos usque in finem saeculorum dulcis Redemptor noster, inde potissimum divinae caritatis flammam concipimus; in ipso spes omnes nituntur nostrae; ipsum nobis omnibus unum idemque est quasi centrum Fidei; quemadmodum ratio huius Sacramenti conficiendi, quae sacerdotibus omnibus catholicis in magna rituum varietate communis est, regiminis disciplinaeque nostrae aperte indicat unitatem. Porro Eucharistiam veneramur non solum ut Sacramentorum maximum, sed etiam ut quod religioni necessario inhaeret, atque adeo divini cultus caput est, ut Sacrificium scilicet. Est enim ipsa sacrificium Novi Testamenti, Ecclesiaeque Christi proprium variis iam antiquorum patrum hostiis, praecipue sacerdotis Melchisedech, adumbratum, oraculo

autem Malachiae non dubie promissum. Quo quidem Sacrificium, quod semel in ara Crucis oblatum est, illud ipsum incruente sine ulla intermissione instauratur per omnem orbem terrarum, ubicumque ad altare congregantur oves Christi, ut, quod maiores et in veteri Lege et in nova perpetuo consueverunt, rite omnipotenti Deo debitam gratiam laudemque persolvant, eumque placatum sibi reddant et propitium. Non igitur inveniri potest res ulla dignior, quae animos hominum religiosorum studio inflammaret, ut apud christianos magis ac magis in honore sit.

Recte autem placuit, ut conventus iste in urbe principe celebretur eius Imperii, cuius non ultima laus est aequam omnibus civibus ministrare libertatem, et cuius auctoritati ac legibus tam multa catholicorum centena millia fideliter ex officii conscientia parent. Iam vero Nos, quod alias in simili causa fecimus, non modo id consilii vehementer probamus, verum etiam in partem rei perlibenter venimus: quare, ut personam Nostram in conventu Eucharistico Westmonasteriensi ipse geras, Legatum Nostrum his te litteris renunciamus. Aderit ubertate gratiae suae consiliantibus divinus Ecclesiae Auctor, cuius unice agitur gloria; interim Nos auspicem Eius munerum, eandemque benevolentiae Nostrae peculiaris testem, tibi, Venerabilis Frater Noster, universisque et singulis, qui conventuri sunt, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII. Augusti, in festo Sancti Augustini, Ecclesiae Doctoris, anno MCMVIII., Pontificatus Nostri sexto.

DECREES.

CONGREGATION OF THE INDEX.

Varia damnantur opera.

FERIA II. DIE 25 MAII 1908.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorundemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 25 Maii 1908, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

L'abbé EMMANUEL BARBIER, *Le progrès du libéralisme catholique en France sous le Pape Léon XIII*. Histoire documentaire. Paris, P. Lethielleux.

— *Ne mêlez pas Léon XIII au libéralisme*. Ibid., 1907.

JEAN D'ALMA, *La controverse du quatrième Évangile*. Paris, E. Nourry, 1907.

ANTOINE DUPIN, *Le dogme de la Trinité dans les trois premiers siècles*. Ibid., 1907.

C. ROMANO D'AZZI, *Un vasto inganno : la risurrezione dei morti*. Studio critico. Roma, Enrico Voghera, 1907.

FERDINAND HAMELIN, *Le journal d'un prêtre*. Roman. Paris, Stock, 1908.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

PAULUS BUREAU, Decreto S. Congregationis, edito die 17 Martii 1908, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae die 26 Maii 1908.

FRANCISCUS Card. SEGNA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

FR. THOMAS ESSER, Ord. Praed., *a Secretis*.

Die 29 Maii 1908 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

Ex pluribus dubiis, quae ad hanc S. C. postremis hisce temporibus pervenerunt, nonnisi infrascripta hodie proponuntur in plenariis comitiis, quum cetera vel facili negotio solvi possint, vel potius inter cavillationes sint accensenda. Praeterea heic adnexa exhibentur vota, quae, propter rei gravitatem, a duobus Consultoribus exarata fuerunt.

Dubia. I. *Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parochio seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parochio vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parochio vel cum duobus testibus subscribat.*

II. *An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni.*

III. *An vi decreti Ne temere, etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parochio exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.*

IV. *Utrum ad valide et licite matrimoniiis adsistendum, ad tramitem art. VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.*

V. *An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit—in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi—matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.*

VI. *Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in art. VIII decreti.*

VII. *An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinen-sium qui ob peculiare illius regionis condiciones postularunt: 1°. exemp-tionem a praescriptionibus decreti in sponsalibus ineundis; 2°. dispensa-*

tionem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti.

VIII. *Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram paracho personali vel possint etiam coram paracho territorii.*

IX. *An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quoninus matrimoniis fidelium adsistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.*

Resolutiones. Et Emi. Patres S. C. Concilii in plenaris comitiis diei 27 Iulii 1908 respondendum censuerunt :

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.*

Ad IV. *Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, ac restrictam ad territorium delegantis.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Quoad primum negative. Quoad secundum, concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus ; facto verbo cum SSmo.*

Ad VIII. *Dilata.*

Ad IX. *Non esse interloquendum.*

Eadem autem die SSmus. Dnus. Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Secretarii, supra recensitas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est, contrariis non obstantibus quibuscumque.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

B. POMPII, *Secretarius.*

CONGRÉGATION OF RITES.

Festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae III^{ae} Septembris affixum, ad ritum duplicem secundae classis elevatur.

URBIS ET ORBIS.

Dolores Virginis Deiparae etsi duplici festo in universa Ecclesia per annum recolantur, videlicet Feria Sexta post

Dominicam Passionis, ac Dominica tertia Septembris: utrumque tamen festum mobile Beatae Mariae Virginis utpote secundarium, sub ritu duplici tantummodo maiori celebratur. Quo vero eiusdem Virginis Perdolentis cultus augeatur, et Fidelium pietas gratique animi sensus magis magisque foveantur erga misericordem humani generis Conredemptricem; Rmus. Pater Prior Generalis Ordinis Servorum B. M. V. qui potissimum ipsam Matrem Dolorosam veluti suam Conditricem et praecipuam Patronam venerantur, occasionem nactus qua proxime adfuturo Septembri (mense Virginis Doloribus recolendis sacro) quinquagesimus annus ab initio Sacerdotio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X feliciter completur, supplicibus votis totius Regularis Familiae Eundem Sanctissimum Dominum nostrum rogavit, ut etiam ad perennem rei memoriam, festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae Septembris affixum, ad ritum duplicem saltem secundae classis pro universa Ecclesia elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, eiusmodi preces peramanter excipiens, Festum Septem Dolorum B. M. V. quod enuntiatae Dominicae adsignatum fuit, in posterum sub ritu duplici secundae classis ubique recolendum decrevit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Maii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

De distantia altaris a loculis, et de altaribus mobilibus in sepulcretis.

Rmus. Dnus. Caietanus Muller, Episcopus Gallipolitanus, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit, nimirum:

In sepulcreto civitatis Gallipolitanae tum confraternitates tum privatae familiae habent sua sacella, in quibus cadavera sepeliuntur in loculis. At huiusmodi sacella valde exigua sunt et angusta, ita ut vix aliquod eorum habeat quatuor metra longitudinis, tria vero latitudinis; altaria autem non distant in eistres cubitos, seu unum metrum, a loculis, sed pauca centimetra. Insuper in aliquibus sacellis habetur altare ex ligno confectum cum lapide consecrato infixum in medio mensae; sed altare mobile est, ita ut ad libitum transferatur de uno in alio loco eiusdem sacelli. Quaeritur:

I. Utrum permitti possit Missa celebratio in istis sacellis, in quibus non habetur praescripta distantia altarium a loculis?

II. Utrum altaria mobilia, sensu exposito, tolerari possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae voto omnibusque sedulo perpensis respondendum censuit:

Ad I. Negative iuxta decretum n. 3944 *Romana* 12 Ianuarii 1899 ad II.

Ad II. Affirmative, dummodo mensa solidis basibus adhaereat et altare ipsum in uno tantum loco stabiliter collocetur.

Atque ita rescripsit, die 19 Iunii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Indulgentia adnectitur duabus orationibus pro clericis.

ORATIO AD POSTULANDOS CLERICOS.

Ant. Quid statis tota die otiosi? Ite et vos in vineam meam.

V. Rogate Dominum messis.

R. Ut mittat operarios in messem suam.

Oremus. Deus qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, da, quaesumus, per intercessionem B. Mariae semper Virginis et omnium sanctorum, operarios Ecclesiae tuae, qui sint cooperatores Christi, et se impendant et superimpendant pro animabus. Per eundem D.N.I.C.

ORATIO PRO CONSERVATIONE CLERICORUM IN MILITIA,

Ant. Nemo mittens manum suam ad aratrum et suspiciens retro aptus est regno Dei.

V. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.

R. Ut ei placeat cui se probavit.

Oremus. Deus infirmitatis humanae singulare praesidium, exaudi, quaesumus, preces quas pro fratribus in discrimine positiss humiliter fundimus, ut famulos tuos ab omni eruas peccatorum nequitia et in tua protectionis securitate constituas. Por Dominum N. I. C. etc.

Utramque hanc orationem recitantibus devote indulgentiam tercentorum dierum pro unaquaque concedimus.

Die 29 Martii 1908.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congni. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 30 Martii 1908.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

THE BIBLICAL COMMISSION.

De libri Isaiae indole et auctore.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de Re Biblica sequenti modo respondit :

Dubium I.—Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae, — et passim in Scripturis, — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae iam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, coniiciendo praenuntiasse ?

R. *Negative*.

Dubium II.—Utrum sententia quae tenet, Isaiam ceterosque prophetas vaticinia non edidisse nisi de his quae in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda ?

R. *Negative*.

Dubium III.—Utrum admitti possit, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. XL-XLVI), in qua vates non Iudaeos Isaiae aequales, at Iudaeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam iamdiu emortuum auctorem habere, sed opertere eam ignoto cuidam vati inter exules viventi assignare ?

R. *Negative*.

Dubium IV.—Utrum, ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

R. Negative.

Dubium V.—Utrum solida prostant argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus essetribuendum?

R. Negative.

Die autem 28 Iunii anni 1908, in Audientia ambobus Rmis. Consultoribus ab Actis benigne concessa Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX, P.S.S.

LAURENTIUS JANSSENS, O.S.B.

Consultores ab Actis.

Romae, die 29 Iunii 1908.

THE SACRED PENITENTIARY.

Deputati et Senatores Galliae qui votis suis legem separationis constituerunt, excommunicationi latae sententiae subiciuntur, Solvuntur quaedam alia dubia praecipue eorundem sepulturam respicientia.

Beatissime Pater,

Vicarius Generalis dioecesis N.... implorat solutionem sequentium dubiorum:

I. An deputati et Senatores Galliae qui votis suis legem Separationis, ut aiunt, constituerunt, subiaceant, ipso facto, excommunicationi latae sententiae?

II. Quatenus affirmative, an Ordinarius debeat contra illos declaratoriam excommunicationis sententiam ferre ut ecclesiastica sepultura priventur?

III. Quatenus negative, an iidem subiaceant excommunicationi tantum ferendae sententiae?

IV. Si iidem Deputati et Senatores excommunicati non sunt, an habendi sunt ut peccatores publici ita ut sint omni ecclesiastica sepultura privati?

V. Quatenus negative, an expedit praedictos si decedant, iisdem religionis honoribus tumulari quibus caeteri fidelium et

utrum conveniat observare practicam hanc normam : ut eisdem Deputatis et Senatoribus defunctis concedatur tantum missa lecta cum simplici absolutione cadaveris?

Et Deus...

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondet :

Ad I. affirmative.

Ad II. Ad id Episcopum minime teneri, nec generatim consulendum, nisi specialis ratio aliud prorsus exigit.

Ad III. Provisum in primo.

Ad IV. Si notorie constet huiusmodi homines in peccato suo decedere, indigni sunt ecclesiastica sepultura.

Ad V. Si poenitentes defuncti sint, non sunt privandi consuetis honoribus; si res dubia sit, *affirmative* ad secundam partem.

Datum Romae ex S. Poenitentiaria die 20 Maii 1908.

GIORGI, S. P., *Regens*.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

De promulgatione legum et evulgatione actorum S. Sedis.

PIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Promulgandi pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanæ ac Lateranensis Basilicæ valvas. Quæ autem Romæ, tamquam in christianæ reipublicæ centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique gentium promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant. Verum, quum promulgandæ legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes Apostolicæ Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixæ locis promulgarentur. Recentius, sacrarum præsertim Congregationum opera, quibus Romani Pontifices, ad leges iam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctæ Sedis eiusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic iuris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice Maximo. Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset solemnitas illa deerat quam par est sumptæ auctoritatis actis accedere. Ea de causa complures Episcopi, non modo a nobis, sed a Nostris etiam Decessoribus, quum sæpe alias, tum novissime in postulatis circa ius canonicum in codicem redigendum, flagitarunt, ut a suprema Ecclesiæ auctoritate Commentarium proponeretur, in quo novæ promulgarentur ecclesiasticæ leges, et Apostolicæ Sedis acta vulgarentur.

Re igitur mature perpensa, adhibitisque in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, Antistitum, quos diximus, excipienda vota rati, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo anno 1909, Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actus edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis, aut maioris administri eius Congregationi vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum. Volumus praeterea in idem Commentarium caetera Sanctae Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat; eique rei perficiendae sacrarum Congregationum, Tribunalium et aliorum Officiorum moderatores opportune consulere.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, 3 Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri sexto.

A. Card. DI PIETRO, *Datarius*.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

VISA: De Curia I. DE AQUILA, *e Vicecomitibus*.

Loco ✕ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium

V. CUGNONIUS.

LETTERS.

Pius X Emo. Card. Gibbons, Archiepiscopo Baltimoren. gratulatur pro observantiae et pietatis erga S. Sedem et Romanum Pontificem testimonio quod ab Episcopis, Clero populoque Foederatorum Americae Civitatum sibi significatum est.

DILECTO FILIO NOSTRO JACOBO S. R. E. PRESB. CARD. GIBBONS,
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quam tuo nomine et Venerabilium Fratrum ex ista Republica dederas ad Nos proxime epistolam, singulari Nos quidem cum voluptate legimus : quippe amantissime piissimeque perscriptam. Sane eximia Episcoporum e Foederatis Americae Civitatibus cum in omni genere officii diligentia et alacritas, tum erga Petri successorem observantia et pietas ita comperta Nobis iam erat, ut exploratior fieri non posset. Sed tamen per haec solemnia sacerdotii Nostri, quum divina benignitate Nobis contingit, ut pulcherrimis orbis catholici significationibus fruamur, ipsi recte existimastis et Americanam Ecclesiam, nobilem istam Ecclesiae Catholicae partem, huic quasi concentui bonorum omnium deesse non debere, et commune testimonium studii vestri Nobis fore pergratum. In quo valde libenter perspicimus sic vos erga personam humilitatis Nostrae affectos esse, quemadmodum universos cupimus et optamus. Placet nempe reverentia, qua Vicarium Jesu Christi colitis; placet obsequium, quod fidei disciplinaeque christianae Magistro profitemini; sed perplacet is amor quo communem catholicorum praesertim diligitis Patrem. Quando igitur rem deditis vos Nobis praestatis filios, facile intelligitis, Nostra vicissim in vos paterna charitas quanta sit. Qua Nos charitate, uti par est, Clerum ceterumque gregem vestrum una complectimur : scimus enim, quotquot curae vestrae creditos habetis, in primis esse studiosos Nostri et Apostolicae huic Sedi coniunctos. Quod autem scribitis videri vobis auspato accidere, ut, quum eo tempore sacerdotium iniverimus, quo Maria Immaculata, ad oppidum Lourdes apparens, ibi mirificae

beneficentiae suae tamquam fontem aperuit, huius facti recordatio cum sacerdotali Nostra celebritate concurrat, rem vos attingitis vehementer Nobis cogitatu iucundam. Scilicet divinae Matris apud Christum patrocinio unice confisi semper sumus : atque sicut Illa, quod minime dubitamus, cursum sacerdotalis Nostri muneris praesens usque adhuc adiuvit, ita sperare libet, velle Ipsam Nobis, iam ad hoc dignitatis fastigium investigabili Dei voluntate provectoris, sollicitudinum, quibus angi Nos videt, solatium afferre. Ac in tanta mole molestiarum non ignoratis quae Nos premant maxime. Quare pergite, ut facitis, Nobiscum implorare Virginem, praesertim ut quae sibi admodum esse curae Ecclesiam Gallicam ostenderit, tam misere hodie afflictam, mature in statum tranquillae libertatis restituat, eademque, Interemprix haeresum, de finibus christiani populi pestiferos errores exterminet, quos damnando denuntiavimus. Quod reliquum est, merito vestro magnas vobis agimus et habemus gratias; atque auspicem divinorum, quae precamur munerum, simulque testem praecipuae Nostrae benevolentiae, tibi, dilecte Fili Noster, tuis istis in episcopatu collegis, universoque Clero et populo vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 17 Iunii 1908, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X.

Plus X Archiepiscopo Westmonasteriensium gratulatur pro felicissimo exitu Conventus Eucharistici Londinensis, laudatque omnes et praesertim ducem de Norfolk, qui in coetu apparando et perficiendo adjuvamentum praestitere.

VENERABILI FRATRI FRANCISCO, ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSII.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Solatium Nos illudque tam grande quam fuerat ante expetitur, ex habito istic conventu Eucharistico cepimus, quem non Anglis modo, sed universo pene adspectanti orbi exitisse pietatis vestrae tum testem tum laudem accepimus. Allata enim publice nuncia gratiusque multo et luculentius Venerabilis Fratris Nostri Vincentii S. R. E. Cardinalis Vannutelli, Legati Nostri, enarratio sic descriptum exhibuere congressionis exitum ut sive celebri illustrium virorum frequentia, sive profunda disceptandi decernendique gravitate, sive praebitis fidei cultusque

Eucharistiae testimoniis, sive denique comitantium splendore caerimoniarum, debeat is coetus, uti Anglis aetate et ordine priori ita Ecclesiae universae amplitudine princeps existimari, Congressum cessisse tam prospere, a Deo primum repetendum. At non opera Nobis praetereunda illa est quam ipse, Venerabilis Frater, sollerter, prudenter studioseque contulisti, hoc demum digno recreatus praemio, catholicos vidisse tuos nobilitate fidei mirabiles. Eum vero commemorare insimul placet, cuius, quemadmodum ab omni catholicae Angliae gloria non seiunctum est nomen, ita huic adiunctum conventui manet: Ducem, id est, de Norfolk, qui coetu apparando et perficiendo atque etiam excipiendis honestissime primoribus laudem promeruit.—Utique singulorum heic afferre velimus nomina, quum ex ordine nobilium, tum e civibus caeteris, qui variis modis celebrando prospere congressui adiumentum praestitere, delatisque liberaliter hospitiiis, Angliam monstrarunt peregrinis splendide urbanam. Id vero quoniam expleri per Nos nequeat, tibi libenter demandamus ut gratias iis laudesque nomine Nostro persolvas.

Ad haec, iucundi beneque affecti animi Nostri testimonium iis etiam e saeculari regularique Clero dare par est, qui diligentiam studiumque congressionis bono impenderunt, optime propterea de Religione, de Nobis, de Eucharistico cultu promeriti.—Omnes denique filios ex Anglia Nostros cum amore et grati animi sensu complectimur, eos publice dilaudantes quod, professione fidei, exemplo caeteris existant. Deum postremo vehementer adprecari ut Eucharistici conventus fructus uberes reddat velitque pro utilitate patriae perennes, auspicem coelestium gratiarum Nostraeque dilectionis pignus Apostolicam Benedictionem Tibi, Duci de Norfolk, cunctisque Regni catholicis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, die 15 Octobris, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. X.

SECRETARIATE OF STATE.

**Ordo servandus in Sacris Congregationibus, Tribunalibus,
Officiis Romanae Curiae.**

NORMAE PECULIARES.

CAP. I.

DE AMBITU COMPETENTIAE SINGULORUM OFFICIORUM SANCTAE SEDIS.

I. Secundum praescripta Constitutionis *Sapienti consilio*, Officiorum Sanctae Sedis competentia partim territorium, partim vero materiam afficit.

(a) Congregationi Sancti Officii, in suae competentiae rebus, territorii limites nulli sunt.

(b) Consistorialis munia sunt circumscripta regionibus iuri communi obnoxiiis, in quibus ipsa suam et cum aliis non communem habet competentiam circa ea omnia, quae ad regimen dioecesanum, ad Seminaria, ad Episcoporum aliorumque Ordinariorum electionem, ad Apostolicas visitationes, ad relationes de statu dioecesium referantur.

(c) Congregationi de disciplina Sacramentorum in iis quae matrimonium spectant, competunt quoque loca Congregationi de Propaganda Fide obnoxia, ad memoratae Constitutionis normam. Circa cetera Sacramenta competentiam habet circumscriptam regionibus iuri communi subjectis.

(d) Concilii et Studiorum Congregationibus, in ipsarum competentiae negotiis, certi locorum assignati sunt limites, quemadmodum Consistoriali.

(e) Congregatio religiosorum Sodalium praecipuam et propriam habet competentiam in religiosos ubicumque versantur, atque in rebus omnibus, quae statum, disciplinam, studia et sacram ipsorum Ordinationem spectant, salvo iure Congregationis de Propaganda in religiosos qua missionarios.

(f) Propagandae Fidei Congregatio jurisdictionem locis et rebus circumscriptam habet, iuxta memoratae Constitutionis praescriptum.

(g) Congregationibus Indicis, Rituum, pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Caeremoniali, itemque Tribunalibus tum

interni tum externi fori, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites.

2. Etsi, abrogata iurium cumulatione in Sanctae Sedis Officiis, sua cuique negotio sit constituta sedes; nihilominus, quia in peculiaribus casibus dubitationi aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex qua, delato et excepto ab aliquo Officio supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente, sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliud suo marte Officium ad eundem finem adire; sed opus est adsensu Officii ipsius quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii.

Quaevis concessio ab Officio alio profecta, contra memoratam legem, irrita esto.

3. In expostulationibus ad Sanctam Sedem si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem ordinarius eiusdem *Congressus*, de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum.

Horum primum si accadat, iudicium quaestionis reservatur sacrae Congregationi cui competit, ad normam Const. *Sapientii consilio*.

Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo.

CAP. II.

DE IIS QUAE PLENAE CONGREGATIONI RESERVANTUR ET CONGRESSUI TRIBUUNTUR.

1. In sacris omnibus Congregationibus communiter iudicio Patrum Cardinalium, quibus ipsae constant (vel, uti vulgo dicitur, plenae Congregationi), est reservata solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando: examen controversiarum ordinis administrationem ac disciplinam spectantis, vel per se, vel ob adiuncta graviorum; disceptatio de gratiis ac facultatibus maioris momenti, iisdemque vel per se, vel ratione modi insuetis; acta denique omnia publici ordinis atque communis, sive praeceptiones ea sint sive praescriptiones.

2. Ad Congressum pertinet ea praeparare quae ad plenam Congregationem erunt deferenda; deliberata exsequi post approbationem Summi Pontificis; eadem casibus aptare similibus, ubi res perspicua sit, obvia, nullique obiecta controversiae; largiri, pro potestate a Pontifice Maximo facta, facultates, gratias, indulta, quae consueta sint et facilia; providere ut quae in Officio geruntur, omnia rite procedant secundum normas tum communes tum peculiare huius legis et Constit. *Sapientii consilio*.

CAP. III.

DE MODO TRACTANDI NEGOTIA NON STRICTE IUDICIALIA.

Art. I.—*Quando agitur de rebus gratiae.*

1. Si gratiae seu facultates, dispensationes, indulta, quae quis a Sancta Sede postulet, ius aliis quaesitum laedant; ii, quorum interest, aut directo aut per Ordinarios suos ante concessionem audiendi sunt.

2. Gratiae quas quis pro se a Sancta Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

3. Gratiae quae a Sancta Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et Officia iure recognita. Quandoque vero supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et Officia memorata remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi, sive totam, sive certis limitibus circumscriptam.

Quum preces ad Ordinarium cum facultatibus remittuntur, eius aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur, habita ratione formae rescripti, rerum Sanctae Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae concedendae.

Ubi vero ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt, aut forma gratiosa, aut commissoria.

4. Si forma gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen Ordinario sunt, qui ea suo *recognitionis* rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi; aut si comprobare condiciones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

Si vero commissoria forma rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet Ordinario exsecutionem detrectare, nisi forte horum alterutrum occurrat ut, aut manifesto vitiosae, hoc est obreptitiae vel subreptitiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus ut aliorum offensionem futura sit indulti concessio. Haec si accidunt Praelatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiore faciet Apostolicam Sedem.

5. Pro *recognitionis* testimonio, quo rescripta muniuntur, ut est in superiore *num.* 4, nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sacri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci cognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei probationem circa aliquam sacram reliquiam.

6. Servatis, tum quae superiore *num.* 4 statuta sunt circa rescriptorum executionem, tum necessariis conditionibus ad sacras indulgentias lucrandas; a die 3 Novembris 1908, quo die incipient vim legis habere praescripta in Constitutione *Sapienti consilio*, gratiae ac dispensationes omne genus a Sancta Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati.

Art. II.—*Quando agitur de causis ordinis disciplinam et administrationem spectantis.*

7. In causis apud Sacras Congregationes administrationis ac disciplinae tramite agitandis, remota litis contestatione, exclusa auditione testium nullisque scriptis patronorum receptis habebitur quaestio; audientur tamen semper partes quorum interest, ab iisque producta documenta excutientur.

8. Ut ii quorum interest suam causam dicere valeant erunt praemonendi, vel per suos Ordinarios vel directo, ad iuris communis normas.

9. Quod si pro re sua typis edere ac distribuere scriptum suum aliquod vellent, facere hoc poterunt, servatis normis statutis in *can. 29 Legis propriae* S. Romanae Rotae, congrua congruis referendo.

10. Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus admissio aut saltem non recusato hoc agendi modo; his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicalem instituere.

Eoque minus, deliberata re atque ad sententiam deducta, fas erit hoc agere.

Est nihilominus Congregationi Sacrae facultas, quovis in stadio quaestionis, ad iudices ordinarios causam deferre.

CAP. IV.

DE DIEBUS QUIBUS CARDINALIUM COETUS COADUNANTUR

AC DE MODO PROCEDENDI PLENARUM CONGREGATIONUM.

1. Stati dies habendis coetibus Patrum Cardinalium erunt

<i>dies Lunae</i>	pro SS. CC. Propagandae Fidei et Indicis;
„ <i>Martis</i>	„ „ Rituum, Caeremoniali, et Studiorum;
„ <i>Mercurii</i>	pro S. C. Sancti Officii;
„ <i>Iovis</i>	pro SS. CC. Consistoriali, et pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis;
„ <i>Veneris</i>	„ „ Sacramentorum, et religiosorum Sodalium;
„ <i>Sabbati</i>	pro S. C. Concilii, et pro Signatura Apostolica.

In Officiis, quae unum eundemque suis conventibus agendis habent constitutum diem, ipsorum Moderatores consilia inter se inibunt de iisdem habendis per hebdomadas diversas.

2. Si quaestio eiusmodi sit, quae plenae Congregationis iudicium postulet, conficiendum erit officiale folium, compendio collectam quaestionem exhibens, cum adiecto brevi summario ac dubiis ad excutiendum propositis.

In gravioribus aut difficilioribus sive de facto, sive de iure quaestionibus, singularum Congregationum Moderatores curabunt unius vel alterius Consultoris rogare sententiam, officiali folio adiiciendam.

3. Folia officialia, Consultorum *vota*, quidquid proelo edi debeat nomine Officiorum Sanctae Sedis, documenta ipsa aut defensiones, quae partes exhibere velint, ubi agatur de criminum aut matrimonii causis prudentius cautiusque tractandis, haec omnia Vaticanis typis imprimenda tradentur. Cetera aliis etiam officinis committi poterunt, quae a Cardinali a secretis Congregationis Consistorialis in suo Congressu probatae sint, et in quibus cautum sit circumspeditioni pro variis casibus necessariae.

4. Scripta typis impressa Patribus Cardinalibus dispertientur decem saltem ante diebus quam Congregatio habeatur.

5. Qui typis edita folia scriptave alia receperint, quae, sive positivo praecepto, sive rei delicatiore natura, postulant secreti religionem, de arcano servando erunt maxime solliciti; idque, non per dies tantum rei studio tributos, sed etiam posthac, quamdiu impressa ea folia scriptave domi retinuerint.

Iidem curare debebunt ut, post obitum, ea documenta suo quaeque Officio inviolata restituantur.

Hac lege aequè obstringuntur uniuscuiusque Officii administri, Consultores ac Patres Cardinales.

Easdem qui chartas alio deferat, debitis modis ac tutiore via transmittendas curabit.

6. Nulla fit immutatio in recepto more, quo Sacrae Congregationes quaedam in certis negotiis, aliquot ante dies quam Patrum Cardinalium cogatur coetus, convocant Consultorum collegium ut eorum sententiam rogent.

Summam hanc sententiarum postulare poterunt semper Moderatores Congregationum aut Patres Cardinales aliis etiam in causis, praeter ordinarias, modo sint maioris momenti.

7. In Patrum Purpuratorum coetibus primus sermonem instituet Cardinalis Ponens, seu relator, si aderit; eo absente, aut post ipsum, Cardinalis priorem obtinens locum; subinde ceteri ex ordine; denique Cardinalis Praefectus aut eius vice fungens.

8. Quae Sacrae Congregationi aut plerisque illorum qui interfuerunt, decernenda visa sint, ea, constanti lege, cui deroga-

bitur nunquam, exarari scripto debebunt, perlegi et pro contione approbari.

Eadem servabitur lex in Consultorum conventibus.

9. Si nihil obstat, sententia, in quam sacer Ordo devenit, a Praelato a secretis in suo Officio evulgabitur; et de ea scriptum aut typis impressum exemplar tradetur omnibus eiusdem Congregationis Cardinalibus in Urbe residentibus.

10. Sententia evulgata, parti oneratae licet intra dies decem novae audientiae beneficium flagitare. Cardinali autem Praefecto, audito Congressu, arbitrium erit eius beneficii concedendi aut recusandi, prout rerum adiuncta suaserint.

Quod si Patrum Cardinalium deliberatio secumferat clausulam *amplius non proponatur*, non poterit novae audientiae beneficium concedi, nisi ab ipsa Congregatione universa.

11. Expensae, quas partes in causis agendis coram Sacris Congregationibus obierint, generatim repeti non possunt.

Attamen cum pars vocata ad suum ius persequendum, per contumaciam defuerit, si postea velit rem iudicatam referre, hoc est, causam denuo cognoscendam proponere, debebit aut se de contumacia purgare, aut congruam pecuniae summam deponere, qua impensae sarciantur diligentem partem aut Sanctae Sedis Officium rursus gravaturae.

Item si quis absque legitima causa temere postulet ut quaestio in plena Congregatione proponatur, Cardinalis Officii praeses una cum suo Congressu exigere ab instante poterit, ut congruam summam ad eundem finem, ut supra, deponat.

CAP. V.

DE RELATIONIBUS SUMMO PONTIFICI AGENDIS.

1. In relationibus Pontifici Summo faciendis iuxta memoratam Constitutionem, curae erit, pro implicationibus saltem negotiis, scriptum rei compendium prae oculis habere quod deinde in tabulario adservabitur una cum resolutione, appositis die et anno subscriptoque nomine referentis.

2. Si Romano Pontifici visum fuerit aliquid a Sacra Congregatione deliberatum immutare, de hac re certiores fient Emi. Patres in proximo coetu, ad ipsorum normam.

CAP. VI.

DE MUNERE VARIORUM ADMINISTRORUM COMMUNITER.

1. Praelatus, ad quem, quovis nomine, moderatio Officii a secretis proxime spectat, ut est *num. 2, cap I, Norm. comm.* huius legis, providebit ut negotia, qua par est celeritate ac diligentia expediantur, secundum normas constitutas.

Ad eum pertinet maiorum praesertim negotiorum tractatio, et cura ut, quae ad eadem referuntur, epistolae ac rescripta redigantur.

Ipse Consultoribus committit studium causarum, se *positionum* de quibus dicant rogati sententiam; eosdem convocat quoties oportet, eorumque coetibus praeest.

Interest Congregationibus Patrum Cardinalium, notat forma praescripta quae ipsi decreverint, et ad Sanctissimum Patrem refert statis diebus, quibus ei facta sit Ipsum adeundi potestas.

Pro Cardinali Officii praeside, si desit, Congressus habet ac moderatur. Salvis autem peculiaribus cuiusque Officii normis, communiter eius actis cum Cardinali subscribit.

Administrationi pecuniae advigilat, eamque dirigit secundum legis huius praescripta *num. 7, cap. XI, Norm. comm.* Prudenti eiusdem iudicio relinquitur decernere, utrum praestet, ad eos, qui directam petierint expeditionem negotii tributo gravati, rescriptum, tamquam rem creditam, transmittere, an postulare ut ante solvatur.

Iuxta praescriptum Constit. *Promulgandi*, quae hac ipsa die vulgatur ac praesentis legis pars, moderatoribus *Commentarii officialis de Apostolicae Sedis actis* ipse tradere tenetur exemplaria decretorum Officii sui quae promulgari debent. Quae vero utiliter evulgari possunt, eisdem tradet, Cardinali Officii praeside consentiente. In utroque casu, ea subsignabit, aut ab alio administro subsignari iubebit, in fidem et testimonium veritatis.

Si quae cum aliis S. Sedis Officiis communicari aut eisdem tradi debeant, et in omnibus uti gravius aut urgentius quid accidat, Cardinalem praesidem semper conveniet.

2. Fungentes pro Praelato a secretis, aut Substituti, debent, non solum praescriptas officii sui partes exsequi omnes, sed etiam adiumento esse Praeposito in iis omnibus quae ipse postulet, eiusque absentis aut impediti vice munus implere.

3. Studii adiutores seu informatores (*minutanti*) debent :

(a) in suae quisque causae seu positionis studio versari, in iisque praeterea quas ipsis Officii Praepositi cognoscendas committant; eas in epitomen cogere distincto in folio, quod velut indicem positionis exhibeat actorumque seriem quae deinceps adiecta sunt. Eo compendio non egent expostulationes aut supplices preces paucis contentae verbis, et quae forte longius non protrahentur;

(b) interesse Congressui ut de commissis ad cognoscendum negotiis referant, suamque sententiam proponant, caute primum ut, exceptis urgentioribus casibus aut positionibus, de quibus in litt. a, relatio semper fiat ex scripto ante compendio; deinde, ut in maioribus ac difficilioribus causis positio cum adiecto com-

pendio, ante quam cogatur coetus, ad Praelatum Officio praepositum deferatur, ab ipso vel per se, vel per alium primi ordinis administrum expendenda, quo plenius atque facilius possit de causa penitus cognita in Congressu dicere ;

(c) epistolas et rescripta de rebus ad suam positionem pertinentibus, aut sibi commissis, ductu maiorum administratorum exarare, et statuere quomodo sint transmittenda, utrum et quodnam sive ordinarium sive speciale tributum solvendum sit, an fiat exemptioni locus ;

(d) officiale folium et summarium documentorum maioris momenti conficere, quum res erit ad plenam Congregationem referenda ; eius imprimendi curam suscipere, typicas formas emendare. In hoc autem redigendo folio vigentem consuetudinem retinebunt ; et, ubi res postulaverit, inserent iuris et facti animadversiones vel necessarias vel utiles ad iustam solutionem quaestionis.

4. Adiutoribus et, si fieri potest, etiam scriptoribus, sua cuique negotia erunt materiae aut regionis ratione divisa.

5. Adiutores laurea doctoris oportet esse insignitos in sacra theologia et in iure canonico.

Idem in Congregationibus praesertim, quorum negotia regionis ratione divisa sunt, unam saltem callebunt ex his linguam : gallicam, germanicam, anglicam, hispanicam, lusitanam. Curabunt autem Praepositi ut in Officio a secretis sermones hi omnes intelligantur ; cuius rei gratia opportunum erit, candidatis, etiam ad alia inferiora officia, tamquam conditionem proponere, ut vel unam ex memoratis linguis, pro casibus ac necessitate, sciant.

6. Scriptorum amanuensium est Officii epistolas et rescripta e positione exscribere, et quae paucis recepto usu indicata sint verbis, ea fusius evolvere.

Curam omnem adhibebunt, ut quavis menda scriptura careat ; nec subscribendam tradent nisi prius attente perlegerint. Huic diligentiae qui desit identidem, praebere poterit causam, cur in ipsum severius animadvertatur. Absoluta scriptione, nomen suum et cognomen initialibus litteris positioni adicient in confecti operis testimonium.

Epistolae ac rescripta redigentur communiter in foliis, quae inscriptum gerant suae Congregationis nomen, induentque formam ex instituto Romanae Curiae vigentem.

7. Qui conficiendis tabulis, seu *protocollo*, dant operam in librum et in parvam rubricam documenta referent actaque Officio exhibita ; relatarum in album rerum indicium, vulgo *culum*, folio vel positioni apponent ; rite digestum habebunt librum *rerum notabilium* ; positiones in tabularium nondum relatas

ordine disponent, eas dividentes pro sua quamque dioecesi et pro annorum ac mensium serie, secundum progredientem protocolli numerum.

8. Tabulario addicti eidem recte ordinando vacabunt; positiones resument; utrumque indicem conficient, alterum, litterarum ordine digestum, referentem petentium nomina, aut eorum contra quos expostulatum sit, in causis alicuius momenti; alterum ordine materiae, res maiores complectentem quae anni decursu actae sint; denique, muniti scripto mandato in actis adservando, petita documenta exscribent, eaque exempla cum primo concordare declarabunt.

9. Ad officium expeditionis pertinent ratiocinator, et distributor qui etiam arcarii fungetur munere.

10. Ratiocinatoris erit in menstruum folium referre (de quo huius legis *num. 4, cap. XI, Norm. comm.*) rescripta omnia taxationi obnoxia, indicata dioecesi, numere protocolli ac pecunia Sanctae Sedi solvenda, a maioribus administris aut adiutoribus taxata; ex ea taxatione supputare, servatis normis in memoratis locis huius legis descriptis aliisque seorsim exhibendis, expensas procurationis et executionis, si id negotii fuerit Ordinario commissum; in tergo rescripti, vel distincto in folio secundum praescripta *num. 6, memorati cap. XI*, impresso signo vim pecuniae solvendam notare; eamque, ubi de maiore agatur pecuniae summa, exprimere integris litteris.

11. Distributoris munus erit:

(a) partibus quarum interest aut ipsarum procuratoribus seu agentibus, acta, litteras, rescripta distribuere; pecuniam exigere Sanctae Sedi debitam, si quae sit, eamque in arcae folio notare:

(b) Prospiciet ut epistolae et fasciculi actorum, in Urbe distribuenda, ad eos, ad quos pertinent, apparitorum adhibita opera mittantur: quae vero extra Urbem ex officio mittenda sunt, ea per publicos cursores transmittantur;

(c) Litteras et rescripta, quae occlusa mittenda sunt iuxta *num. 6, memorati cap. XI*, praeposita nominis et loci inscriptione, obserabit;

(d) Ante vero quam acta tradat vel mittat, inspiciet sint ne ipsis rite subscripta nomina; eaque sigillo munienda curabit, secundum Officii normas;

(e) Acta taxationi obnoxia nunquam dimittet ante solutam pecuniam, nisi scripta Praepositorum accedat auctoritas. Quam si cautelam neglexerit, in se periculum recipiet, expletoque mense, de suo restituet;

(f) Distributoris quoque munus est, Praepositorum auctoritate, officiales curare sumptus pro necessaria tabularii seu *cancellariae* suppellectili sive comparanda, sive instauranda;

(g) Tandem si quis Ordinarius petierit ad se directo aliquid mitti, simulque aliquam pro expensis pecuniae vim ad Sanctam Sedem expedierit, distributoris erit missam ad Officium a secretis pecuniam servare, cuius partem administrationi oeconomicae S. Sedis debitam, impetrata gratia, tradet; reliquum, arbitrio mittentis adhibendum, retinebit.

Ad hunc finem, accepti et expensi tabulas peculiares habeat, omnium rationem Praelato a secretis sub exitum mensis redditurus. Pecuniavero in Officii arca, distincto loco, servetur.

12. In Officiis, ubi propter negotiorum numerum unus distributionis administer non sufficiat, alius adiicietur. Munia superius recensita, prudenti Moderatorum arbitrio, inter utrumque dividuntur, ita ut uni cura sit praesertim distributionis litterarum, alteri rescriptorum et perceptionis taxatae pecuniae.

13. Tabularii, protocolli, expeditionis et scriptionis administri censentur inter se pares. Patet igitur iis transitus de uno in aliud officium ex prudenti Moderatorum iudicio, nullo ulterius indicto certamine.

14. A mox recensitis officiis ad munus adiutoris nullus datur adscensus. Quare, vacuo adiutoris officio, peculiare certamen indicetur.

15. Etsi, quod supra dictum est, sua cuique definita sint munia, firma tamen communis manet lex, qua omnes administri debent absentium partes mutua vice supplere, ac fraterna caritate alter alteri adiumento esse, prout aequum Praepositi iudicaverint.

16. Apparitores seu ianitores debent aedes sibi commissas custodire, earum nitorem curare, epistolas et actorum fasciculos ad quos spectant, vel ad stationes tabellarias ferre, aliaque peragere quae a Moderatoribus commissa habeant in sui Officii commodum.

Salvis, si quae sint, iuribus acquisitis a praesentibus Officiorum apparitoribus, ceteri ex eo numero posthac eligentur ad triennium, eaque nominatio poterit ad ulteriora triennia prorogari, prout ipsi sese integros idoneosque probaverint.

Omnes denique iusiurandum interponent de secreto servando in sui Officii rebus huic nexui subiectis.

CAP. VII.

DE SINGULIS SAGRIS CONGREGATIONIBUS.

Art. I.—*Congregatio Sancti Officii.*

1. Huius Congregationis administri maiores, post Cardinalem a secretis, sunt Adsector et *Commissarius*.

2. Consilium constabit, ut ante, Consultoribus a Summo

Pontifice nominandis. Praeter Consultores, pergunt esse nonnulli Censores, vulgo *Qualificatori*.

3. Minores administri ad cetera quae retinebunt munia adiunctam habebunt indulgentiarum expeditionem.

4. Unus e substitutis notariis officium sibi assumet imponendae taxationis rescriptis, quibus dispensatio conceditur ab impedimentis *disparitatis cultus et mixtae religionis*, aut impertiuntur indulgentiae.

5. Alterius erit epistolas et rescripta distribuere debitamque pecuniam exigere.

6. In tractandis negotiis quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant, et in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus, atque in iis omnibus quae ad dispensationes ab impedimentis *disparitatis cultus et mixtae religionis* referuntur, Congregatio Sancti Officii suo more institutoque procedit, sibiue propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac lege constitutis, quantam cum necessaria S. Officii disciplina componi possint.

Congruenter ad haec, dubia quae circa competentiam Sancti Officii in aliqua re oriri possunt, ipsamet haec Congregatio per se dirimet, servatis semper terminis a Constitutione *Sapientis consilio* praefinitis.

7. Mos procedendi S. Officii, de quo in superiore *n. 6*, itemque temporalis suae administrationis gerendae ratio, quamprimum erunt scripto redigenda, et postquam a Patribus Cardinalibus revisa fuerint, per Cardinalem a secretis Summo Pontifici erunt subicienda ut approbentur.

8. *Circa indulgentias*, in ea parte quae est disciplinae et gratiae, nova Romanae Curiae ordinatione Sancto Officio tributa, haec Congregatio adhaerebit normis ea de re propositis a Clemente IX in Constit. *In ipsis*, die 6 mensis Iulii a. 1669, quae lex plene vigeat. Ipsius igitur erit "omnem difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emergentem, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi; ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi; impressas recognoscendi et examinandi ac, ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi; ac in concedendis indulgentiis moderationem adhibendi."

Firma pariter manet lata lex per decretum sacrae Congregationis Indulgentiarum ac Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die 28 mensis Ianuarii a. 1756, et a Pio IX confirmatum die 14 Aprilis 1856, hoc est: "Impetrantes posthac

generales indulgentiarum concessionones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earundem concessionum ad Secretariam sacrae Congregationis deferre."

9. Rebus huius partis liber protocolli destinabitur ac distinctum tabularium. Erunt etiam et administer maior titulo Substituti, et peculiares Consultores.

10. Congressus pro his negotiis constabit Cardinali a secretis, Adessore, Commissario, et Substituto indulgentiarum.

11. Administri, Consultores, Cardinales, quibus de hisce rebus erit agendum, non obstringentur circa eas speciali vinculo secreti S. Officii, sed communi a praesenti lege praescripto.

12. Indulgentiarum petitiones, dubia, occurrentes quaestiones, relata prius in librum protocolli, ad Substitutum transmittentur primo eius examini subiicienda.

13. Si, quemadmodum superius praescriptum est *cap II Norm. pecul.*, agatur de gratia quae secundum vigentem consuetudinem communiter concedi soleat, et si dubiorum et quaestionum solutio obvia et perspicua fiat ex iam probatis receptisque sententiis, res in Congressu diiudicari poterit, ad normam facultatum, quas Pontifex Maximus concedendas censuerit.

Sin aliter, res in plena Congregatione tractabitur cum folio officii per Substitutum redigendo, atque uno aut pluribus Consultorum suffragiis. De soluta vero quaestione relatio erit peragenda Pontifici.

14. Mittentur per *Breve* indulgentiae perpetuae, itemque ex temporariis illae quae totam dioecesim, provinciam, regionem, vel universam Ecclesiam complectuntur; tum etiam facultates perpetuae applicandi indulgentias alicui piaae suppellectili.

Substitutus ab indulgentiis cum Cancellario Brevium communicabit de rebus necessariis ad executionem Brevis.

15. Epistolae ac rescripta de indulgentiis a Congregatione Sancti Officii exarata, subscriptum gerent nomen Cardinalis a secretis, aut alicuius ex Emis. Patribus eiusdem sacri Consilii, contra posita subscriptione Adessoris eoque impedito, Substituti ab indulgentiis.

Art. II.—*Congregatio Consistorialis.*

1. Post Cardinalem a secretis, maiores administri sunt Adessor et Substitutus.

2. Collegium erit Consultorum, iuxta praescriptum Constitutionis *Sapienti consilio*.

3. Habebitur quoque sufficiens administratorum minorum numerus pro expediendis negotiis huius Congregationis propriis, iuxta statuta in *cap. VI* praecedenti.

4. Praeter commune iusiurandum, omnes qui aliquo munere

in hac sacra Congregatione funguntur, illud etiam dabunt, quod Sancti Officii iusiurandum dicitur, his verbis expressum :

“ In nomine Domini.

“ Ego N. N. sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua, praeterquam in articulo mortis, a nullo nisi a Summo Pontifice, ipso quidem Cardinali Poenitentiario excluso, absolvi possim; et sub aliis poenis etiam gravissimis arbitrio Summi Pontificis mihi in casu transgressionis infligendis, spondeo, voveo ac iuro, inviolabile secretum me servaturum in omnibus et singulis quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint; itemque in omnibus quae ad dioecesum erectionem seu earumdem unionem spectent, exceptis dumtaxat iis quae in fine et expeditione eorumdem negotiorum legitime publicari contingat: et hoc secretum me servaturum cum omnibus qui eodem iuramenti vinculo constricti non sint, et cum iis etiam qui quamvis hoc secreto teneantur et ad Congregationem Consistorialem pertineant, nihilominus in Urbe habitualiter non commorantur: neque unquam, directe, nutu, verbo, scriptis, aut alio quovis modo et sub quocumque colorato praetextu, etiam maioris boni aut urgentissimae et gravissimae causae, contra hanc secreti fidem quidquam commissurum, nisi peculiaris facultas aut dispensatio expresse mihi a Summo Pontifice tributa fuerit.

“ Denique si supplices libellos, commendationes aut litteras de memoratis negotiis a qualibet persona receperim, sacrae Congregationi rem patefaciam.

“ Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango.”

5. Invitationes ad solemnia pro decernendis Sanctorum Caelitum honoribus, ad aliasque sacras celebritates, fient per huius Congregationis epistolas.

6. Plenae Congregationis ius competit nominandi Episcopos omnes, stabiles Ordinarios dioecesanos, Visitatores Apostolicos dioecesum. Ad eandem pertinet novas dioeceses constituere, constitutas unire; canonicorum collegia, seu *Capitula*, erigere; Visitorum atque Ordinariorum de statu suarum dioecesum relationes expendere; dioecesano regimini ac Seminariis universim prospicere; specialiter vero iis omnibus occurrere quae graviora videantur, prout ante praescriptum est; denique in conflictatione iurium dubia solvere circa competentiam omnium Officiorum, excepta Congregatione Sancti Officii, quae ipsa per se de sua competentia iudicabit, iuxta superius dicta.

In Episcopis nominandis, quoties id ei competat, Congregatio Consistorialis inhaerebit normis Constitutionis *Romanis Pontificibus*, diei 17 mensis Decembri 1903.

7. Ad Congressum pertinet, praeter ea quae communibus huius legis normis sunt constituta, nominare Administratores Apostolicos temporarios dioecesium, ubi necessitas urgeat; acta omnia conficere ad praeparandam positionem super eligendis in Italia Episcopis, et ad reliqua in plena Congregatione discutienda; ea providere quae dioecesium ac Seminariorum ordinarium regimen spectant, qualia sunt dispensationes Episcopis a commorando in sua sede, facultas iisdem protrahendi relationem de statu dioecesis, aliaque huiusmodi; quaecumque denique ad solvendam pro eiusdem Congregationis actis pecuniam referuntur.

8. Relationes de statu dioecesium, nisi gravior urgeat providendi ratio, ad plenam Congregationem non deferentur seorsim singulae, sed pro variis provinciis regionebusve coniunctae.

Adiutor autem in redigendo summario res adnotabit maioris momenti, sive quae bene, sive quae male successerint.

9. Idem fere servabitur in relationibus Visitorum Apostolicorum.

10. Nominationes omnes quae solent in Consistorio promulgari, non aliter fient nisi per litteras signo Romani Pontificis impressas, seu per *Bullam*.

Eadem ratione decretur mittentur alicuius novae constituendae dioecesis, aut canonicorum collegii, seu Capituli, aut uniendarum dioecesium.

11. Administri maiores Congregationis Consistorialis significationes opportunas ad *Bullam* conficiendam maioribus Cancellariae administris exhibebunt. Eiusmodi significatio in Cancellaria retinebitur, et Bulla, debito sigillo et subscriptione munita secundum proprias Cancellariae Apostolicae normas, quamprimum transmittetur ad Officium a secretis Congregationis Consistorialis.

12. Quae pro Bullae expeditione imponetur solvenda pecunia, Congregationi Consistoriali tradetur integra.

Ad hunc finem administri maiores aut adiutores Congregationis Consistorialis constituent pretium, quod referetur in librum; et ab administris expeditionum secundam normas communes percipietur.

Art. III.—*Congregatio de Sacramentis.*

1. Maiores administri, post Cardinalem Prefectum, erunt Praelatis a secretis et Subsecretarii tres.

2. Theologi et sacri iuris periti aliquot, a Summo Pontifice delecti, munere Consultorum fungentur.

3. Aderit quoque congruus administratorum minorum numerus.

4. Ex tribus Subsecretariis unus, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, in petitiones omnes circa impedimenta matrimonii praecipue incumbet.

5. Alter Subsecretarius, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, ceteras curabit preces ad matrimonia pertinentes, uti sanationes in radice, natalium restitutiones, quaestiones, de iustis aut irritis coniugiis, vel de dispensatione in matrimonio rato, dubia, et huiusmodi alia.

6. Tertius Subsecretarius, cum adiutore et aliquot scriptoribus, sacrae Ordinationis aliorumque Sacramentorum rebus, excepto matrimonio, vacabit.

7. Protocolli duo libri sunt; alter precum pro dispensationibus ab impedimentis matrimonii; alter postulationum ceterarum, sive quae ad matrimonium, sive quae ad reliqua Sacramenta referantur.

Bini administri primo protocolli libro redigendo praecipuam operam dabunt; bini secundo.

8. Etiam tabularium duplici parte constabit; altera cui erunt reservatae positiones dispensationum ab impedimentis matrimonii, altera pro ceteris.

9. Potestas huius Congregationis propria statuta est a Constitutione *Sapienti consilio*.

10. Peculiariter vero ad eam pertinet has concedere facultates, quae ad omnem tollendam ambiguitatem heic recensentur, hoc est:

(a) adservandi SSmam. Eucharistiam in templis aut in sacelli eo iure carentibus;

(b) celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans;

(c) erigendi altaris ad litandum sub diu;

(d) celebrandi ante auroram et post meridiem;

(e) legendi Missam feria V in Coena Domini, itemque tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SSmae. Eucharistiae;

(f) utendi pileolo vel capillamento in celebratione Missae aut in deferenda SSma. Eucharistia;

(g) coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis;

(h) celebrandi Sacrum in navibus;

(i) Episcopum consecrandi die alio ab iis qui in Pontificali Romani statuti sunt;

(k) sacros Ordines extra tempora conferendi ;

(l) eximendi fideles, ipsosque Sodales religiosos, quoties opus sit, a lege ieiunii eucharistici.

11. Plenae Congregationis iudicio reservatur :

(a) in re ad matrimonium pertinente examen petitionum dispensationis ab impedimentis difficultatem non communem exhibentibus, sive ea exsurgat ex natura rei, sive ex dubio de legitima dispensandi causa ; separatio coniugum non pacifica ; sanationes in radice ; natalium restitutiones difficilioris negotii ; cognitio causarum irriti matrimonii ac dispensationum super matrimonio rato, quae plenae Congregationis iudicium postulent ; denique dubia omnia iuris circa disciplinam sacramenti matrimonii, quibus obvia et perspicua solutio nulla inveniatur in causis alias decisis, prout superius dictum est ;

(b) in ceteris Sacramentis quaestiones omnes disciplinam spectantes, quarum flagitetur solutio, si haec in sententiis iam probatis et in rebus alias iudicatis nulla habeatur ; item petitiones gratiarum ac dispensationum non communium, quae a Congressu disceptatione digna videantur. Quapropter plenae Congregationi competent dispensationes ab irregularitate ad sacram Ordinationem in casibus dubiis vel difficilioribus, aut ubi impetrata gratia in dedecus cessura sit ecclesiastici coetus ; supplices libelli circa irritam sacram Ordinationem aut circa eiusdem obligationes, aut ab his exemptionem, ubi causa solo disciplinae tramite tractanda sit ; quaestiones iuris de loco, tempore, conditionibus ad Sacrum faciendum, ad ipsum geminandum, ad recipiendam adservandamque Eucharistiam necessariis ; item de loco, tempore, conditionibus ab ecclesiastica disciplina requisitis ad cetera Sacramenta legitime ministranda et recipienda ; simulque petitae hac de re dispensationes extraordinariae.

12. Ad Congressum pertinet iudicium de rebus ad plenam Congregationem deferendis, eorumque omnium instructio quae habendo consilio afferant lucem, sive institutis de facto investigationibus, sive exquisitis unius alteriusve Consultoris, aut etiam omnium, sententiis.

Eidem Congressui iudicare licet, atque etiam concedere, pro facultatibus quas Pontifex Maximus Cardinali Praefecto et Praelato a secretis tribuendas censuerit, dispensationes ab impedimentis matrimonii, ad normas inferius exhibendas.

Pariter ad Congressum pertinet ab aetatis ac tituli defectu dispensationes clero saeculari concedere ; ab eucharistico ieiunio dispensare ; permittere ut Augustum Sacramentum adservetur in ecclesiis et oratoriis quae hoc iure carent, et ut sanctum sacrificium celebretur in privatis sacellis, in iis casibus quibus

huiusmodi gratiae impertiri solent, ad vigentis disciplinae normas et secundum communem legem superius memoratam.

13. Documento forma Brevis, redacto tamen in huius Congregationis Officio secreto, mittentur dispensationes ab impedimentis matrimonii cuiusvis gradus, modo honestae naturae, si dispensationes ipsae sint maioribus obnoxiae taxationibus.

Ceterae dispensationes documento mittentur forma rescripti.

14. Indulta privati sacelli cuiusvis generis, sui, familiae, aliorumve commodi causa petita, mittentur per Breve in proprio Secretariae Status officio redigendum.

Ab hac tamen lege eximuntur sacerdotes vel senio vel morbo affecti, qui solvendo pares non sint. Ad hos gratia mittetur forma rescripti et ad normas huius legis *cap. XI, Norm. comm.*

15. Indulta perpetua SSmae. Eucharistiae adservandae in aliquo templo vel sacello, privilegii huius expertibus, pariter per Breve mittenda sunt. Temporaria mittentur per rescriptum, iisdem quae superiore numero normis.

16. Ubi gratia per Breve mittenda sit, Praelatus a secretis aut Subsecretarius, ad quem negotium pertinet, certiore de re faciet Cancellarium Brevium cum eoque opportunas normas communicabit. Ille vero cuius interest hoc Officium adhibet, suum documentum recepturus.

17. Si Summus Pontifex consuetas Congregationi facultates concedat, circa dispensationes ad impedimentis matrimonii servantur hae leges :

(a) in impedimentis *minoris gradus*, de quibus inferius *num. 19*, ubi nihil obstat quominus dispensatio concedatur, gratiae concessio, loco maiorum Praepositorum, a Subsecretario *dispensationum*, aut ab eius adiutore signatur ;

(b) in impedimentis *maioris gradus*, de quibus proximo *num. 20*, si nihil pariter obstat, dispensatio a Cardinali Praefecto conceditur, aut a Praelato a secretis.

18. In dubiis, Subsecretarius de re conferet cum Praelato a secretis aut cum Cardinali Praefecto ; hic ad Congressum plenamve Congregationem referet ; ad ultimum, prout res ferat, relatio fiet Summo Pontifici.

19. Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis :

(a) consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti vel tertii mixti cum secundo ;

(b) affinitatis in primo gradu, et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat ;

(c) cognationis spiritualis cuiusvis generis ;

(d) publicae honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium ratum, super quod iam dispensatum sit, fueritque solum.

20. Dispensationes *maioris gradus* concedi solitae, interveniente legitima causa, sunt ab impedimentis :

(a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis ;

(b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis ;

(c) criminis ex adulterio cum promissione future matrimonii.

21. Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint ; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio, sive subreptionis.

22. Nisi Cardinalis Praefectus aut Praelatus a secretis aliquam sibi petitionem aut plures reservarint, supplices libelli omnes ad impetrandam dispensationem ab impedimentis, relati prius in tabulas, a protocollo ad Subsecretarium dispensationum eiusque adiutorem transmittentur.

Hi, opere inter sese aequa ratione distributo, quae ad ipsos pertinent, secernent a ceteris. Supplicibus libellis sibi reservatis consulent, signando gratiae concessionem initialibus sui nominis et cognominis litteris. Iidem constituent debeatne dispensatio esse gratuita, an et quanti taxanda. Si vero gratia mittenda sit forma Brevis, id adnotare ne omittant. Post haec supplices libellos, quibus fuerit provisum, scriptoribus expediendos committent.

De ceteris petitionibus quamprimum ad Cardinalem referent aut ad Praelatum a secretis, ut opportune ipsi provideant.

23. Cardinalis et Praelatus a secretis, legitime impediti, possunt negotium Subsecretario committere largiendi dispensationes sibi reservatas, intra limites et cautelas quas duxerint necessarias.

24. In dispensationibus minoris gradus et in negotiis minoris momenti poterit documento subscribere Subsecretarius ad quem pertinet res, aut, hoc impedito, alteruter e duobus reliquis Subsecretariis, contra posita subscriptione amanuensis qui documentum exaravit tamquam *officialis*.

In maioris gradus dispensationibus et in negotiis maioris momenti documento subscribet Cardinalis Praefectus, aut alius eiusdem Congregationis Cardinalis, contraposita subscriptione Praelati a secretis, aut, hoc impedito, alicuius e Subsecretariis, ut in superiore numero.

Art. IV.—*Congregatio Concilii.*

1. Administri maiores, post Cardinalem Praefectum, sunt Praelatus a secretis et Subsecretarius.

2. Erit collegium Consultorum a Summo Pontifice renuntiantorum, quorum aliqui probati sint temporalium etiam gerendarum rerum peritia.

3. Aliquot etiam minores administri erunt, iuxta norma superius datas.

4. Potestas huius Congregationis propria statuta est in Constitutione *Sapienti consilio*.

Ad omnem tamen tollendam ambiguitatem, quae forte in aliquibus casibus oriri posset, nonnullae heic peculiares singillatim recensentur facultates, quae uni Concilii Congregationi reservantur. Eius itaque dumtaxat erit in posterum concedere :

(a) collegiis canonicorum, seu Capitulis, dispensationes ab obligatione celebrandi Missam feriae ac vigiliae ; Missae canendae et applicandae conventualis ; canendi atque in choro recitandi horas canonicas ;

(b) tum Capitulis, tum singulis e clero saeculari, anticipationem recitationis officii matutini :

(c) capitulis anticipationem Vesperarum et Completori ante meridiem ;

(d) sacerdotibus e clero saeculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus ;

(e) dispensationem a ieiunio praescripto ante consecrationem sacrarum aedium ;

(f) facultatem in interno templi, vel publici sacelli pariete fenestram faciendi extruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat ;

(g) dispensationem a laurea doctoris, sive ex tabulis institutionis, sive ex lege praescripta ad beneficium vel officium aliquod assequendum, quorum largitio ad Ordinarium pertineat.

5. Item ad Concilii Congregationem spectat iudicium de controversiis omnibus circa potioem dignitatis locum, seu *praecedentiam*, exceptis iis quae Sodales religiosos attinent (quae controversiae Congregationi religiosorum Sodalium sunt reservatae), iisque pariter demptis quae *Cappellam*, Aulam pontificiam et Patres Cardinales spectant ad Caeremonialem deferendae.

Item ad eam pertinet videre, administrationis et disciplinae tramite, de servitutibus, quas aedi sacrae se constituisse aliquis iacet, aut quas eidem velit imponere, qualia sunt habitatio in superiori contiguatione, murorum impositio, atque horum similia.

6. Ad plenae Congregationis iudicium pertinent

(a) examen dubiorum circa iuris interpretationem in huius Officii rebus, quae dubia nullam facilem solutionem atque perspicuam nanciscantur in constitutis legibus, aut in alias decisis; examen petitarum gratiarum, dispensationum, indultorum, quae concedi fere non soleant eo modo, aut ea latitudine; aliaque, quemadmodum superius dictum est;

(b) cognitio Conciliorum provincialium.—Qua in re, ad vigentis disciplinae normam, unius Consultoris primum exquiretur sententia; deinde horum Collegii, aut partis eiusdem, non infra numerum Consultorum quinque, per vices eligendorum. Tum vero adiutor regionis, ad quam pertinet provinciale Concilium, acta et suffragia typis imprimenda curabit.

Pariter quidquid maioris ponderis in Episcoporum coetibus contigerit statutumve sit, ad plenam Congregationem referatur.

7. congressus autem est, ad normam legis communis, necessaria parare ad negotiorum examen, quae plenae Congregationi sint reservata, ordinarias res expedire, solitas gratias concedere usitatis formis et pro facultatibus a Summo Pontifice acceptis.

8. In administrandae pecuniae negotiis, suae ac peculiare erunt servandae normae.

9. In rebus sanctae Domus Lauretanae, normae pariter servantur superius constitutae.

Art. V.—*Congregatio de Sodalibus religiosis.*

1. Huius Congregationis administri maiores sunt pariter, post Cardinalem Praefectum, Praelatus a secretis et Subsecretarius.

2. Erit collegium Consultorum a Summo Pontifice eligendorum.

3. Erunt etiam aliquot officiales minores, quot necessarii sunt iuxta regulas superius datas.

4. Alterius ex adiutoribus proprium officium esto curare quae ad religiosos Ordines pertinent; alterius quae ad congregationes et omne genus instituta virorum; tertii quae ad congregationes et instituta mulierum.

Pro unoquoque horum munerum sui erunt scriptores distributi.

5. In decernendo quanam in plena Congregatione tractanda sint, quanam maioribus administris aut Congressui reservanda, prae oculis habeantur superius *cap. II* constitutae normae, et quae in memoratis hactenus Congregationibus indicatae sunt.

6. Decretum quo laudatur probaturque institutum aliquod, et decretum approbationis constitutionum, itemque substantialis mutatio quaevis in iam probatis institutis inducenda, ad plenam Congregationem semper pertinebunt.

Art. VI.—*Congregatio de Propaganda Fide.*

1. Congregatio haec retinet constitutionem, disciplinam agendique rationem sibi propriam, in iis omnibus quae cum dispositionibus Const. *Sapienti consilio* et praesentis legis componi possunt.

2. Iuxta vero ea quae pro aliis Congregationibus statuta sunt, in officio a secretis alius administer adiicitur, nempe Subsecretarius.

3. Indulta quae hactenus haec sacra Congregatio concedere solebat iis etiam qui suae iurisdictioni non essent obnoxii, in posterum suis subditis tantum tribuet.

4. Congregatio de Propaganda Fide pro Negotiis ritus orientalis sua munia ex integro servabit. In iis tamen, quae internam Officii disciplinam et modum tractandi negotia spectant, huius legis normis sive communibus sive peculiaribus inhaerebit.

5. Circa huius Congregationis et Camerae Spoliorum administrationem, peculiaris norma quamprimum dabitur, quae, a speciali Cardinalium coetu revisa, per Emum. Praefectum Summi Pontificis approbationi subiicietur.

Art. VII.—*Congregatio Indicis.*

1. In ratione gerendarum rerum et in disciplina ac muniis administratorum haec Congregatio suas retinebit normas, se tamen conformando statutis Const. *Sapientia consilio* et praesentis legis.

2. Administri, Consultores, Cardinales huius Congregationis iusiurandum dabunt de secreto Sancti Officii servando, ut ipsis cognita sint quae ab eo sacro Consilio de prohibitione librorum agantur, ad normas memoratae Constitutionis.

Art. VIII.—*Congregatio SS. Rituum.*

1. Suam, quam hactenus, constitutionem retinet atque naturam, salvis praescriptionibus Const. *Sapienti consilio* atque huius legis, in iis quae ad Congregationem hanc referuntur.

2. Itaque, quum huius proprium et cum aliis non commune sit munus curandi ut, in universa Ecclesia latina, sacri ritus ac caeremoniae diligenter servantur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, id circo debet:

(a) advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva Sancti Officii competentia in iis quae fidei capita, seu dogmata, respiciunt;

(b) excutere atque approbare nova officia divina et calendaria;

(c) dubia de ritibus iudicare ac dirimere ;

(d) quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere, veteri retento catalogo, novis tamen disciplinae normis circumscripto, iis praesertim quae superius allata sunt *num.* 10, de Congregatione Sacramentorum, et *num.* 4 et 5 de Congregatione Concilii.

3. Negotiis ad plenam Congregationem deferendis aut in Congressu tractandis erunt aptandae regulae haud semel indicatae in superius memoratis Congregationibus et superiore *cap. II.*

4. In causis *Beatificationis* et *Canonizationis* standum normis eius rei propriis ac peculiaribus, servatis tamen semper huius legis praescriptionibus ad hoc genus materiae pertinentibus.

5. Circa sacras Reliquias, Congregatio Rituum inhaerebit praescriptis Const. *In ipsis*, die 6 mensis Iulii a. 1669, superius memoratae sub *art I*, de Sancto Officio.

Art. IX.—*Congregatio Caereemonialis.*

Congregatio haec, suapte natura, constitutionem suam ac disciplinae rationem stabilem retinet nullique mutationi obnoxiam.

Art. X.—*Congregatio pro Negotiis eccl. extraordinariis.*

Huius pariter Congregationis natura et constitutio, non minus quam ratio disciplinae, immutata manet, salvis praescriptionibus eam spectantibus, in Const. *Sapienti consilio* et in hac adiecta lege comprehensis.

Art. XI.—*Congregatio Studiorum.*

1. Quatenus sit huius Congregationis auctoritas statuitur in Const. *Sapienti consilio*. In iis vero quae ad internam disciplinam et negotiorum expediendorum rationem pertinent, regulas in hac lege statutas sive communes, sive peculiare servabit.

2. Plenae Congregationi huius Officii competunt condendae novae studiorum Universitates ac Facultates omnes, quibus ius est academicos gradus conferendi ; mutationes maioris momenti in iisdem iam institutis ; cognitio quaestionum graviorum in ipsis occurrentium de patrimonii administratione, de magistri alicuius decurialis nominatione, de ratione studiorum, et de aliis huiusmodi ; item quae necessario capienda consilia in commune videantur ; postremo iudicium de excellenti aliquo viro academicis gradibus *ad honorem* decorando.

3. Congressu officium est ad plenam Congregationem deferenda parare ; leviores controversias in aliqua studiorum Universitate vel Facultate subortas dirimere, ad normam praescriptorum superius.

4. Si qua velit in posterum studiorum Universitas aut Facultas nova constitui, opus est id fieri per Breve. Nulla pariter in praesentem Facultatum et Universitatum statum gravior immutatio induci poterit nisi per Breve.

CAP. VIII

DE SINGULIS TRIBUNALIBUS.

Art. I.—*Sacra Poenitentiaria.*

1. Tribunalis huius ambitu ad solum forum internum coarctato, suis muniis addicti manebunt, praeter Cardinalem Poenitentiarium, Regens, Praelati quinque Signaturae, Procurator seu a secretis, Substitutus et aliquot inferiores officiales.

2. In officii parte quam retinet, hoc sacrum Tribunal se geret ad normas praesertim Const. *In Apostolicae*, editae die 13 mensis Aprilis a. 1744 a Benedicto XIV, salvis immutationibus legitimo usu posterius inductis, quae erunt scripto redigendae et a Cardinali Poenitentiario subiiciendae approbationi Pontificis; firmisque praescriptis a Const. *Sapienti consilio* et ab hac lege, in omnibus quae hoc sacrum Tribunal spectent.

3. Iuxta memoratae Constitutionis Benedicti XIV praescripta omnia secreto et gratis in hoc sacro Tribunali expedientur.

Art. II.—*Sacra Romana Rota et Signatura Apostolica.*

1. Utriusque Tribunalis quae debeat esse procedendi ratio, qui et quales administri a *Lege propria* potissimum decernitur adiuncta Constitutioni *Sapienti consilio*.

2. Nihilominus in his etiam Officiis servanda sunt praesentis Ordinationis praescripta in iis omnibus quae ad expedienda negotia, ad iusiurandum, ad administrorum munia horumque similia referuntur, quantum scilicet huius Ordinationis normae cum *Lege propria* consentiant.

CAP. IX.

DE SINGULIS OFFICIIS.

Art. I.—*Cancellaria Apostolica.*

Purpuratorum Patrum coetus, constans Cardinalibus tribus, Cancellario, Datario et a secretis Consistorialis, reformandas quamprimum curabit formulas *Bullarum collationis* beneficiorum, sive consistorialium, sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesium, Capitulorum; denique Regularum quas *Cancellariae* vocant.

Art. II.—*Dataria Apostolica.*

1. Ob inductam a Const. *Sapienti consilio* novam ordinationem, Datariae Apostolicae hoc relinquitur munus, quod in beneficiorum non consistorialium collatione versatur. Atque in hoc etiam Officio sunt retinendae normae huius legis in iis quae ipsum attingant.

2. In collatione beneficiorum ea ratio servabitur, quam praesens lex et vigens usus praestituunt, cauto tamen ut hic cum novis praescriptionibus memoratae Constitutionis cohaereat, donec, reformatis Cancellariae Regulis, aliter provideatur.

3. Bullae collationis prima praescriptio (*minuta*) fieri debebit ab uno adiutore, et loco erit veteris, uti vocant, *supplicationis*; eaque in actis servabitur ad cautionem et recognitionem, si qua forte inciderit impugnatio.

Nihil immutatur in invento usu providendi nonnunquam beneficiis per decretum *simplicis signaturae*, hoc est nullis Bullis expeditis.

4. Subscribetur Bullis a Cardinali Datario, eoque impedito, a Cardinali a publicis negotiis seu a *Secretis Status*, contra posita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit, et in officio adsit.

5. Curabit praeterea Dataria ut imponantur et exigantur pensiones et onera beneficiis Urbis adnexa, ad arcam pensionum, quam vocant, pertinentia. Quare officialis distributor exiget solvendam ab iis pecuniam, qui oneribus aut pensionibus graventur; ac deinde ius habentibus ad pensiones aliave emolumenta debitis modis satisfaciet.

Trimestri quoque spatio Cardinalis Datarius, aut eius vice alius, arcae statum explorabit, supputatisque rationibus, suae auctoritatis testimonium adscribet.

Art. III.—*Camera Apostolica, Secretaria Status, Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.*

1. Haec Officia receptum hucusque suis muniis fungendi morem ut ante retinebunt, salvis praescriptionibus Const. *Sapienti consilio* et huius Ordinationis, in iis omnibus quae eadem attingant.

2. Peculiaris coetus trium Cardinalium, quos inter Cardinalis a *secretis Status*, Brevium Apostolicorum formas instaurandas curabit, quae ab ea *Secretariae Status* parte mitti solent, cui est Apostolicorum Brevium cura commissa.

APPENDIX.

INSTITUTIO CIRCA MODUM IN TABULAS REFERENDI ET
SCRIPTA EXPEDIENDI.

1. In omni Officio liber erit annui protocolli, in quod, ordine temporis, preces et expostulationes referentur singulae, quae per annum exhibeantur.

Haec in album adscriptio, post numerum ordinis, indicabit : 1. dioecesim, ad quam preces aut expostulationes pertinent ; 2. petentem aut expostulantem ; 3. cur, aut contra quem expostulatio fiat ; 4. exhibitionis diem ; 5. procuratorem, seu agentem, si fuerit interpositus. Subinde vacuum chartae relinquetur spatium, in quo notetur, qui fuerit negotii processus, hoc est, scriptumne sit ad Ordinarium, impetratane gratia, an transmissa, negata, dilata, et ita porro.

Numerus protocolli debet in supplicem libellum referri, scriptum ad modum fractae partis, cuius *numerator* exprimat ipsius numerum protocolli ; *denominator* vero annum, elisis litteris. Ita si negotium, pertinens ad annum 1908, in protocolli libro numerum ferat 500, inscribendum positioni erit fracta sic parte : $\frac{500}{108}$. Tergo praeterea supplicis libelli apponentur adnotationes earum fere similes, quae in libro protocolli, hoc est, nomina dioecesis, recurrentis, ac cetera.

2. Habebitur etiam protocolli index, hoc est annua parva rubrica, in quam negotia ordine diocesum digesta referantur, indicto, post nomen dioecesis, nomine postulantis cum numero protocolli, quo facilius investigationes in positionibus institui possint.

3. Numerus protocolli, semel positioni adsignatus, manet, etsi negotium ultra annum trahatur. Quod si, aut instaurata post aliquot annos quaestione, aut alia quavis de causa contingat, ut alius ei sufficiatur numerus, huius mentio fiet in priore numero, tam in libro protocolli quam in parva rubrica.

4. Relatis in protocollum chartis, resumptisque, si quae sint, prioribus positiones ad maiores administros aut adiutores transmittendae sunt, eorum cognitioni subiiciendae et ad rem, secundum suas cuiusque Officii normas, ad exitum deducendae.

5. Re deliberata et provisa, positiones deferendae sunt : (a) ad scriptores, quoties eadem de re aut epistola conficienda sit, aut aliquis vocandus, aut exarandum rescriptum ; (b) ad distributorem si positio Consultori vel alio viro studii causa committenda sit ; (c) ad protocollum, si aut iussum fuerit resumere priores, aut si coeptum consilium peculiarem executionem non postulet,

quemadmodum si rescriptum sit ; *ad acta, reponatur, lectum*, aut horum aliquid simile.

6. Nisi quid aliter in suis cuiusque Officii normis praescriptum sit, aut nisi Moderatores opportunum duxerint alia ratione consulere, communiter ad eum qui prior est inter addictos protocollo, haec munium partitio spectabit. Ipsius igitur erit suas cuique scriptori positiones adsignare, prout singulis competunt sive ratione territorii, sive materiae. Idem in protocolli libro rescripta, de quibus *litt. b et c num. 5*, superioris, notabit. Priora vero illa, de quibus *litt. a*, in album referet absoluto negotio.

7. Scriptores, expleto suo munere, positiones cum adiectis rescriptis ad ratiocinatorem transmittent.

Hic acta tradet ad subsignandum. Actorum vero fasciculos, seu *positiones*, apud se retinebit, ut in suo administrationis folio et deinde super rescriptis, cum subsignata redierint, taxationes adnotet, si quae sint adiectae. Deinde positiones ad protocollum remittet, cum sigla ex convento constituta ad significandum omnia esse confecta ; litteras vero et rescripta distributori tradet.

8. Protocollo addictus rem in librum referet et positiones in suo quamque loco reponet. Distributor autem acta secundum proprias leges distribuenda curabit.

9. Si non subscripta redierint acta, vel si cum aliqua animadversione coniuncta, administri, pro variis casibus, Praepositorum sese mandatis conformabunt.

10. Memoratae normae sunt omnibus retinendae diligenter, nisi quid in iis quae sequuntur peculiaribus legibus exceptum sit pro aliquo Officio.

Quae superioribus capitibus continentur, SSmi. D. N. Pii PP. X iussu accedunt Constitutioni Sapienti consilio editae die 29 mensis Iunii a. 1908 et Ordinationi communi tunc temporis vulgatae. Eadem proinde vi pollent, anteriores abrogant contrarias leges, et servari ab omnibus integre debent, quavis alia ordinatione, usu, privilegio contrariis non obstantibus.

Datum Romae, die 29 mensis Septembris an. 1908.

De speciali mandato SSmi. D. N. Pii Papae X.

R. Card. MERRY DEL VAL.

DECREES.

CONGREGATION OF RITES.

Novae Lectiones historicae in festo S. Bonaventurae.

DIE XIV IULII.

S. Bonaventurae Episc. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequ.

In utrisque Vesperis. Ad Magnificat. Ant. O Doctor.....Beate Bonaventura.

Oratio. Deus, qui populo tuo.

In I. Nocturno. Lect. Sapientiam de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Lectio IV. Bonaventura, Balneoregii in Etruria natus, a lethali morbo adhuc puer, beati Francisci precibus, cuius religioni, si convalesceret, voto matris dicatus fuerat, evasit incolumis. Itaque adolescens, Fratrum Minorum institutum amplecti voluit, in quo ad eam doctrinae praestantiam Alexandro de Ales magistro pervenit, ut septimo post anno Parisiis magisterii lauream adeptus, libros Sententiarum publice summa cum laude sit interpretatus, quos etiam praeclaris postea commentariis illustravit. Nec scientiae solum eruditione, sed, et morum integritate, vitaeque innocentia, humilitate, mansuetudine, terrenarum rerum contemptu et coelestium desiderio mirifice excelluit: dignus plane, qui tamquam perfectionis exemplar haberetur, et a beato Thoma Aquinate, cui summa charitate coniunctus erat, sanctus appellaretur. Is enim, cum sancti Francisci vitam illum scribentem comperisset: *Sinamus, ait, sanctum pro sancto laborare.*

Lectio V. Divini amoris flamma succensus, erga Christi Domini passionem, quam iugiter meditabatur, ac Deiparam Virginem, cui se totum devoverat, singulari ferebatur pietatis affectu: quem in aliis etiam verbo et exemplo excitare, scriptisque opusculis augere summopere studuit. Hinc illa morum suavitas, gratia sermonis, et charitas in omnes effusa, qua singulorum animos sibi arctissime devinciebat. Quamobrem vix quinque et triginta annos natus, Romae summo omnium consensu Generalis Ordinis Minister electus est: susceptumque

munus per duodeviginti annos admirabili prudentia gessit ac laude sanctitatis. Plura constituit regulari disciplinae et amplificando Ordini utilia; quem una cum aliis Ordinibus mendicantibus adversus obtreptatorum calumnias feliciter propugnavit.

Lectio VI. Ad Lugdunense Concilium a beato Gregorio Decimo accersitus, et Cardinalis Episcopus Albanensis creatus, arduis Concilii rebus egregiam navavit operam: qua et schismatis dissidia composita sunt, et ecclesiastica dogmata vindicata. Quibus in laboribus, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, salutis vero millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, summo omnium moerore decessit, ab universo Concilio, ipso praesente Romano Pontifice, funere honestatus. Eum Xystus quartus plurimis maximisque clarum miraculis in Sanctorum numerum retulit. Multa scripsit, in quibus summam eruditionem cum pietatis ardore coniungens, lectorem docendo movet; quare a Xysto quinto Doctoris Seraphici nomine merito est insignitus.

In III. Nocturno. Homilia in Evang. *Vos estis sal terrae*, de Communi Doct. 3^o loco.

URBIS ET ORBIS.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, libenter deferens supplicibus votis plurium Sacrorum Antistitum, praeceunte Emo. Dno. Cardinali Antonio Agliardi Episcopo Albanensi, a Rmo. P. Ministro Generali Ordinis Minorum Conventualium humillime depromptis, suprascriptas Lectiones secundi Nocturni, quibus Franciscas Familiae iamdudum utuntur in festo S. Bonaventurae, Cardinalis Episcopi Albanensis, Lectionibus historicis substituendas mandavit, quae nimium ieiunae modo habentur de ipso Seraphico Doctore in Breviario Romano. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Additiones et variationes in Breviario et Missali Romano.

ADDENDA ET VARIANDA IN DUABUS TABELLIS
EXCERPTIS E RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII.

Duplicia secundae classis, in quibus de simplicibus fit commemoratio tantum in Laudibus; de aliis uti in Rubricis.

Circumcisio Domini.

.

Purificatio B. M. V.

Visitatio B. M. V.

Nativitas B. M. V.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Sept.).

Solemnitas SSmi. Rosarii B. M. V.

Duplicia maiora per annum, quae aliis duplicibus minoribus praeferuntur.
Transfiguratio Domini.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).

Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

.....

VARIANDA IN CATALOGO FESTORUM,
QUAE UTI PRIMARIA VEL SECUNDARIA ETC.

Festa secundaria.

§ II. *Duplicia secundae classis.*

Festum SSmi. Nominis Iesu.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Septembr.).

Solemnitas SSmi. Rosarii B. M. V.

.....

§ III. *Duplicia maiora.*

Exaltatio S. Crucis.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).

Commemoratio B. M. B. de Monte Carmelo.

.....

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO.

Dominica III Septembris. Deleatur integra Rubrica: "Impedita... post Dom. III Septembris" Eius loco substituaturs sequens: "Hac Dominica si occurrat festum nobilius, tamquam in sede propria celebretur festum B. M. V. Perdolentis prima sequenti die, non impedita a festo nobiliori, ac translato Duplici maiori, vel Doctoris Ecclesiae; de Duplici vero minori vel semiduplici occurrente fiat tantum commemoratio iuxta Rubricas."

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.: "Si haec Dominica immediate sequatur festum Nativitatis, Vesperae dicuntur integrae de ipsa Nativitate sine commemoratione SSmi. Nominis Mariae. Si hac Dominica occurrat festum

nobilius, eo anno festum SSmi. Nominis celebretur die duodecima Septembris, tamquam in sede propria, uti notatur in Martyrologio. Sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilius, Officium SSmi. Nominis Mariae transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas."

SSmus. Dominus Noster Pius PP. X referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, supra-scriptas additiones et variationes inserendas Breviario et Missali Romano benigne approbare dignatus est. Die 8 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Antistites Americae, Oceaniae et Australliae, perdurante maritimo itinere, Sacrum in navis singulis diebus peragere possunt, dummodo locus sit decens, mare tranquillum, et in quantum fieri potest, sacerdos Praesuli celebranti adsistat.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, clementer deferens supplicibus votis Sacrorum Praesulum ecclesiarum sive dioeceseon totius Americae, Oceaniae atque Australiae, privilegium benigne impertiri dignatus est, quo ipsi Rmi. Sacrorum Antistites, quotiescumque Romam petaturi sint, perdurante maritimo itinere, etiam in reditu, singulis diebus Sacrum in navi peragere valeant: dummodo locus ad hoc delectus nihil indecens aut indecorum praeseferat; mare sit adeo tranquillum, ut nullum prorsus adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice, et—si adsit—alter sacerdos superpelliceo indutus, Praesuli celebranti adsistat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 Iunii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Circa Indulta Officiorum votivorum de SS. Sacramento et de Immaculata Conceptione B. M. V.

Postulato Rmi. Dni. Episcopi Osnabrugensis. Provicarii Apostolici Missionum Germaniae Septentrionalis et Administratoris Praefecturae Apostolicae Slegvis Holsatiae: "utrum Officia votiva antiqua de praecepto recitanda singulis feriis quintis non impeditis de SSmo. Sacramento, et singulis Sabbatis item non impeditis de Immaculata Conceptione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda et concessa cum decreto generali n. 3581 *Urbis et Orbis* 5 Iulii 1883"; Sacra

Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

"Negative, nisi expresse renuntiatum fuerit antiquis indultis, iuxta ipsum citatum decretum, ubi in fine ad I legitur: Firmis remanentibus aliis votivorum Officiorum indultis quibuscumque iam concessis." Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

S. Ioannes Chrysostomus Patronus Concionatorum declaratur.

Quo congruus accedat cumulus solemnibus sacrisque pompis nuper expletis in honorem celeberrimi totius Ecclesiae Doctoris, Ioannis ob aureum eloquentiae flumen cognomento Chrysostomi, mox elapso saeculo decimoquinto, ex quo sanctus ipse Antistes exilio multatus iniuste, ac mala multa perpressus, supremum diem obivit; Rmus. P. Hugo Athanasius Gaisser, ex Ordine Sancti Benedicti, Pontificii Graecorum Collegii moderator, vota depromens peculiaris Coetus eiusmodi honoribus Chrysostomo tribuendis in Urbe constituti, ac munere suo feliciter perfuncti, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum supplex rogavit, ut eundem Sanctum Doctorem christianae eloquentiae et coelestem sacrorum concionatorum Patronum suprema auctoritate Sua declarare ac statuere dignaretur. Id siquidem fe. re. Leo Decimus Tertius die quarta Iulii anno millesimo octingentesimo octogesimo quarto indubie praenunciaverat, sacros videlicet oratores in fidem ac tutelam collocando S. Ioannis Chrysostomi, Ecclesiae Doctoris, quem omnibus ad imitandum proponebat exemplar, utpote qui christianorum oratorum facile princeps, ob aureum eloquentiae flumen, invictum dicendi robur, vitaeque sanctitudinem summis laudibus ubique celebretur. Sanctitas porro Sua has preces ab infra-scripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas peramanter excipiens, praeclearum Ecclesiae universae Doctorem decusque Sanctum Episcopum Ioannem Chrysostomum, oratorum sacrorum coelestem Patronum Apostolica auctoritate Sua declaravit et constituit; eundemque quemadmodum cunctis fidelibus omnigenae virtutis, ita christianae eloquentiae ad imitandum exemplar sacris concionatoribus libentissime proposuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Dubia de ordine servando circa commemorationes in secundis vesperis et de versu "Fidelium Animae."

R. D. Onesimus Machez, magister caeremoniarum ecclesiae cathedralis Atrebaten., et extensor Kalendarii dioecesani, de licentia sui Rmi. Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum:

I. Quando celebratur festum duplex Dominica infra Octavam communem, ponitur in Laudibus commemoratio Dominicae, deinde Octavae; debetne in secundis Vesperis idem ordo servari pro commemorationibus, si feria secunda sequenti fit Officium de die infra Octavam, vel poni primo loco commemoratio Octavae?

II. Quando feria VI post Octavam Ascensionis recolitur festum duplex aut semiduplex quod in secundis Vesperis concurrit cum festo eiusdem ritus ob Vigiliam Pentecostes simplificando, debetne prius fieri commemoratio huius festi simplicitati ac postea feriae aut inversus ordo servari?

III. Post Horam tertiam quae praecedat Missam pontificalem, Episcopus celebrans debetne, dicto per chorum "*Benedicamus Domino*" omittere versum "*Fidelium animae*?"

Et sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta decretum n. 3843 *Commemorationum in Vesperis* 5 Februarii 1895 quia habetur concursus et commemoratio sumatur e primis Vesperis iuxta Rubricas.

Ad III Affirmative in casu.

Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ☒ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Ad decennium conceditur ut quicumque presbyteri, ad Coenobia Monachorum nigrorum confederationis Benedictinae, quavis ex causa, confluentes, possint in choro, persolvere Horas canonicas, iuxta ritum respectivi Coenobii.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Sancti Anselmi de Urbe et Primas Ordinis Sancti Benedicti, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime exponit:

Per Rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 16 Aprilis 1885, ad Rmi. Dni. Mauri Wolter, Archiabbatibus Congregationis Beuronensis Ordinis Sancti Benedicti, privilegium a sa. me. Clemente XIII, Congregationi Cassinensi concessum, videlicet ut Sacerdotes, servitio Monasteriorum et Ecclesiarum dictae Congregationis addicti, Horas Canonicas iuxta ritum eiusdem Congregationis in choro et extra chorum recitare valeant, ad quoscumque Presbyteros ad Monasteria confluentes, extensum est.

Cuius indulti ratio—quod scilicet saepe saepius ad Monasteria Sacerdotes, occasione alicuius solemnitatis vel exercitiorum spiritualium, confluunt, qui horis canonicis intersunt, variaque exinde exurgunt incommoda—quum in omnibus monasteriis habeatur: humilis Orator petit, ut praedictum privilegium ad universa Confoederationis Benedictinae Coenobia Monachorum Nigrorum extendatur.

Et Deus, etc.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne indulget, ut, ad proximum Decennium, quicumque Presbyteri ad Coenobia Monachorum Nigrorum Confoederationis Benedictinae quavis ex causa confluunt, possint, in Choro tantummodo, persolvere Horas Canonicas iuxta ritum respectivi Coenobii. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Concordat cum originali.

Anniversarium celebrari debet pro ultimo Episcopo defuncto, non autem pro administratore iam ad aliam sedem translato.

In Relatione status ecclesiae Fuldensis Sacrae Congregationi Concilii die 8 Maii 1908 exhibita sequens invenitur postulatam ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna declaratione seu sanatione transmissum; nimirum:

Hodiernus Episcopus Fuldensis exponit, post mortem Georgii Ignatii Homp, qui a sede Fuldensi ad sedem archiepiscopalem Friburgensem, anno 1898, translatus fuerat, retenta administratione tantum dioecesis Fuldensis, anniversarium, quod iuxta Caeremoniale Episcoporum pro ultimo defuncto Episcopo celebrandum est, celebratum fuisse pro dicto Episcopo Georgio

Ignatio, quamvis administrator tantum erat dum in ipso ad suam novam sedem itinere moreretur. Pro Episcopo vero, qui ultimus in sede Fuldensi mortuus erat, sc. Iosepho Weyland anniversarium fundatum persolutum quidem fuit, non tamen illud quod Caeremoniale Episcoporum postulat. Unde petit, ut Sacra Congregatio, si quid in hac re praestandum adhuc sit, declarare vel sanare benigne velit.

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisitis tum Commissionis Liturgicae tum alterius ex Consultoribus suffragiis, attentis expositis una cum specialibus informationibus ex officio assumptis, reque accurato examine perpensa, ita rescribendum censuit: *Pro declaratione seu sanatione in casu, facto verbo cum Sanctissimo et prout Ipsi placuerit.*

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua petitam declarationem seu sanationem indulgere dignata est, supplendo de thesauro Ecclesiae et imposito tamen onere hodierno Episcopo Fuldensi applicandi unam Missam lectam pro anima Episcopi Iosephi Weyland. Die 22 Iulii 1908.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Addenda in Martyrologio Romano.

Quinto Idus Octobris

(11 Oct.)

Ad calcem post verba *Veronae sanctae Placidiae Virginis*: "Calotii, in dioecesi Astensi, olim Papiensi, Sancti Alexandri Sauli, Episcopi confessoris e congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli, genere, virtutibus, doctrina et miraculis clari."

Decimoseptimo Kalendas Novembris

(16 Oct.)

Ad calcem post verba *Ratum habuit et confirmavit*: "Muri in Lucania, Sancti Gerardi Maiella Confessoris laici professi congregationis Sanctissimi Redemptoris, quem miraculis clarum Pius decimus Pontifex Maximus Sanctorum albo accensuit."

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto sacrorum Rituum Congregationis Secretario, suprascripta Elogia de S. Alexandro Sauli Episcopo Confessore, et S. Gerardo Maiella Confessore, approbare dignatus est, ac Martyrologio Romano respective inserenda benigne indulsit.

Die 9 Septembris 1908.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

CONGREGATION OF INDULGENCES.

Indulgentia plenaria piae exercitationi Septem Sabbatorum in honorem B. M. V. de Mercede conceditur.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum sicuti ad Nos retulit hodiernus rector Diaconiae ad S. Hadriani de Urbe, in pluribus provinciis Ordinis B. Mariae Virginis a Mercede, probantibus Sacrorum Antistitibus, pia exercitatio septem Sabbatorum in honorem Deiparae Virginis a Mercede publice haberi soleat, et oblatae Nobis sint preces gravissimo Cardinalis Diaconi S. Hadriani suffragio suffultae, ut huic exercitationi nonnullas addere indulgentias de Apostolica benignitate dignaremur; Nos quibus nihil antiquius est, quam ut erga Virginem gratiarum omnium sequestram, fidelium pietas magis ac magis amplificetur, votis hisce annuendum quantum in Domino possumus, existimavimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus utriusque sexus, qui ubique terrarum nunc et in posterum huic piae exercitationi in honorem B. M. V. a Mercede publice peragendae intersint, et quovis e septem hisce Sabbatis, vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel Ordinis Religiosorum a Mercede propriam quamlibet pariter ubique terrarum sitam ecclesiam, vel tertii Ordinis ipsius, vel confraternitatum eiusdem instituti ac nominis, tandem his deficientibus propriam cuiusque parochialem ecclesiam, ab ortu ad occasum solis, devote quotannis visitent, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant; plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus vero ut harum litterarum authenticum exemplar tradatur S. Congregationi Indulgentiarum, secus nullas eas esse volumus, utque praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 25 Maii 1908, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

Praesentium litterarum authenticum exemplar traditum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 2 Iunii, 1908.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Plures Indulgentiae conceduntur Sodalitatibus vulgo "Bellum Sanctum" seu de Temperantia, nuncupatis.

Beatissime Pater,

Hodiernus Minister Generalis Ord. Min. S. Francisci Cappuccinorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter, exponit quod die 4^a Iunii 1902 SSmus. Dnus. Leo XIII fel. mem. benigne concessit aliquas Indulgentias Sodalitatibus "a Temperantia" nuncupatis in Ecclesiis Patrum Capuccinorum apud Dublinum et Corcagiam in Hibernia iam institutis.

1. Cum vero die 11^a Octobris 1905 omnes Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae in unum apud Maynutiam congregati, praeside Eminentissimo Michaële Cardinale Logue, una voce postulerint ut Patres nostri per omnes Hiberniae dioeceses instituerent "Sanctum Bellum," uti vocatur (vulgo, *National Temperance Crusade*) contra ebrietatis vitium, amoremque virtutis Temperantiae inculcarent, hinc est quod Minister Provincialis Hiberniae obsecundare volens mandatis supradictorum Episcoporum enixe postulat ut Indulgentiae iam concessae Sodalitatibus Dublini et Corcagiae, extendantur omnibus Ecclesiis Hiberniae ubi consimiles Sodalitates a Patribus nostris, annuentibus Episcopo et Clero, eriguntur,

2. Quia autem hisce diebus mense Octobri, decem et octo Patres adlaborant in civitate Belfast in Hibernia Septentrionali, aliique Patres per varias Hiberniae dioeceses dispersi sunt causa praedicandi "Temperantiam," ad magis magisque fovendum eorum labores Orator supplex et urgentissime postulat, ut Sanctitas Vestra dignetur concedere hanc specialem gratiam, scilicet :

Ut ubicumque nunc et in perpetuum Patres Ordinis nostri in Hibernia, clero annuente et invitante, praedicant "Temperantiam," ibi erigere possint Sodalitates ad normam illarum apud Dublinum et Corcagiam, cum iisdem et aliis Indulgentiis, scilicet :

Indulgentia Plenaria, animabus in Purgatorio applicabilis :

1. Die adscriptionis Sodalitati.
2. Semel in mense, die Generalis Communionis Sodalitatis.
3. In festo Titularis Ecclesiae, Sti. Patritii, Dominicae Resurrectionis, Nativitatis et die 1^a Januarii, nec non in articulo mortis.

Partialis vero Indulgentia, simili modo animabus in Purgatorio applicabilis :

1. Tercentum dierum pro precibus publice dictis quando Sodales religiose congregati sunt.
2. Tercentum dierum pro omni bono opere in finem Sodalitatis peracto.

Et Deus...

Iuxta preces in Domino et in perpetuum.

Die 7 Octobris 1908.

PIUS PP. X.



CONGREGATION OF THE PROPAGATION OF THE FAITH.

Quomodo Missarum eleemosynae ad orientales ecclesias transmitti possunt.

Cum plures Praelati enucleatas instructiones postulaverint circa modum quo transmitti possint Missae ad Ecclesias rituum orientalium, haec S. C., ad tramites recentorum decretorum, has distinctas normas proponit ab omnibus adamussim servandas :

1^o Si qui velint Missas, quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc praestare possunt non modo per hanc S. C., uti praecipitur in decreto *Recenti* S. C. Concilii die 22 Maii 1907, sed etiam per Rmos. Delegatos Apostolicos in regionibus orientalibus constitutos. Quo in casu, necesse est significare Delegatis Apostolicis quot Missae et quae stipendiorum summa tradi debeant Praelatis orientalibus intra cuiusque Delegationis ambitum exsistentibus.

2^o Nullatenus licet eleemosynas mittere ad viros laicos qui postea eas distribuunt sacerdotibus Missas celebraturis.

3^o Neque licet celebrationem Missarum directe committere presbyteris orientalibus.

4^o Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores Congregationum religiosarum orientalium.

5^o Immo neque licet Missas directe committere Praelatis

orientalibus, qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

6° Si vero agatur de Antistitibus habentibus iurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab Episcopis et sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subiectorum, uti declaravit S. C. Concilii die 18 Martii 1908. Ne autem ex pluribus locis simul, multae eleemosynae confluant in unam et eandem dioecesim (quod nimiam dilationem in Missis celebrandis secum ferret); ideo qui committit eleemosynas alicui Praelato orientali, certiore faciat de numero Missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis ad quem spectat vigilare ut Missae, ea qua par est sollicitudine, celebrentur.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 15 Iulii 1908.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.
ALOISIUS CHIESA, *Officialis*.

EPISTOLA.

Pii PP. X circa coronationem simulacri S. Cordis Iesu.

VENERABILI FRATRI

LEONI GAUTHEY

EPISCOPO NIVERNENSI

Venerabilis Frater,

Me taedet preces tuas exaudire non posse eo quod S. Rituum Congregatio ultimis hisce diebus incongruum declaravit imaginibus divini Cordis Iesu coronas imponere, et tantum permisit, ut (si populorum pietas hoc devotionis tributum exhibere desideret) corona ad simulacri pedes deponatur: quod quidem et tu meo nomine facere poteris.

Ceterum de festis in reparationem indictis summopere gaudeo, et dum quaeque salutaria a tua praedicatione a Domino adprecor, tibi facultatem concedo impertiendi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria pro confessis et sacra communione refectis.

Fidelibus vero, qui devote triduanæ praedicationi intervenierint, indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum, et tercentorum dierum in Domino concedo quoties in contemplatione divini simulacri hanc invocationem: *Cœur sacré de Jésus, ranimez la foi dans le diocèse de Nevers*, devote recitaverint.

Auspiciem vero divinae gratiae et praecipuae benevolentiae meae testem, tibi, Ven. Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertio.

Ex aedibus Vaticanis, die 9 Iulii 1908.

PIUS PP. X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

Omnibus christifidelibus orationem iaculatoriam Tutto per Voi Cuore Sacratissimo di Gesu recitantibus, trecentorum dierum indulgentia conceditur.

DIE 26 NOVEMBRIS 1908.

SSmus. D. N. Pius Div. Prov. Papa X in audientia r. p. d. Adessori S. Officii impertita, benigne concessit Indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, ab universis Christifidelibus toties lucranda, quoties, corde saltem contriti, iaculatoriam precem *Tutto per Voi Cuore Sacratissimo di Gesù!* devote recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

ALOISIUS Can. GIAMBENE,
Subst. pro Indulg.

L. ✠ S.

Universis christifidelibus qui duodecim Sabbatis haud intermissis ante Immaculati Conceptus B.M.V. festum, positis conditionibus, plenaria indulgentia impertitur.

Die 26 Novembris 1908.

SSmus. D.N. Pius div. prov. Papa X, in audientia R.P.D. Adessori S. Officii impertita, universis christifidelibus qui duodecim sabbatis haud interruptis ante festum Immaculae Conceptionis B. Mariae Virginis, confessi ac S. Synaxi refecti, sive precibus sive piis meditationibus ad honorem eiusdem B. Virginis absque macula originalis culpae conceptae, vacaverint, et ad mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effunderint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, singulis memoratis sabbatis lucrificandam, benigne concessit in perpetuum absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

ALOISIUS Can. GIAMBENE,
Subst. pro Indulg.

L. ✠ S.

Visitatio in sacellum propriae domus sufficit ad lucrandas indulgentias.

Die 14 Ianuarii 1909.

SSmus. Dominus Noster Pius divina providentia PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, benigne indulsit, ut fideles utriusque sexus, qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis, aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesiae vel publico sacello carentibus, de consensu vero Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, nec non personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius ecclesiae in genere, id est non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare valeant propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

ALOISIUS Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.
L. ✠ S.

De sepultura ecclesiastica deneganda.

Utrum catholici, qui cum acatholicis coram haeretico ministro qua tali nuptias contraxerunt, et in eiusmodi nuptiis vel expresse consenserunt acatholicae prolium educationi, vel eas de facto in haeresi educari fecerunt, ideoque censuram incurrisse dicendi sunt, si apoplexia tacti et sensibus destituti aut statim aut brevi post discesserint, Ecclesiae minime reconciliati et quin resipiscentiae signa unquam dedissent, donari possint sepultura ecclesiastica et exequiis nec ne.

Eminentissimi DD. Cardinales Inquisitores Generales, re in generali conventu huius Supremae Congregationis habito feria IV, die 8 mensis Maii 1907 mature discussa, respondendum decreverunt: *Negative*.

PETRUS PALOMBELLI, *Notarius*.

Quaedam solvuntur dubia circa celebrationem Missarum in nocte Nativitatis Christi.

Feria V, die 1 Augusti 1907.

SSmus. D. N. D. Pius divina Providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, ad fovendam fidelium pietatem eorumque grati animi sensus excitandos pro ineffabili Divini Verbi Incarnationis mysterio, motu proprio,

benigne indulgere dignatus est ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missas vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Hoc decreto evulgato quae sequuntur dubia fuerunt proposita :

I^{um}. An indultum importet facultatem tres Missas vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis Oratorium ianuis* ?

II^{um}. An indultum *Oratoriis* concessum extendi possit ad *Ecclesias Religiosorum*, quae publico fidelis populi usui inserviunt.

SSmus. D. N. Pius Papa X in audientia R. P. D. Adessori Sancti Officii, die 26 mensis Novembris anno 1908, concessa respondit :

Ad I^{um} *Negative*.

Ad II^{um} *Negative*, salvo tamen Religiosorum privilegio in media nocte missam celebrandi.

ALOISIUS CASTELLANO, *Notarius*.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

Plura dubia de S.C. de Propaganda Fide caeteras versus competentia solvuntur.

Beatissime Pater,

Cardinalis Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide ut rite, sicuti debet, exsequi valeat praescripta Constitutionis Apostolicae *Sapienti consilio* et adiectae Ordinationis a Sanctitate Vestra confirmatae, quae fuerunt edita diebus 29 Iunii et 29 Septembris labentis anni 1908, eorum quae sequuntur dubiorum solutionem postulat :

I. Utrum Vicariatus Apostolici, qui tanquam suffraganei pertinent ad provincias ecclesiasticas a iurisdictione Congregationis de Propaganda, vi memoratae Constitutionis exemptas, iugiter subsint eidem Congregationi de Propaganda.

II. Utrum Congregatio de Propaganda, ob peculiaria adiuncta

Moderatorum dioecesium et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, Oceaniae aliisque huiusmodi, etiam in posterum concedere possit Episcopis, Vicariis Apostolicis, Praefectis vel Moderatoribus missionum *formulas* facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt.

III. Utrum eadem Congregatio adhuc tribuere valeat titulum *Missionarii Apostolici ad honorem*, addita solita facultatum *formula*.

IV. Cum S. Congregatio de Propaganda teneatur deferre ad S. Congregationem Rituum "quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam," quaeritur, utrum hoc praescriptum respiciat rituum disciplinam prout ipsa determinatur ac circumscribitur a Constitutione *Sapienti consilio*, an extendatur quoque ad facultates Missam, divinum Officium aliaque spectantes, quas ante largiri consueverant sive Congregatio Rituum sive etiam Congregatio de Propaganda.

V. Utrum Congregatio de Propaganda deferre debeat ad Congregationem de Religiosis etiam quidquid attingat Congregationes missionarias tum virorum quum mulierum, quarum constitutiones a Congregatione de Propaganda approbatae fuerunt.

VI. Utrum Congregatio pro Negotiis rituum orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus.

VII. Utrum acta Conciliorum, quae celebrari contigerint in territorio Congregationi de Propaganda relicto, remittenda sint ad Congregationem Concilii.

VIII. Utrum etiam Officiales, qui in officio aderant ante diem 4 Novembris 1908, teneantur iusiurandum emittere per legem generalem, diei 29 Iunii 1908 praescriptum.

IX. Utrum Collegia Americae Septentrionalis, Hiberniae et Scotiae dependere pergant a Congregatione de Propaganda, et utrum eorumdem alumni praestare teneantur iusiurandum praescriptum ab Urbano VIII, die 24 Novembris 1625.

X. Utrum etiam alumni Americae Septentrionalis, Canadenses, Hiberni, etc., qui ex iure foundationis instituuntur in Collegio Urbano de Propaganda, emittere obstringantur posthac memoratum iuramentum ab Urbano VIII praescriptum atque in forma et terminis deinceps statutis ab Alexandro VII per Bullam, diei 20 Iulii 1660, pro cunctis Collegii Urbani alumni.

XI. Utrum Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda poterit adhuc concedere litteras dimissoriales ad sacros Ordines alumni Collegiorum Americae Septentrionalis, Hiberniae et Scotiae; et an ac quomodo mutare oporteat titulum *missionis*.

XII. Utrum et qua ratione immutandus sit titulus *missionis* quoad alumnos Collegii Urbani de Propaganda, qui pertinent ad

provincias ecclesiasticas et dioeceses a Congregatione de Propaganda avulsas.

Sacra Congregatio Consistorialis superius relatis dubiis circa praescripta Constitutionis Apostolicae *Sapienti consilio* et addictae Ordinationis, iuxta mentem a SSmo. Domino declaratam, die 12 Novembris 1908, respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, dum ita permanent. Expedit tamen ut S. Congregatio de Propaganda, quamprimum fieri possit, memoratos Vicariatus erigat in dioeceses, eosque proinde deducat ad ius commune.

Ad II. Affirmative, re tamen agitata et composita cum S. Congregatione de Sacramentis.

Ad III. Affirmative quoad sibi subditos.

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad V. Etiam quoad Congregationes religiosas, quarum regulae seu constitutiones approbatae sunt a Congregatione de Propaganda, standum praescriptis Constitutionis *Sapienti consilio*.

Ad VI. Affirmative, excepto tantummodo privilegio Paulino, quod pertinet ad Congregationem S. Officii.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Negative, verum congruit ut omnes illud emittant.

Ad IX. Collegia Americae Septentrionalis, Hiberniae et Scotiae posthac pendebunt a S. Congregationi Consistoriali. Iuramentum autem ab alumnis praestandum servetur, reformandum tamen erit iuxta novam statuendam formulam.

Ad X. Affirmative, formula vero reformanda consiliis initis cum Emo. Cardinali Praefecto Congregationis de Propaganda.

Ad XI. Concessio litterarum dimissorialium ad sacros Ordines pertinebit ad hanc S. Congregationem, quae, cum necessarium fuerit, immutabit titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*.

Ad XII. Emus. Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda mutabit pro memoratis alumnis titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*.

L. ✠ S.

G. Card. DE LAI, *Secretarius*.
SCIPIO TECCHI, *Adsector*.

Dubium de dispensatione super iureiurando ab antiquis alumnis Collegii de Propaganda Fide emisso.

Proposito dubio, ad quam S. Congregationem spectet dispensare a iureiurando, emisso ab antiquis Collegii Urbani de Propaganda Fide aliorumve Collegiorum alumnis, qui subsunt

dioecesibus ad ius commune nuper deductis, quique facultatem petunt de dioecesi cui iuramento obstringuntur in aliam trans-eundi; S. Congregatio Consistorialis, re mature perpensa, iuxta Constitutionem *Sapienti consilio* respondit: *spectare ad S. Congregationem Concilii.*

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis, die 7 Ianuarii 1909.

L. ✠ S.

SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

LITTERAE

Ad Archiepiscopos, Episcopos Allosque Locorum Ordinarios.

Illme. ac Rme. Domine,

Haud raro accidit ut Ordinarii aliquid habeant ad Sanctam Sedem deferendum vel cum ipsa tractandum, quod aut ratione officii, aut vi ecclesiasticae alicuius legis, aut prudentiae causa secreto silentii tegendum sit.

Ubi haec occurrant, Ordinariis curae sit scripta committere occlusa diligenter, etiamsi per suos rerum agentes vel procuratores ea transmittere velint. Quamvis enim dubitare non liceat de fide ac prudentia illius, in quo Episcopus fiduciam collocaverit et qui fuerit Sanctae Sedi probatus; tuenda nihilominus lex illa est quae prohibet secreti participes fieri plures quam necessitas postulet.

Illud praeterea commendatur Ordinariis vehementer, ut in delectu procuratorum vel agentium rationem habeant eorum, qui hoc in genere officii honeste hactenus et cum utilitate clientum versati sunt. Idcirco, nisi quid graviter obstet, eosdem praeferant aliis. Iustum enim est et in Apostolicae Sedis votis, ut concessa ob altiores fines libertas in detrimentum non cedat bene meritorum hominum, qui huc usque operam suam in Ecclesiae servitium contulerunt.

Hisce tibi significatis, omnia fausta tibi a Domino deprecor.

Romae, die 25 Novembris 1908.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*

SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

DECRETUM

Quo episcopi convocantur ut consistoriis intersint ante festum Ascensionis D. N. I. C. habendis.

Antequam ad solemnem canonizationem beatorum Confessorum Iosephi Oriol e clero Barcinonensi, et Clementis Hof-

bauer e congregatione SSmi. Redemptoris deveniat, SSmus. Dominus Noster Pius PP. X, ceteris quae iuxta canonicas sanctiones requiruntur expletis, constituit insuper in re tanti momenti Episcoporum sententiam exquirere. Quapropter praesenti S. Congregationis Consistorialis decreto mandat, ut omnes et singuli Praesules, qui sunt intra centesimum ab Urbe lapidem, nisi grave aliquid obstet, Romam decem dies ante festum Ascensionis D. N. Iesu Christi petant, ut Consistoriis haberi solitis interesse possint. Ceteros Italiae et proximarum regionum Archiepiscopos et Episcopos, ut romanum iter ad eundem finem aggrediantur, peramanter invitat. Remotiores vero de hac tam iucunda et extraordinaria solemnitate certiores reddit. Ne autem frequentibus ad Urbem itineribus nimium graventur Episcopi, Sanctitas Sua benigne indulget ut, qui hac occasione Romam adiverint et memoratis solemnibus interfuerint, exempti evadant ab obligatione visitandi SS. Limina primâ proximâ vice.

Datum Romae ex aedibus Secretariae eiusdem sacrae Congregationis, die 27 Ianuarii 1909.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
 SCIPIO TECCHI, *Adressor*.

MONITUM

Rmi. Archiepiscopi et Episcopi qui, iuxta relatum S. Congregationis Consistorialis convocationis decretum, Romae sacris canonizationis solemnibus intererunt, oportet ut quamprimum subscripto Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto (*Via del Quirinale 15, scala 3, palazzo Rospigliosi*) per epistolam significant quo circiter die venturi sint, ut Praesulum numerus opportune cognoscatur, et ipsi schedulas, intimationes, nec non a S. Rituum Congregatione canonizandorum acta pro Consistoriis, tempestive accipere possint.

Ne vero Apostolici cursores in schedularum distributione ancipites haereant de Episcoporum domiciliis, oportet ut ipsi Archiepiscopi et Episcopi in scriptis eundem Caeremoniarum Praefectum de suo quisque domicilio certiore faciant.

Iidem Antistites secum deferent vestes praelatitias laneas violaceas, cum mantelletto pariter laneo violacei coloris, biretum, rocchetum, pluviale simplex ex lama argentea, sin minus ex serico damasceno albo, amictum, mitram lineam ex tela alba, et cappam laneam violaceam pro Consistoriis, pellibus ermelineis ornatam.

Antistites autem cardinalitia dignitate praeferentes, praeter

vestes et cappas cardinalitias tam rubei quam violacei coloris, cum pellibus ermellineis, pro die solemnis canonizationis habebunt calceos rubeos, amictum, planetam albam opere phrygio aureo distinctam, mitram serico damascenam cum vimpa, et superpelliceo pro capellano caudatario, qui induet vestem sericam violaceam, cum crocea lanea violacei pariter coloris.

De mandato SSmi. D. N. Papae.

Romae die 14 Februarii 1909, Dominica in Sexagesima.

FRANCISCUS RIGGI,

L. ✠ S.

Pronot. Ap., Caerem. Praefectus.

DUBIUM.

De facultate dispensandi presbyteros ab irregularitate vel a titulo sacrae ordinationis.

Proposito dubio, utrum facultas concedendi clericis, iam in sacro presbyteratus ordine constitutis, dispensationem ab irregularitate, vel a titulo sacrae ordinationis, spectet ad Congregationem de Sacramentis, an potius ad Congregationem Concilii; sacra Congregatio Consistorialis, omnibus rite perpensis, respondendum censuit: Spectare ad S. Congregationem Concilii.

Datum Romae, ex aedibus Secretariae eiusdem sacrae Congregationis Consistorialis, die 27 Februarii 1909.

SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

L. ✠ S.

CONGREGATION FOR THE AFFAIRS OF RELIGIOUS COMMUNITIES.

DECRETUM

Quo iure et qua ratione Religiosi Sodales stipis quaeritandae ministerium obire possint et valeant.

De eleemosynis colligendis gravis quaestio, quae iam anteactis saeculis non semel agitata fuit, hodie praesertim, ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores praesefert difficultates. Quibus ut occurreret, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 27 Martii 1896 promulgavit Decretum *Singulari quidem*, quo colligendarum eleemosynarum ministerium opportunis pro hodierna humanae societatis conditione communiebatur cautelis. Attamen mulierum dumtaxat respiciebat sodalitates. Quo autem et virorum Institutis Religiosis melius provideretur, eidem Sacrae Congregationi, in plenario consessu die 8 Maii anni 1908 habito,

visum est pro his quoque nonnullas apponere quaestuationum normas ; quas, ex Secretaria supradictae S. Congregationis Episcoporum et Regularium acceptas, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, de mandato SSmi. Dni. Nostri Pii Divina Providentia PP. X., publici iuris facit.

I.—QUOAD ORDINES MENDICANTES.

1. Regulares, qui Mendicantes vocantur et sunt, ex institutione Sedis Apostolicae cum sola licentia Superiorum suorum eleemosynas quaerere valeant in Dioecesi, ubi erectus est Conventus. Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu quo Conventus foundationi consensum praeberunt.

2. Si vero iidem Regulares extra Dioecesim, ubi Conventus habent, stipem quaeritare velint, Ordinarii illius Dioeceseos licentia, per suos Superiores in scriptis obtenta indigent.

3. Ordinarii, praecipue limitrophes, hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis Conventus ex quaestuatione in sola Dioecesi ubi erectus est, vivere nullimode possit, ut in parvis Dioecesibus contingere solet.

4. Quae licentia intelligitur habitualis, usque nempe ad expressam revocationem ; quae quidem revocatio, ut par est, nonnisi legitimis de causis, iisque tantum perdurantibus, facienda est.

5. Ut Mendicantes praefato iure gaudeant, per seipsos, non autem per personas Ordini extraneas, eleemosynas colligere debent.

6. Regulares quaestuantem semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet de debita facultate deque officio quaestuationis sibi commisso. Quas litteras Parochis ultro exhibere tenentur ; necnon Ordinariis, quoties ab ipsis requirantur.

7. Non licet Superioribus Regularibus ad hoc opus mittere nisi Religiosos aetate et animo maturos ; numquam eos qui studiis adhuc incumbunt.

8. Religiosi eleemosynas collecturi ne pergant soli sed bini, praesertim extra urbem, seu locum ubi habent Conventum, seclusa gravis necessitatis causa ; quo in casu quaestuiarius publice notus sit oportet atque aetate, virtute ac Fidelium existimatione omnino commendatus.

9. Porro extra locum Conventuum quaestuantem, apud Parochos, vel apud alios clericos saeculares, vel regulares, aut, iis deficientibus, apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

10. Extra propriam domum ne maneant ultra mensem, si in propria Dioecesi, non ultra duos, si in alia eleemosynas quaerant ; neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, vel respective per duos menses, vitam communem iuxta Regulam et

Constitutiones in Conventu exegerint, prout uno vel duobus mensibus extra claustra degere debuerunt.

11. Qui in ipso loco, ubi situs est Conventus, stipem corrogant, noctu exta propriam domum nequaquam manebunt.

12. Religiosi quaestuant es semper illa, qua decet, humilitate, modestia, munditie eniteant; saecularium, praesertim mulierum cuiuscumque sint conditionis, familiaritatem caveant; loca suae professioni minime congrua omnino devitent; pietatem sincere foveant atque spiritualia exercitia in Religione ipsorum solita, pro viribus fideliter adimpleant.

13. Superiores Regulares, graviter onerata eorum conscientia, ne omittant quaestuariis suis normas agendi, quas prudentia suadet, opportunas praescribere.

14. Si vero, quod absit, Regulares quaestuant es notorie deliquerint, Fidelibus scandalum praebuerint, vel etiam contra legitimam prohibitionem eleemosynas colligere ausi fuerint, Ordinarius loci iubeat eos in propriam domum redire, atque etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus, Superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandalı puniant; quod si secus fecerint, quam primum ad Sanctam Sedem recurrat.

II.—QUOD ORDINES VEL INSTITUTA RELIGIOSA NON MENDICANTIUM.

1. Religiosi sive Ordinum sive Congregationum *iuris Pontificii*, qui privilegio quaeritandi eleemosynas neque vi propriarum Constitutionum a S. Sede approbatarum, neque vi Apostolicae concessionis gaudent, veniam Apostolicae Sedis impetrare debent, ut quaestuationes instituere valeant; praeterea licentiam per suos Superiores ab Ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte S. Sedes in hoc expresse et specialiter iuri Episcopi derogaverit, quod numquam praesumi potest, sed indubitis documentis probari debet.

2. Religiosi vero *qui sunt iuris Dioecesanı*, opus colligendi eleemosynas nequaquam aggredi poterunt, nisi licentiam obtinuerint tum ab Ordinario loci in quo resident, tum etiam, si extra Dioecesim propriae residentiae abituri sint, ab Ordinario loci in quo stipem quaerere desiderant.

3. Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque Domo cuiusque Religiosi suae Dioeceseos Instituti, sive iuris Pontificii sive iuris Dioecesanı, emendicato viventis, limites quaestuationis constituere possunt et respective servandos curare, praesertim ubi sunt Conventus Regularium nomine et re Mendicantium; nec huiusmodi Religiosis non Mendicantibus quaeritandi licentiam concedant, nisi sibi constet de vera Domus vel Pii Operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; et si necessitatibus provideri potest per quaestuationem in loco vel

districtu, in quo Religiosi resident, aut intra Dioecesim, instituendam, ampliorem licentiam nequaquam concedant.

4. Ordinarius porro illius Dioeceseos, ad quam isti Religiosi aliarum Dioeceseon eleemosynas quaesituri accedant, collectas eis minime permittat, nisi prius per se vel per suos ad hoc Delegatos, praeter litteras obedientiales proprii Superioris, facultatem, vel Apostolicae Sedis, si sunt iuris Pontificii, vel proprii Ordinarii, si sunt iuris dioecesani, recognoverit et huius Decreti praescriptis conformem invenerit.

5. Insuper Ordinarius sedulo advertat, utrum qui pro Missionibus exteris subsidia quaerunt, praeter litteras commendatitias Vicarii vel Praefecti Apostolici respectivae Missionis et litteras obedientiales Moderatoris Generalis proprii Instituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam.

6. Licentiam colligendi eleemosynas Ordinarii concedant gratis et in scriptis, notatis semper (sive ad calcem litterarum obedientialium sive in documento separato) tum nominibus Religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine Ordinis vel Instituti ad quod pertinent, tum loco et tempore pro quibus licentia valitura sit.

7. Licentias loco et tempore generales Religiosis huiusmodi nequaquam concedent Ordinarii, sed potius invigilabunt, ne sive quaestuant, sive praetextu quaestuationis, extra propriam domum maneant ultra mensem, si in propria Dioecesi, aut ultra duos menses si in aliena eleemosynas quaerant; neve iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, respective duos menses, in suo Conventu degerint, prout uno vel duobus mensibus foris manserant.

8. Ut Religiosi Ordinarios facultate colligendi eleemosynas uti valeant, id per se, non per alios facere debent.

9. Ad haec et ipsi fideliter observent, quae supra pro Religiosis Ordinum Mendicantium sancita sunt, parte I, art. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13.

10. In casu tandem, quo hi Religiosi quaestuant contra legitimam prohibitionem eleemosynas collegerint, vel, quod Deus avertat, male se gesserint scandalove Fidelibus fuerint, Ordinarius loci, etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus, eos pro gravitate delicti et scandali opportunis remediis coerceat et in propriam domum a suis Superioribus puniendos remittat.

Datum Romae, ex Secretaria supradictae Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Festo Praesentationis B. M. V., die 21 Novembris 1908.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

D. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

**Edicetur denuo explorandam esse monialium voluntatem ante
votorum solemnium nuncupationem.**

Beatissime Pater,

Fr. Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit et, ut plurimum tam Ministrorum Provincialium quam Monialium sui Ordinis dubiis occurrat, sequentia exponit :

Sacra Tridentina Synodus, sess. XXV, cap. 17, *De Regul.* haec quoad vestitionem Monialium earumque professionem constituit :
“ Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens,
“ S. Synodus statuit atque decernit ut puella quae habitum
“ regularem suscipere voluerit... non ante eum suscipiat, nec
“ postea ipsa vel alia professionem emittat quam exploraverit
“ Episcopus vel, eo absente vel impedito, eius Vicarius aut
“ aliquis... ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter, an
“ coacta, an seducta sit, an sciat quid agat.”

Quum vero Summus Pontifex Leo f.r. XIII, per Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 3 Maii 1902 latum, edixerit ut, non secus quam in religionibus virorum etiam in Sanctimonialium monasteriis, in quibus solemnia nuncupantur vota, praemittantur solemnibus votis simplicia, triennium saltem duratura, hinc sequens dubium exortum est, cuius congruam in editis iam ipsius Decreti declarationibus solutionem minime reperit :

“ Num ante professionem votorum solemnium sanctimonialis cuius voluntas ante vestitionem professionemque votorum simplicium iuxta S. Conc. Tridentini praescripta fuerit legitime explorata, denuo sit exploranda ? ”

Super quibus humillimus Orator opportunam declarationem reverenter postulat.

Et Deus, etc....

Ex audientia SSmi. habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationi de Religiosis Praefecto, die 19 Ianuarii 1909: Sanctitas Sua, re mature perpensa, supra relato dubio responderi mandavit prout sequitur : *Attenta ratione solemnitatis votorum, iteranda est exploratio voluntatis singularum monialium ante votorum solemnium nuncupationem.*

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die, mense et anno ut supra.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus.*

D. LAURENTIUS JANSSENS, O.S.B., *Secretarius.*

CONGREGATION OF THE INDEX.

Prohibitio quorundam Librorum.

Feria II, die 4 Ianuarii 1909.

Sacra Congregatio Emorum. ac Rmorum. S.R.E. Cardinalium a SSmo. Domino Nostro Pio PP. X. Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in palatio Apostolico Vaticano die 4 Ianuarii 1909, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

JÉHAN DE BONNEFOY, *Les leçons de la défaite, ou la fin d'un catholicisme*. Paris, Librairie critique E. Nourry, 1907.

— *Vers l'unité de croyance*. Ibid., 1907.

— *Le catholicisme de demain*. Ibid., 1908.

HENRI LORIAUX, *L'autorité des Evangiles. Question fondamentale*. Paris, Emile Nourry, 1907.

JEAN VRAI, *Ephémérides de la Papauté*. Paris, Fischbacher, 1904.

T. SMYTH-VAUDRY, C.Pr., *The Christ-Founded Order of the Secular Priesthood*. Montreal, Larell and Son, 1906.

ROMOLO MURRI, *I problemi dell'Italia contemporanea*. Vol. I. *La politica clericale e la democrazia*. Ascoli Piceno, Gius. Cesari; Roma, Società naz. di Cultura, 1908.

MELCHIOR CANAL, *Eléments de psychologie concrète et de métaphysique*. Toulouse, Edouard Privat; Paris, Henri Didier, 1907.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

EMMANUEL BARBIER, decreto S. Congregationis, edito die 25 Maii 1908, quo quidam libri ab eo conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecit.

Quibus SSmo. Domino Nostro Pio Papae X per me infra-scriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 5 Ianuarii 1909.

F. Card. SEGNA, *Praefectus*.

THOMAS ESSER, O.P., *a Secretis*.

L. ✠ S.

CONGREGATION OF RITES.**Congregatio Servorum Dei causis minoris momenti pertractandis constitutor.**

Instaurato, ad pristina gerenda munera, Tribunali Sacrae Rotae Romanae per Constitutionem Apostolicam "Sapientia consilio" diei 29 Iunii huius labentis anni 1908, ac proinde reservatis, iuxta decretum seu declarationem Sacrae Congregationis Consistorialis diei 27 Novembris nuper elapsi, peculiaribus dispensationibus dd. 23 Octobris 1878, et 19 Decembris 1905, quibus demandatum fuerat Rmis. Praelatis Auditoribus officium discutiendi ac iudicandi in Comitibus Sacrorum Rituum Congregationis Ordinariis Rotalibus Causas minoris momenti Servorum Dei, nempe de fama sanctitatis in genere, de non Cultu, de validitate ac relevantia processuum aliasque similes, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, ad easdem causas pertractandas Congregationem particularem constituere dignatus est, quam constare voluit ex aliquot Emis. ac Rmis. Patribus sacris tuendis Ritibus praepositis, nempe Praefecto, Ponente aliisque quinque a Sacra Rituum Congregatione designandis, nec non ex Rmis. Praelatis Officialibus ipsius Sacrae Congregationis, nempe Protonotario apostolico, Secretario, Promotore Fidei ac Subpromotore. Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Die 9 Decembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONCORDIEN.**An usus celebrandi super altaribus quorum mensa ex pluribus lapidibus constat continuari possit.**

Rmus. Dnus. Franciscus Isola, Episcopus Concordien. in visitatione pastorali reperiit quaedam altaria consecrata uti fixa, quorum mensa ex pluribus lapidibus simul iunctis constat, aliqua vero similia cum mensa item ex pluribus partibus composita, sed in cuius medio extat lapis quadratus in quo reconditae sunt sacrae reliquae, vulgo *pietra sacra*; alia demum consecrata uti fixa quorum mensa in medio nititur super basi ex muro, vel ex coctis lateribus quae in centro continet sacras reliquias. Quare idem Rmus. Episcopus a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

An continuari possit usus celebrandi super dictis altaribus.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa ita rescribendum censuit.

I. Quoad altaria priora pro gratia sanationis dummodo sepulchrum sit integrum ex lapide.

II. Quoad altaria secundo loco descripta Orator acquiescat.

III. Quoad postrema, infra tempus iudicio ipsius Episcopi determinandum eadem ad normam iuris reducantur, vel per parvum lapidem consecratum, vel (si nullum in ecclesia consecrata sit altare fixum), per totius mensae cum stipitibus consecrationem. Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit. Die 13 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

COMPOSTELLANA.

An, vi consuetudinis, sacerdotum cadavera casula vel planeta nigri coloris induere liceat.

Emus. et Rmus. Dnus. Cardinalis Iosephus M. de Herrera y de la Iglesia a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem reverenter expetivit, nimirum :

Quum in Rituali Romano, tit. VI, "De Exequiis" sub num. 11 haec legantur : "Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, seu planeta violacea sit indutus" quumque ex consuetudine generali vigente in Archidioecesi Compostellana, cadavera sacerdotum induantur planeta seu casula nigri coloris, quaeritur : An vi consuetudinis liceat cadavera sacerdotum induere casula vel planeta nigri coloris ?

Et Deus etc...

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, proposito dubio ita respondendum censuit : Affirmative, attenta praesertim consuetudine et Rubrica Ritualis Romani, quae praescribens paramenta violacea, in casu non excludit nigra. Atque ita rescripsit die 20 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

COMPOSTELLANA.

**Quaedam solvuntur dubia circa aliquorum instrumentorum
in musica sacra usum.**

Hodiernus Rmus. Praeses Commissionis dioeceseanae de Musica sacra ab Emo. et Rmo. Dno. Cardinali Iosepho M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopo Compostellano constitutae, a Sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit.

I. An in musica sacra organica admitti possint instrumenta oboës, clarinetes, trombones nuncupata ?

II. An instrumenta vulgo timbales seu tympanos sint habenda uti fragorosa et strepitantia ?

III. An eadem permitti possint in musica et orchestra religiosa ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti secretarii, exquisita specialis Commissionis de Musica et cantu sacro sententia, ita respondendum censuit :

Ad I. Possunt tolerari instrumenta musicae *Oboës* et *Clarinetes*, dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur.

Ad II. Provisum est in art. 19 instructionis Pontificiae *de musica sacra*, 29 Novembris 1903; et omnino servetur artic. 16 eiusdem instructionis.

Ad III. negative.

Atque ita rescripsit die 13 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

ANDRIEN.

De consecratione Altaris.

Rmus. Dnus. Sebastianus Giorgio, caeremoniarius Rmi. Dni. Episcopi dioeceseos Andriensis, de eiusdem consensu, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humiliter exposuit; nimirum:

In Ecclesia Matrice S. Sabini, civitatis Canosae, dioeceseos Andrien. nuper erectum est Altare quod undequaque per se stat, ad formam Altaris Papalis, et cuius mensa marmorea sustentatur a quatuor columellis item marmoreis, subtus vero est omnino vacuum, nec destinatur, prout in casu decreti n. 3741 *Tridentina*, 20 Decembris 1890, ad recipiendam arcam ligneam paramentis asservandis. Hinc quaeritur:

I. An supradescriptum Altare consecrari possit ?

II. Et quatenus affirmative ad primum, ubi facienda sit unctio Chrismatis praescripta in fronte Altaris ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, iuxta plura decreta.

Ad II. Unctio Chrismatis, in modum crucis, fiat in fronte, seu in medio spissitudinis anterioris mensae.

Atque ita rescipit, die 6 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

VICARIATUS APOSTOLICI HONG-KONG.

An, peculiaribus in adiunctis expositis, sacerdos celebrans et ministri coram SSmo. publice adoratione ostenso sacra facientes stare vel genuflectere debeant.

Rmus. Dnus. Dominicus Pozzoni, Episcopus tit. Tavian. et Vicarius Apostolicus missionis Hong-Kong, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii, ob maiorem perspicuitatem aliquantulum reformati, authenticam solutionem reverenter exposulavit ; nimirum :

Utrum in functione quae coram Sanctissimo Eucharistico Sacramento publice exposito peragitur, dum, ante Hymnum *Tantum ergo*, cantantur alii Hymni, vel Antiphona *Regina Coeli*, tempore paschali, vel canticum *Magnificat*, per anni decursum, sacerdos celebrans et ministri stare debeant aut manere genuflexi ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, re sedulo perpensa rescribendum censuit : Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita rescipit die 6 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, S. R. C. *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

NEO-EBORACEN.

De mulierum cantu cum modo in Ecclesiis permittendo.

Nuperrime sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, rite ac reverenter exposita sunt, nimirum :

Per omnes fere regiones Statuum foederatorum Americae septentrionalis, nomine chori designatur solummodo quidam coetus paucorum cantorum tum foeminarum quum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgicos intra Missas solemnes cantandi. Hic chorus, seu coetus virorum ac mulierum, seu puellarum, in loco eius soli usui destinato extra cancellos, immo plerumque longissime ab altari positus est, nec alius habetur chorus qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quaeritur, utrum ratione habita decreti de cantu mulierum in ecclesiis (*Angelopolitana* 17 Ianuarii 1908), quo concessum fuit ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis, talem chorum seu coetum virorum ac mulierum supradescriptum, in loco ab altari remotissimo positum, et chori liturgici fungentem officio, posthac adhibere liceat.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis utriusque Commissionis tam liturgicae quam de musica et cantu sacro suffragiis, omnibus maturo examine perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit: Prout exponitur, negative, et ad mentem.* Die 18 Decembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

INSTRUCTIO

Pro Editoribus Librorum Liturgicorum cum cantu Gregoriano.

Quo' tutius pleniusque possit obtineri in sacra liturgia etiam quoad cantum optanda uniformitas, merito statutum est ut, in iis etiam quae ad singula Ecclesiarum Propria pertinent, eidem Officio vel Missae eadem regulariter adoptetur melodia, ac proinde ut ante approbationem a Sacra Rituum Congregatione rite petendam, iisdem revisoribus cuncta subiiciantur, quatenus illi testari possint non tantum de servatis artis Gregorinae regulis, sed etiam de constante melodiarum ea, quae requiritur, unitate.

Die 27 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

* Mens est, ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti, et onerata super his Ordinariorum conscientia.

De nutriendis lampadibus coram SSmum. Sacramentum in defectu olei.

Nuper expositum est a sacra Rituum Congregatione: an lampades, quae ardere debent ante altare et tabernaculum in quo asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, nutrirı possint ex cera apum, saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad Missae celebrationem, iuxta mentem decreti S. R. C. *Plurium dioecesium* diei 14 Decembris 1904.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicae sententia, omnibus accurate perpensis proposito dubio ita respondendum censuit: In defectu olei tolerari posse; et remittendum esse prudentiae Episcopi, iuxta decretum n. 3121 *Plurium dioecesium* 14 Iulii 1864.

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei IOANNAE DE ARC Virginis Aurellianensis puellae nuncupatae.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum Tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servae Dei Beatificationem.

Virorum, qui militari laude antecellunt, etsi summa sit apud homines opinio ac dignitas, nihilominus vix accidit ut eorum non sint obscurata trophaea, sive propter causam inique susceptam, sive propter abusum victoriae, sive denique ob hanc ipsam nimis magno emptam planeque luctuosam. Pulcherrimus omnium triumphus illorum est, qui sibi primum imperare suisque cupiditatibus inferre bellum didicerunt; deinde, si oportuerit arma etiam terrena conferre, vires omnes nervosque ab religione sumunt, cum regio vate canentes: *Si consistent adversum me castra, non timebit cor meum*: (ps. XXVI). Purissima igitur luce renidet admirandae virginis Arcensis vexillum, in quo non tam inscribi possit "Gesta Dei per Francos," quam potius: *Cadet Assur in gladio non viri* (Is. XXXI. 8). Pro fidei enim gente, *nova bella elegit Dominus* (Iudith. v. 8), immissaque in aciem filia plebis contra hostes gallici nominis *de caelo dimicatum est* (Ib. v. 20).

Qui res gestas magnanimae pientissimaeque puellae Aurellianensis omni exuunt divinae virtutis instinctu, ad humanae tantum opis facultatem eas dimetientis, hi profecto ignorare videntur, hinc quae fuerit feminae sanctitas, hinc quae patrata per ipsam inaudita facinora; utraque res enim altera alterius ope

confirmatur. Venerabilis autem Dei serva Ioanna tum intra domesticos parietes atque in custodia gregis, tum in castrorum tumultu, *timebat Deum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum*: (Iudith. VII, 21). In sua vero innocentia et modestia, cum reliquarum comitatu virtutum, *prodigia facientem Dominum invocavit, qui, non secundum armorum potentiam, sed, prout ipsi placet, dat dignis victoriam* (Ib. VIII, 21). Nec in media militari licentia quidquam detrimenti passa est eius virtus, caelesti custode ipsam protegente, ut in Iudh. XIII, 20: *Custodivit me angelus eius, et hinc euntem et ibi commorantem et inde huc revertentem*. Quod si adiuncta spectentur singula, quibus ipsa non muliebri opus absolvit, sive militaris prudentia, sagacia, consilium, sive multiplex rerum cognitio, praesertim divinarum, sive arcanorum prospicientia, sive cetera denique superna dona iuxta illud Isaiae XLV, 3; *dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum*; ea omnia profecto divinitus acta esse patebit, de humilique puella, ad humanae confusionem superbiae, fuisse dictum a Domino: *admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo* (Is. XXIX, 14.)

Insignis haec Virgo vixit adhuc in ore hominum usque ad saecularis celebritatis honores ei recens exhibitos. Nunc vero beatis addenda caelicolis, multo nobis vivet utilior, impetratura patriae suae, de qua optime meruit, robur antiquae Fidei; catholicae autem Ecclesiae, cuius fuit studiosissima, solamen ex reditu tot errantium filiorum. Interim Deo confirmante novis prodigiis famam tantae sanctitatis, post editum decretum de approbatione virtutum in gradu summo, agitata iterum causa est et peculiaris instituta quaestio super tribus miraculis, a Deo per Ven. Dei Servam Ioannam patratis, de quibus SSmus. D. N. Pius PP. X, decreto edito idibus Decembribus superioris anni constare edixit.

Unum supererat, iuxta sacri huius Fori statuta, inquirendum; utrum Beatorum Caelitum honores Ven. Servae Dei Ioannae De Arc Tuto decerni possent. Itaque in generali conventu SS. RR. Congregationis habito coram SSmo. D. N. Pio Papa X, pridie idus Ianuarias volventis anni Rmus. Cardinalis Dominicus Ferrata, Causae Relator, discutiendum dubium proposuit: *An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum Tuto procedi possit, ad solemnem Ven. Servae Dei Ioannae De Arc Beatificationem*, Rmi. Cardinales et PP. Consultores, suffragium singuli ediderunt. SSmus. vero Pater, ab aperienda mente Sua abstinuit distulitque supremum iudicium in alium diem, monitis qui aderant, ut in re tam gravi caeleste lumen implorarent.

Tandem hodierno laetissimo die, per solemnia divinae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, Idem SSmus. Pater, Sacra Hostia pien-

tissime litata in domestico Sacello, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus ac pontificio solio assidens, ad Se accersivit Rmos. Cardinales Seraphinum Cretoni SS. RR. Congregationi Praefectum et Dominicum Ferrata, Causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: Tuto *procedi posse ad solemnem Ven. Servae Dei Ioannae De Arc Beatificationem.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in acta SS. Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de Beatificationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit habendis, expediri iussit, nono Calendas Februarias anno millesimo noningentesimo nono.

SERAPHINUS Card. CRETONI, S. R. C. Praefectus.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laod., S. R. C. Secretarius.

L. ✠ S.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS S. BENEDICTI.

Officium B.M.V. in sabbato.

Moniales Ordinis S. Benedicti apud *Princethorpe*, dioecesis Birminghamiensis in Anglia, vigore privilegii olim sibi concessi, Officium B. M. V. ut in Communi Sanctorum, omnibus sabbatis non aliter impeditis, sub ritu semiduplici recitare solent. Quibusdam autem temporibus, scilicet ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, a Nativitate Domini usque ad Purificationem, et a Pascha usque ad Pentecosten, Evangelium eiusdem Officii minime cum Evangelio Missae B. M. V. eisdem temporibus assignatae concordat. De facto Officium tale, ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, et a Nativitate Domini usque ad Purificationem nondum usque huc recitandum occurrit, saepius vero tempore paschali. Ut ergo hoc tempore paschali Officium Missae concordet, dictae moniales Evangelium *Stabant* cum Homilia S. Augustini, ut in festo VII Dolorum B. M. V. (feria VI post Dom. Passionis) et Responsoria de Communi B.M.V. legunt. Orto iam dubio de hac ratione agendi, eaedem moniales a sacrorum Rituum Congregatione humiliter petunt ut dubia sequentia solvere dignetur, nimirum:

I. An in sabbatina recitatione Officii B. M. V. Evangelium *Loquente* cum Homilia de Communi semper recitandum sit.

II. Si vero negative, quatenam sint Evangelia, Homilia et Responsoria iis variis temporibus recitanda, nempe: (a) ab Adventu usque ad Nativitatem Domini; (b) a Nativitate Domini usque ad Purificationem; (c) a Pascha usque ad Pentecosten.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, re sedulo perpensa ita respondendum censuit:

Ad I. Providebitur in II.

Ad II. Responsoria sint semper ut in festis B. Mariae Virginis per annum, cum Evangeliiis et Homiliis: (a) e feria IV Quatuor Temporum Adventus; (b) e die infra Octavam Nativitatis Domini *Vides festinare pastores* (30 Decembris); et (c) e priori festo Septem Dolorum B. M. V.

Atque ita rescripsit, die 22 Ianuarii 1909.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

MONITUM

Circa Edenda et Publicanda Acta Servorum Dei vel Beatorum.

Acta quae respiciunt vitam, virtutes et prodigia Servorum Dei vel Beatorum, quorum causis beatificationis et canonizationis manus apposuit sacra Rituum Congregatio, typis edi ac publici iuris fieri nequeunt, inconsulta eadem sacra Congregatione, et absque licentia *nihil obstat* R. P. D. Promotoris sanctae fidei, vel Adessoris ipsius sacri Consilii.

Datum Romae ex Secretaria SS. Rituum Congregationis, 12 Febr. 1909.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

MECHLINIEN.

DECRETUM.

Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Ven.

Servo Dei Ioanni Rusbrochio canonico regulari beato nuncupato.

Venerabilis Ioannes Rusbrochius, ita a vico natali *Van-Reusbroeck* prope *Halle*, in Brabantia, nuncupatus, anno 1293 in lucem editus est. Adhuc puer, relicta domo paterna ac patria, Bruxellas adiit ubi penes sacerdotem consanguineum litteris addiscendis operam dedit. Pietate singulari ac vitae integritate ita eluxit, ut totum Deo divinisque rebus se mancipatum ostenderet. Annis studiisque progredientibus, dignus est habitus qui ad sacerdotium eveheretur. Illud mirabile narratur quod ipsa die qua primum sacrum litaverat, mater iampridem defuncta Ioanni se videndam exhiberet, filiique precibus suam a placu-

laribus flammis liberationem acceptam referret. Pius ac doctus sacerdos tam voce quam scriptis Ecclesiae Christi doctrinam cum evangelicis consiliis docuit ac praedicavit, eamque adversus errores tunc grassantes praesertim haeresim *Liberorum Spirituum* iam a Viennensi Concilio damnatam, strenue vindicavit. Interim sacras exercitationes in populis fovet ac provehit, ut ipsi satagerent per bona opera certam vocationem et electionem facere; atque haec facientes non peccarent. Solitudinis amantissimus in eremum cui Vallis Viridis nomen erat, infra fines Mechliniensis Archidioecesis, se recepit. Illic socios habuit Ioannem Hincart et D. Franconem de Frigido Monte, canonicos. Cum iis degens in paupertate et simplicitate coenobium exstruxit, simulque instituit Congregationem Windesimensem Canoniorum Regularium S. Augustini cuius Ipse primus extitit prior generalis. In solitudine assiduae orationi et contemplationi vacabat, praesertim penes arborem quae aliquoties ob eius fervorem ignita ac irradians visa est. Unde merito vocatus est a Ven. Cardinali Bellarmino "*vir divinae contemplationi addictissimus*," et a Dionysio Cartusiano "*mirabilis vir et divinitus unctus*." Eius scripta mirifice testantur qua religione, quo pietatis affectu se aliosque excitabat ad Dei beneficia recogitanda, ad SS. Eucharistiae sacramentum adorandum, et ad Deiparam Virginem colendam atque imitandam. Unde de Rusbrochio Grotius scribere non dubitavit: "*nec sanctiorem in vita nec religiosiorem in scriptis meminisse*." Et Beatus Petrus Canisius in suo martyrologio inter Sanctos et Beatos recensuit etiam B. Ioannem Rusbrochium. Ob eximiam sanctitatem Ioannes et Dei et Deiparae Virginis visionibus pluries recreatus fuisse narratur, denique lethali atque insanabili morbo correptus, annis et meritis plenus ea, quam Ipse praedixerat, die secunda Decembris anno 1381 ad caelestem patriam evolavit. Fama sanctitatis quam servus Dei vivens sibi adepta fuerat, post obitum ac in decursu temporis adeo invaluit, ut de ea in ecclesiastica Curia Mechliniensi anno 1624 Processus Informativus adornatus fuerit quem, signata prius Commissione, mox Apostolica subsecuta est Inquisitio anno 1626 instituta, qui quidem Processus in Archivo Vaticano sacrae Rituum Congregationis asservantur. Anno autem 1786 die 27 Maii in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, instantibus Cappellanis Ecclesiae Collegiatae Bruxellensis Ss. Michaëli et Gudulae dicatae, de Festo cum officio et missa celebrando in honorem Ven. Servi Dei Rusbrochii, Beati nuncupati, actum est, Ponente Emo. Cardinali Boschi Maiori Poenitentiario. Quum vero Processus supradicti haud satis essent ad probandum cultum publicum, ecclesiasticum et constantem cum fama sanctitatis Ven. Servo Dei exhibitum seu casum exceptum

a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, Sacra eadem Congregatio rescripsit: *dilata, et audiat* S. Fidei Promotor, facta potestate quaestionem iterum proponendi cum animadversionibus ipsius Promotoris et responsionibus Advocati. Neque enim de Festo cum Officio et Missa agi poterat quin prius memoratus cultus rite recognitus fuisset. Verum quidem est quod ob causas praesertim extrinsecas, inter quas recensendae tum iniqua ac violenta suppressio monasterii Vallis Viridis per Imperatorem Iosephum II, tum sacrilega dispersio reliquiarum Ven. Servi Dei per impias cohortes militares Reipublicae Gallicanae, et cultus aliquid detrimenti passus est, et quaestio inchoata per diuturni temporis spatium interrupta siluit. Sed quum de felici ipsius quaestionis exitu summopere speraret Causae Postulator fel. rec. Torquatus Armellini Societatis Iesu, eiusdem Causae reassumptionem ab Apostolica Sede petiit atque obtinuit an. 1890, in statu tamen et terminis in quibus ipsa Causa erat annis 1625-1634, quando decreta Urbani Papae VIII evulgata fuere. Hinc Litterae remissoriales et compulsoriales expeditae sunt ad Processum Apostolicum cum subsequenti sententia in ecclesiastica Curia Mechliniensi conficiendum super memorato cultu seu casu excepto comprobando sive per testium depositiones, sive per idonea documenta authentica. Hisce Actis Processualibus expletis et Romam ad Sacram Rituum Congregationem delatis validisque habitis, instante hodierno Causae Postulatore Rmo. P. Camillo Beccari, Societatis Iesu, supplicia vota etiam depromente Emi. et Rmi. Dni. Cardinalis Desiderati Mercier, Archiepiscopi Mechliniensis, necnon R. D. Parochi S. Clementis ubi peculiaris cultus erga Ven. Rusbrochium viget, et cleri populique Bruxellensis, imo totius Archidioecesis, Emus. et Rmo. Dnus. Card. Sebastianus Martinelli ipsius Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: "An sententia lata a Rmo. Iudice subdelegato ab Emo. ac Rmo. D. Cardinali, Archiepiscopo Mechliniensi, super cultu publico ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito Ven. Servo Dei, seu de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda, in casu et ad effectum de quo agitur?" Atque Emi. et Rmi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi. Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, re sedulo perpensa rescribendum censuerunt: "Attentis omnibus, constare de casu excepto." Die 1 Decembris 1908.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi

Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum ipsius Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 9, eisdem mense et anno.

SERAPHINUS Card. CRETONI, S. R. C., *Praefectus*.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., S. R. C., *Secretarius*.

L. ✠ S.

De non impertienda benedictione nuptiali extra missam.

Rmus. Dnus. Santinus Maria de Silva Coutinho, Archiepiscopus Belemensis de Para, sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit :

Iam multis abhinc annis, in archidioecesi Belemensi de Para in Brasilia, consuetudo viget celebrandi matrimonia post meridiem vel sub nocte, quae magis invaluit post introductam legem civilis matrimonii, quo fit ut coniuges saepissime negligent et omittant, benedictionem nuptialem in Missa alio tempore recipere. Hinc quaeritur : an, attentis expositis, et pro dicta dioecesi, in matrimoniis celebrandis, benedictio nuptialis, prout in Missa pro sponso et sponsa, etiam extra Missam in posterum impertiri possit ?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, proposito postulato respondendum censuit : Negative.

Atque ita rescripsit, die 12 Februarii 1909.

S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION FOR EXTRAORDINARY AFFAIRS.

Declaratio de conditione fillorum qui parentes habent mixtos seu mestitios, quoad privilegia Americae Latinae concessa per Litteras Apostolicas Trans Oceanum diei 10 Aprilis 1897.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Die 15 Septembris 1908.

Proposito dubio, an filii *mixtorum* seu *mestitiorum* gaudeant privilegiis Americae Latinae a f.r. Leone PP. XIII per Litteras Apostolicas *Trans Oceanum* diei 18 Aprilis 1897 concessis SSmus. Dnus. N. Pius Papa X, referente me infrascripto sacrae Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae Secretario, haec quae sequuntur declaranda censuit :

Filii *mixtorum* seu *mestitiorum* praefatis privilegiis uti valent,

dummodo ambo parentes vere *mixti* seu *mestitii* sint, idest uterque eorum seiunctim absolutam medietatem sanguinis indici vel nigrifici habeat.

Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

L. ✠ S.

R. SCAPINELLI, *Secretarius*.

CONGREGATION OF STUDIES.

Epistola ad Rmos. Ordinarios qua linguam latinam in clericorum institutione neglectam, S. S. C. vehementer conqueritur, et de eius studio ac usu generalem legem edicit.

Rme. Domine,

Vehementer sane dolemus quod accepimus linguam latinam in quibusdam Seminariis ita negligi ut a disciplinis non solum Philosophiae et Iuris canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis praesertim qui subtiliori et exquisitiori ratione in magnis Lycaeis ad has disciplinas applicaturi sunt, maximum affert detrimentum.

Ipsi quidem omittimus quantopere et expetenda et colenda ea esset a Clero—cui litteratum esse nunquam dedecuit—quippe cum latinae litterae secundum graecas ceterarum sint fons et fundamentum.

At illud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadverti volumus, linguam latinam iure meritoque dici et esse linguam Ecclesiae propriam. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disiunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possent. Hac lingua, in quam sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat preces, Sacrum facit omnesque sacros ritus et caeremonias, quas Liturgia praescribit, exequitur. Quin etiam hac lingua Summus Pontifex et Sacra Consilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros Sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latini scripsere, eos et huic linguae commendarunt.

Sed praeterea lingua latina cum Philosophiae, tum sacrarum disciplinarum lingua facile dicenda est. Cum enim ipsius vis et natura ea sit, ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue

explicandas, hac perpetuo usi sunt a media quae vocatur aetate usque ad totum saeculum XVIII eademque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive de Theologia, sive de Iure Canonico, sive de ipsa Philosophia et magistri in iisdem docendis discipulis.

Quapropter, quum ex his quae diximus satis appareat summa sacrorum alumnis huius linguae cognitione opus esse, hoc S. Consilium Studiis regundis etiam atque etiam hortatur cum magistros, ut ad normam Constitutionis Leonis PP. XII "Quod divina Sapiencia," tit. VI, cap. 82-84, hac lingua disciplinas tradant, tum discipulos, quo alacrius pleniusque, secundum Litteras Encyclicas "Depuis le jour," die 8 mens. Sept. an. 1899 a Summo Pontifice Leone PP. XIII datas, in huius linguae studium incumbant, prout sacra studia potissimum apud Archigymnasia requirunt.

Firma spe freti fore ut Amplitudo Tua omni ope et opere eniti velit, ut nostris his optatis quam optime satisfiat, dum Te oramus ut has litteras acceptas Nobis significes, peculiari cum observantia Tibi omnia fausta a Deo O. M. adprecamur.

Datum e S. Congregatione Studiorum, Kal. Iul. a. 1908.

Amplitudini Tuae

Addictissimi

L. ✠ S.

FRANCISCUS Card. SATOLLI, *Praefectus*.
ASCENSUS DANDINI, *Secretarius*.

CONGREGATION OF BISHOPS AND REGULARS.

Abbatì Generali Ordinis Cisterciensium cappae magnae privilegium impertitur.

Beatissime Padre,

Il P. Vicario Generale dell'Ordine dei Cisterciensi della Comune Osservanza, a nome anche degli altri Vicari....., umilmente implora che la S. V. benignamente si degni concedere al P. Abate Generale dell'Ordine il privilegio della Cappa Magna, con tutte le facoltà, grazie e prerogative che vi sono annesse.

Che della grazia.

Ex Audientia diei 21 Iunii 1908, Sanctitas Sua benigne excipiens preces Vicariorum Generalium Congregationis Cisterciensis Communis Observantiae privilegium Cappae Magnae P. Abbati Generali impertiri dignata est.

Romae, die et anno ut supra.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.
PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE SACRAMENTS.

Petitio legitimatōis prolis requiritur in dispensatione ex causis inhonestis.

Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum sequens dubium propositum fuit: an, iuxta tenorem formularum sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis inhonestis intelligi debeat tacite concessa Ordinario etiam facultas declarandi legitimam prolem susceptam ante executionem dispensationis et celebrationem matrimonii.

Eadem S. Congregatio, re mature perpensa, respondere censuit: Negative, sed requiri ut prolis legitimatio ab oratoribus petatur eaque in rescripto concedatur.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congr., die 29 Ianuarii 1909.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

OFFICE OF THE SACRED PENITENTIARY.

De censuris propter bona ecclesiastica in Galliis usurpata

Ordinarius Lucionensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentes difficultates humillime proponit:

1°. Locatarios qui, conductione inita cum administratore civili vel cum alio iniusto detentore, bona ecclesiastica usurpata occupant atque fructus ex eis percipiunt excommunicationem incurrere a Conc. Trident. latam (Sess. XXIII, cap. XI de Reform.) plerique auctores docent, quidam tamen negant.

2°. Executores, qui per applicationem legis civilis, ecclesiastica bona occupant et vendunt, eadem feriri censura declaravit S. Poenitentiaria 13 Nov. 1863 dicens: "Attentis occupationibus . . . quibus regius oeconomatus operam suam praestare tenetur, quaeque absque ecclesiasticarum censurarum incursu fieri nequeunt . . ." Sed eadem S. Congr. respondit 17 Sept. 1906 excommunicationem non incurrere eum qui libere *accepit* munus alicuius communitatis religiosae bona secundum novam gallicam legem expediendi, cum tamen talis liquidatoris munus sit spoliū exsequendi atque bona occupandi et vendendi nomine Gubernii, immo et in proprios usus, salarii colore partim convertendi.

3°. Emptores fructuum, qui sibi acquirunt, etiam in quantitate notabili, fructus naturales ex bonis ecclesiasticis usurpatis provenientes minime incurrere praedictam censuram plures dicunt.

Ut tuto dirigantur conscientiae tum fidelium tum pastorum in hisce difficultatibus versatae, praedictus Ordinarius enixe postulat sequentium dubiorum solutionem :

I. Utrum locatarii, qui, conductione inita cum administratore civili aut cum alio illegitimo detentore, bona ecclesiastica occupant, excommunicationem a Conc. Trid. latam incurrant, vel tantum peccent contra iustitiam et teneantur ad restitutionem ?

II. Utrum, non obstante mente S. Poenitentiariae 13 Novembris 1863, executores seu liquidatores, qui usurpationem consummando bona ecclesiastica aut religiosa occupant et vendunt atque ex iis quaestum absumunt, ab excommunicatione immunes sint ?

III. Utrum emptores fructuum naturalium ex bonis ecclesiasticis usurpatis provenientes, si tamen hos fructus percipiant in notabili quantitate, eandem censuram incurrant vel saltem ad restitutionem teneantur ?

S. Poenitentiaria, mature consideratis expositis, circa praemissa respondet :

Ad I. Locatarios excommunicationem incurrere, et ad restitutionem, iuxta normas a theologis traditas, teneri.

Ad II. Liquidatores quatenus nomine Gubernii bona usurpata administrant, eorumque venditionem procurant, non incurrere censuram ; si vero partem bonorum immobilium sibi retineant, eam incurrere.

Ad III. Emptores fructuum naturalium, qui publicae venditioni exponuntur, absolvi posse, imposita eisdem aliqua elemosyna in favorem congregationum ad quas bona pertinent, quatenus emerint pretio quod inferius sit iusto.

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 5 Augusti 1907.

A. CARCANI, *Regens.*

F. CHERUBINI, *Substitutus.*

LITTERAE

Ad Ordinarios Galliarum, de Compositionibus Quoad Bona Ecclesiastica.

Venerabilibus in Christo Patribus Galliae Ordinariis, salutem et sinceram in Domino caritatem.—Neminem sane latet quanta animi fortitudine et constantia SSmus. Dnus. Noster Pius divina providentia PP. X sacrosancta Ecclesiae iura adseruerit et iniquas leges postremis hisce annis in Gallia latas reprobaverit ac damnaverit. Idem vero Summus Pontifex apprimè sollicitus pro salute animarum, quae suprema lex est et ultimus finis, cui terrena omnia subordinari oportet, memor caritatis Christi

Domini, de quo scriptum fuit : " Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet," luculenter ostendit infirmitati debilium, quoad fieri potest, indulgendum esse, ut errantes in viam aeternae salutis revocari queant.

Hunc porro in finem tributae fuerunt, per litteras ab Emo. Cardinali a secretis Status datas die 24 Septembris 1907, omnibus et singulis Venerabilibus in Christo Patribus Galliarum Ordinariis amplae facultates pro iis, qui propriae conscientiae consulere cupiant postquam bona Ecclesiae erepta qualicumque titulo acceperint, vel bona ipsa, honestis de causis, acquirere postulent.

Quo autem melius innotescat mens Summi Pontificis in supradictis facultatibus tribuendis, simulque habeatur norma certa eas interpretandi et practice applicandi, Sanctitas Sua huic S. Poenitentiariae speciali mandato commisit, ut cum praelaudatis Galliarum Ordinariis communicaret ea quae sequuntur, quaeque in audientia diei 15 huius mensis ipsa Sanctitas Sua expresse probavit.

Nihil videlicet timendum est, ne ex aequa compositione iniustis bonorum Ecclesiae detentoribus concessa ipsius Ecclesiae iura in se pessumdentur seu minuantur. Primum enim per huiusmodi compositionem nullatenus relevantur praecipui spoliatores seu auctores iniquarum legum, quarum vi bonorum Ecclesiae directio et alienatio consummata fuit. Deinde, tantum abest ut ea compositio obligationem integre restituendi pro ipsis iniustis detentoribus vel diffiteatur vel solum dissimulet, ut eam potius praesupponat, atque ostendat in Ecclesia ius plene vigens eam exigendi. Si quidem qui per benignam compositionem alicuius rei partem condonat, eo ipso ostendit omnimodam sibi esse facultatem de ea re libere disponendi; qui autem compositionem petit vel solummodo acceptat, debitum suum manifeste recognoscit et profitetur.

Quae cum ita sint, sedulo cavendum est ne forte per rigidiorum quamdam agendi rationem, hac in re, suprema Romani Pontificis auctoritas circa bona Ecclesiae temporalia coarctari videatur, atque insuper adiuvetur ipsum consilium impiorum, qui eo demum spectant, ut animas pretioso D. N. I. C. sanguine redemptas in aeternum perdant. Multi enim sunt in Gallia, quorum in mente fidei lumen non penitus extinctum est, qui tamen, impellente temporalis lucri cupidine, bona Ecclesiae directa accipere non dubitarunt. Hi autem si toto poenarum et obligationum rigore urgeri se senserint, harum difficultate territi, potius in peccato insordescere, quam iustis S. Matris Ecclesiae querimoniis satisfacere eligent. Contingere etiam potest ut, imminente mortis periculo, propinqui seu haeredes moritutorum negent

morem gerere postulantis sacerdotem confessarium, veriti ne eius hortatu morituri ipsi de integra bonorum Ecclesiae restitutione rite disponant; atque ita fiet ut miseri, non obtenta admissorum absolutione, ac non sine gravi scandalo e vivis decedant. Contra, per benigniorem compositionem dum spirituali debilium bono consulitur, aliqua saltem ex parte resarciuntur Ecclesiae damna, maiorque affulget spes fore ut etiam renitentiores, facili reconciliationis conditione allecti, ad salutarem poenitentiam bonamque frugem serius ocius deveniant.

Recolendum quoque est censurarum finem non esse solam criminis vindictam, sed praecipue resipiscentiam delinquentium.

Hinc factum est ut, in similibus adiunctis, Summi Pontifices, licet immutabilia Ecclesiae iura alte proclamaverint, aequam tamen compositionem semper et benignissime permiserint; quemadmodum peregissee constat, inter alios, Iulium III, anno 1554, cum Anglis; Clementem XI, anno 1714, cum Saxonibus; Pium VII, superiore saeculo, cum ipsis Gallis; et nuperrime Pium IX ac Leonem XIII cum Italis.

Ceterum normae peculiare in concedenda compositione servandae adeo perspicue definitae sunt in praefatis litteris Emi. Cardinalis a secretis Status, ut nulla videantur indigere declaratione. Si qua tamen in praxi oborta fuerit dubitatio, primum erit recurrere ad hanc ipsam S. Poenitentiarium, quae singulis, uti par est, absque mora faciet satis.

Datum Romae ex S. Poenitentiarium, die 16 Ianuarii 1909.

S. Card. VANNUTELLI, *Poenitentiarius Maior*.

I. PALICA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

LITTERAE ENCYCLICAE.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Communium rerum inter asperas vices additasque nuper domesticas calamitates, quibus animus Noster dolore premitur, plane recreat ac reficit christiani populi universi recens conspiratio pietatis, quae adhuc esse non desinit *spectaculum mundo et angelis et hominibus* (1), a praesenti facie malorum forte excitata promptius, sed ab una denique causa profecta, Iesu Christi Domini Nostri caritate. Quum enim huius nominis digna virtus nulla in terris exstiterit nec possit esse nisi per Christum, Ipsi uni accepti referendi sunt fructus qui ab ea dimanant inter homines etiam in fide remissiores aut religioni infensos, in quibus si quod exstat vestigium verae caritatis, id omne humanitati a Christo illatae debetur, quam ipsi totam exuere et a christiana societate propulsare nondum valuerunt.

Hac tanta contentione quaerentium Patri solatia et fratribus opem in communibus et privatis aerumnis, commotis Nobis vix verba suppetunt, quibus grati animi sensus exprimamus. Quos etsi non semel singulis testati sumus, haud remorari voluimus gratiae publice referendae officium exsequi, apud vos primum, Venerabiles Fratres, et per vos apud fideles omnes, quicumque sunt vigilantiae vestrae concrediti.

Sed libet etiam gratum animum profiteri palam filiis carissimis, qui, ex omnibus terrarum orbis partibus, tot ac tam praeclaris amoris et observantiae significationibus quinquagenariam sacerdotii Nostri memoriam sunt prosequuti. Quae quidem humanitatis officia, non tam Nostra, quam Religionis et Ecclesiae causa delectarunt, quod impavidae fidei testimonium exstiterint et quasi publica honoris significatio Christo Ecclesiaeque debiti, per obsequium ei exhibitum, quem Dominus familiae suae praepositum voluit. Sed et alii idem genus fructus haud mediocris

(1) I. Cor., IV, 9.

causam laetitiae attulerunt. Nam et saecularia solemnia institutarum in America Septemtrionali diocesium occasionem obtulerunt immortales Deo gratias agendi ob additos catholicae Ecclesiae tot filios; et Britannica insula nobilissima spectaculo fuit ob instauratum suos intra fines pompa mirifica honorem Eucharistiae sanctissimae, adstante Venerabilium Fratrum Nostrorum corona cum ipso Legato Nostro ac populo confertissimo; et in Galliis afflicta Ecclesia lacrimas deterisit mirata splendidos Augusti Sacramenti triumphos, Lourdensi maxime in urbe, cuius celebritatis origines gavisi sumus quinquagenario apparatu solemniter fuisse commemoratas. Ex his aliisque norint omnes persuasumque habeant catholici nominis hostes, splendiores quasdam caeremonias, exhibitum Augustae Dei Matri cultum, honores ipsos Pontifici Summo tribui solitos, eo tandem spectare ut in omnibus magnificetur Deus; ut sit *omnia et in omnibus Christus* (1); ut, regno Dei in terris constituto, sempiterna comparetur homini salus.

Exspectandus divinus hic de singulis ac de universa hominum societate triumphus non alius est nisi aberrantium a Deo ad Ipsum reversio per Christum, ad hunc autem per Ecclesiam suam; quod quidem Nobis esse propositum, vel primis Nostris Apostolicis Litteris *E supremi Apostolatus Cathedra* (2), et saepe alias, aperte declaravimus. Hunc reditum cum fiducia suspicimus; ad hunc maturandum consilia Nostra sunt et vota conversa, tamquam ad portum, in quo praesentis etiam vitae procellae conquiescant. Atque hoc nimirum quod publice redditi Ecclesiae honores velut indicio, Deo bene iuvante, sint redeuntium gentium ad Christum et Petro Ecclesiaeque arctius adhaerentium, officia humilitati Nostrae persoluta libenti gratoque animo excepimus.

Haec autem cum Apostolica Sede caritatis necessitudo etsi non eodem semper aut ubique se gradu prodidit nec uno significationis genere, nihilominus divinae Providentiae consilio factum videtur, ut eo devinctior exstiterit, quo iniquiora, uti modo sunt, tempora sive sanae doctrinae, sive sacrae disciplinae, sive Ecclesiae libertati decurrerunt. Coniunctionis id genus exempla sancti viri praebuerunt iis tempestatibus, quum aut exagitaretur Christi grex, aut aetas vitiis diffunderet; quibus malis opportune Deus obiecit illorum virtutem atque sapientiam. Ex iis unum commemorare hisce Litteris maxime iuvat, cuius in honorem hoc ipso anno apparantur saecularia solemnia, expleto a beatissimo eius exitu octavo saeculo. Is est Augustanus doctor Anselmus, catholicae veritatis adsertor et sacrorum iurium propugnator

(1) Coloss., III, 11.

(2) Encyclica, diei 4 Octobris MDCCCIII.

acerrimus, tum qua monachus et Abbas in Gallia, tum qua Cantuariensis Archiepiscopus et Primas in Anglia. Nec alienum esse arbitramur, post acta splendido ritu solemnia doctorum Gregorii Magni et Ioannis Chrysostomi, quem alterum occidentalis, alterum orientalis Ecclesiae iubar admirati suspicimus, aliud intueri sidus, quod si a prioribus *differt in claritate* (1), illorum tamen progressionem aemulando, haud infirmiore lucem exemplorum doctrinaeque diffundit. Quin etiam eo potentior quodammodo dixeris, quo nobis propior Anselmus aetate, loco, indole, studiis, et quo magis accedunt ad horum similitudinem temporum sive luctae genus, sive pastoralis actionis forma ab ipso in usum deducta, sive instituendi ratio, per se, per discipulos tradita et scriptis maxime confirmata, ex quibus habita est norma *ad defensionem christianae religionis, animarum profectum, et omnium theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt* (2). Quare sicut in noctis caligine aliis occidentibus stellis, aliae ut mundum illustrent oriuntur, sic ad Ecclesiam illustrandam Patribus filii succedunt, inter quos beatus Anselmus velut clarissimum sidus effulsit.

Ac vere quidem in media aevi sui caligine, vitiorum errorumque laqueis impliciti, optimo cuique inter aequales visus est suae fulgore doctrinae ac sanctitatis praelucere. Fuit enim *fidei princeps et decus Ecclesiae ... gloria pontificalis*, qui sui temporis omnes vicerat electos egregiosque viros (3).—Idem *et sapiens et bonus et sermone refulgens, ingenio clarus* (4) cuius fama eo usque progressa est, ut merito scriptum sit, non fuisse in terris quemquam, *qui dicere vellet: me minor Anselmus est similisve mihi* (5); acceptus ob haec regibus, principibus, Pontificibus Maximis. Nec suis modo sodalibus ac fidei populo, sed *carus habebatur hostibus ipse suis* (6). Ad eum etiam tum Abbatem litteras existimationis et benevolentiae plenas misit magnus ille ac fortissimus Pontifex Gregorius VII, quibus *se et Ecclesiam catholicam eius orationibus commendabat* (7). Eidem Urbanus II. *religionis ac scientiae praerogativam* adseruit (8). Pluribus, iisque amantissimis litteris, Paschalis II *reverentiam devotionis, fidei robur et pie sollicitudinis instantiam* extulit laudibus, eius auctoritate *religionis ac sapientiae* (9) facile adductus ut fraternitatis suae postulationibus annueret

(1) I. Cor., XV, 41.

(2) Breviar. Rom., die 21 Aprilis.

(3) Epicedion in obitum Anselmi.

(4) In Epitaphio.

(5) Epicedion in obitum Anselmi.

(6) Ibid.

(7) Breviar. Rom., die 21 Aprilis.

(8) In libro II Epist. S. Anselmi, ep. 32.

(9) In lib. III Epist. S. Anselmi, ep. 74 et 42.

quem praedicare non dubitavit omnium Angliae episcoporum sapientissimum ac religiosissimum.

Nec tamen aliud esse sibi videbatur nisi contemptibilis homuncio, ignotus homunculus, homo parvae nimis scientiae, vita peccator. Cumque de se tam demisse sentiret, non hoc tamen impediabatur quominus alta cogitaret, contra ea quae malis moribus opinionibusque depravati homines iudicare solent, de quibus sacrae literae; *Animalis ... homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei* (1). Illud vero plus habet admirationis, quod eius magnitudo animi et invicta constantia, tot molestiis, impugnationibus, exsiliis tentata, ea cum lenitate fuit et gratia coniuncta, ut vel ipsorum iram frangeret qui ei succenserent, eorumque sibi benevolentiam conciliaret. Ita, quos eius causa gravabat laudabant tamen quod bonus ipse foret (2).

Fuit igitur in eo admirabilis quaedam earum partium conspiratio et consensus, quas plerique falso arbitrantur secum ipsas necessario pugnare nec ullo pacto posse componi; nudo candori consociata granditas, animo excelso modestia, fortitudini suavitas, pietas doctrinae; adeo ut, quemadmodum in instituti sui tirocinio, ita etiam in omni vita, *mirum in modum tamquam sanctitatis et doctrinae exemplar ab omnibus haberetur* (3).

Neque vero duplex haec Anselmi laus intra domesticos parietes aut magisterii se fines continuit, sed, quasi e militari tabernaculo, processit in solem et pulverem. Nanto enim quae diximus tempora, pro iustitia et veritate fuit ei dimicandum acerrime. Cumque naturae vi ad ea studia ferretur maxime quae in rerum contemplatione versantur, in plura et gravia negotia coniectus est, et, sacro assumpto regimine, in medium devenit rerum certamen atque discrimen. Et qui miti ac suavi erat ingenio, studio tuendae doctrinae ac sanctitatis Ecclesiae compulsus est a tranquillae vitae iucunditate recedere, principum virorum amicitiam gratiamque deserere, dulcissima vincula, quibus cum sodalibus religiosae familiae sociisque laboris episcopis iungebatur, abrumperere, diuturnis conflictari molestiis, omne genus angustiiis premi. Gravissimis enim odiis ac periculis circumseptum locum expertus est Angliam, ubi enixe illi obsistendum fuit regibus ac principibus, quorum arbitrio erant Ecclesiae sortes gentiumque permissae; ignavis aut indignis officio sacro ministris; optimatibus plebique rerum omnium ignaris atque in pessima quaeque vitia ruentibus; imminuto nunquam ardore, quo fidei, morum, Ecclesiae disciplinae ac libertatis, eiusque propterea doctrinae ac sanctitatis exstitit vindex; plane dignus hoc altero memorati

(1) I. Cor. II, 14.

(2) Epicedion in obitum Anselmi.

(3) Breviar. Rom., die 21 Aprilis.

Paschalis praeconio : *Deo autem gratias, quia in te semper episcopalis auctoritas perseverat, et inter barbaros positus, non tyrannorum violentia, non potentium gratia, non incensione ignis, non effusione manus a veritatis annuntiatione desistis. Et rursus : Exultamus, inquit, quia gratia Dei tibi praestante auxilium, te nec minae concutiunt nec promissa sustolunt* (1).

Ex his omnibus, Venerabiles Fratres, aequum est Nos etiam cum Decessore Nostro Paschali, lapsis ab illa aetate saeculis octo, laetitiam percipere, eiusque voci resonare, gratias Deo persolventes. Simul vero cohortari vos iuvat ad hoc sanctitatis doctrinaeque lumen intuendum, quod, in Italia ortum, Gallis affulsit plus annos triginta; Anglis supra quindecim; Ecclesiae denique universae communi praesidio ac decori fuit.

Quod si *opere et sermone* excelluit Anselmus, hoc est, si vitae pariter doctrinaeque palaestra, si contemplandi vi et agendi alacritate, si dimicando fortiter et sectando pacem suaviter, splendoris Ecclesiae triumphos comparavit et insignia in civilem societatem beneficia contulit, haec omnia ex eo sunt repetenda, quod in omni vitae cursu doctrinaeque ministerio Christo et Ecclesiae quam firmissime adhaeserit.

Haec mentibus defigenda curantes in tanti Doctoris commemoratione solemniter, praeclara inde hauriemus, Venerabiles Fratres, et quae admiremur et quae imitemur exempla. Plurimum quoque ex ea contemplatione accedet roboris ac solatii ad sacri ministerii partes, arduas plerumque ac sollicitudinis plenas, viriliter explendas, ad impense curandum ut omnia instaurentur in Christo, ut in omnibus *formetur Christus* (2), maxime in iis, qui in spem sacerdotii succrescunt; ad constanter propugnandum Ecclesiae magisterium; ad obnitendum strenue pro Christi sponsae libertate, pro sanctitate iuris divinitus constituti, pro iis denique omnibus quaecumque sacri Principatus defensio postulat.

Nec enim vos latet, Venerabiles Fratres, quod saepe Nobiscum complorastis, quam tristitia sint in quae incidimus tempora, et rerum Nostrarum quam sit iniqua conditio. Ipsius doloris, quem ex publicis infortuniis incredibilem cepimus, refricatum est vulnus probrosis criminationibus clero conflatis, quasi segnem adiutorem in ea se calamitate praebuerit; interiectis impedimentis ne benefica Ecclesiae virtus pateret miseris filiis; eius ipsa materna cura et providentia contempta. Alia plura silemus, quae in Ecclesiae perniciem aut versute et callide agitata sunt, aut nefario ausu patrata, publici violatione iuris, atque omni

(1) In lib. III, Epist. S. Anselmi, ep. 44 et 74.

(2) Galat., IV, 19.

naturalis aequitatis et iustitiae lege despecta. Idque iis in locis accidisse gravissimum est, in quae illatae ab Ecclesia humanitatis abundantior amnis influxit. Quid enim tam inhumanum quam ut e filiis, quos Ecclesia quasi primogenitos aluit fovitque in ipso suo vel flore vel robore, non dubitent quidam in Matris amantissimae sinum sua tela convertere?—Nec est cur admodum recreet aliarum conditio regionum, ubi varia quidem belli facies est, furor idem, aut iam exardescens, aut ex occultae coniurationis tenebris mox erupturus. Hoc enim est consiliorum ultimum, apud gentes in quas maiora christianae religionis beneficia promanarunt, omnibus iuribus Ecclesiam despoliare; cum ipsa sic agere, quasi non sit genere ac iure perfecta societas, qualem naturae nostrae Reparator instituit; huius regnum excindere, quod etsi praecipue ac directo animos attingit, haud minus ad horum sempiternam salutem quam ad civilis utilitatis incolumitatem pertinet; omnia moliri ut imperantis Dei loco effrena dominetur, mentito libertatis nomine, licentia. Dumque id assequantur, ut per dominatum vitiorum et cupiditatum pessima omnium instauretur servitus, ac praecipiti cursu cives ad extrema delabantur;—*miseros autem facit populus peccatum* (1)—clamitare non cessant: *nolumus hunc regnare super nos* (2). Hinc religiosorum sodalium sublatae familiae, quae magno semper Ecclesiae praesidio atque ornamento fuerunt, et humanitatis doctrinaeque sive inter barbaras gentes sive inter excultas provehendae principes exstiterunt; hinc prostrata et afflicta christianae beneficentiae instituta; hinc habiti ludibrio sacri ordinis viri, quibus aut ita obsistitur ut eorum plane concident vires, aut ad publica magisteria vel omnino intercluditur vel satis impeditur iter; aut in institutione iuventutis nullae relictae sunt partes; hinc christiana omnis actio publicae utilitatis intercepta; egregii e populo viri catholicam fidem apertius profitentes, nullo in honore numerove positi, procacibus iniuriis lacessiti, exagitati quasi genus infimum atque abiectissimum, serius ocus visuri diem, quo, recrudescente hostili vi legum, nec sibi licebit in rebus ullis misceri, quibus publica vitae actio continetur. Huius interim auctores belli, tam atrociter callideque suscepti, non alia dictitant se causa moveri, nisi libertatis amore ac studio provehendae humanitatis, quin etiam patriae caritate, haud secus mentiti atque ipsorum parens, qui *homicida erat ab initio*, qui *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est* (3), et in Deum atque in hominum genus inexprabili odio succensus. Protervae sane frontis homines, qui verba dare nituntur et incautis

(1) Prov., XIV, 34.

(2) Luc., XIX, 14.

(3) Ioan. VIII, 44.

auribus insidias facere. Nec enim eos dulcis amor patriae aut anxia de populo cura, aut ulla recti honestique species ad nefarium bellum impellunt, sed vesanus in Deum furor in eiusque admirandum opus, Ecclesiam. Ex concepto eiusmodi odio, tamquam ex venenato fonte, scelerata illa consilia erumpunt Ecclesiae opprimendae summovendaeque a coniunctione societatis humanae; inde ignobiles voces clamitantium eam esse demortuam, quam nihilominus oppugnare non desinunt; quin etiam eo audaciae insaniaeque procedunt, ut omni libertate spoliata criminari non dubitent quod in hominum genus, quod in rempublicam utilitatis conferat nihil. Idem infensus animus efficit, ut illustriora Ecclesiae atque Apostolicae Sedis beneficia vel astute dissimulent, vel silentio praetereant; forte etiam occasionem arripiant iniiciendae suspicionis et influendi callido artificio in aures animosque multitudinis, acta dictave singula Ecclesiae aucupantes eaque traduentes quasi totidem impendentia civitati pericula, quum contra dubitari non possit, quin germanae libertatis et exquisitioris humanitatis incrementa a Christo maxime, per Ecclesiam, profecta sint.

In huius impetum belli, ab externis hostibus illati, a quibus *alibi quidem acie aperta*que dimicatione, *astu alibi abstrusis*que insidiis, *attamen ubique Ecclesiam oppugnari* conspiciamus, ut vigiles essent curae vestrae conversae, Venerabiles Fratres, quum saepe alias tum vos praecipue monuimus allocutione in sacro Consistorio habita XVII Cal. Ianuarias anno MDCCCXVII.

Verum haud severe minus quam dolenter denuntiandum cohibendumque Nobis est aliud belli genus, intestini quidem ac domestici, sed eo funestioris quo latet occultius. Hanc machinati sunt pestem perdit quidam filii, in ipso Ecclesiae sinu delitescentes ut eum dilacerent. Horum tela in Ecclesiae animam, tamquam in trunci radicem, coniiciuntur, et certo ictu ac destinato feriant. Est enim ipsis propositum christianae vitae doctrinaeque turbare fontes; sacrum fidei depositum diripere; per pontificiae auctoritatis et episcoporum contemptum divinae institutionis fundamenta convellere; novam Ecclesiae formam imponere, novas leges, nova iura describere, prout pessimarum quas profitentur opinionum portenta desiderant; totam denique divinae Sponsae deformare faciem, vano fulgore perculsi recentioris cuiusdam humanitatis, hoc est, falsi nominis scientiae, a qua cavere iterato nos iubet Apostolus his verbis: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum* (1). 2880

Hac philosophiae specie atque inani eruditionis fallacia, ad

(1) Coloss., II, 8.

ostentationem parata et cum summa iudicandi audacia coniuncta, capti nonnulli *evanuerunt in cogitationibus suis* (1), et *bonam conscientiam ... repellentes, circa fidem naufragaverunt* (2); alii ancipiti cogitatione distracti, opinionum quasi fluctibus obruuntur, nec ipsi sciunt ad quod litus appellant; alii otio et litteris abutentes, difficiles nugas inani labore consectantur; quo fit ut a studio rerum divinarum et a sinceris doctrinae fontibus abducantur. Neque vero exitiosa ista labes, quae ab incensa morbosae novitatis libidine *modernismi* nomen accepit, etsi denunciata saepius, et ipsa fautorum intemperantia suis integumentis nudata, cessat gravi detrimento esse christianae reipublicae. Latet virus inclusum in venis atque in visceribus huius nostrae societatis, quae a Christo et ab Ecclesia descivit; maxime vero *uti cancer* serpit inter succrescentem sobolem, cui et rerum experientia minima est et insita ingenio temeritas. Nam, cur ita se gerant, non ea sane causa est quod solida polleant exquisitaque doctrina; siquidem rationem inter et fidem nulla potest esse vera dissensio (3); sed quod ipsi de se mirabiliter sentiunt; quod pestifero quodam huius aetatis afflati spiritu, sub impuro quasi caelo crassoque vivunt; quod rerum sacrarum cognitionem, quam aut nullam habent aut confusam atque permixtam, stulta cum arrogantia coniugunt. Cui contagioni fovendae sublata in Deum fides ab eoque defectio alimenta suppeditant. Nam quos caeca ista novarum rerum libido transversos agit, ii facile putant satis esse sibi virium, ut, vel aperte vel simulate, iugum omne divinae auctoritatis excutiant et religionem sibi fingant iuris naturae finibus fere circumscriptam ac suo cuiusque ingenio accomodatam, quae christianae speciem nomenque mutuetur, re autem ab ipsius vita et veritate quam longissime abest.

Atque ita ex aeterno bello adversus divina omnia suscepto nova bella seruntur, mutata dimicandi ratione; idque eo periculosius, quo callidiora sunt arma fictae pietatis, ingenui candoris, incensae voluntatis, qua factiosi homines nituntur amice componere res disiunctissimas, hoc est labilis humanae scientiae deliramenta cum fide divina, et cum saeculi nutantis ingenio Ecclesiae dignitatem atque constantiam.

Haec Nobiscum conquesti, Venerabiles Fratres, non idcirco animum despondetis nec spem omnem abiicitis. Compertum vobis est, quam gravia christianae reipublicae certamina remotiores aetates, quamquam huic nostrae dissimiles, attulerint. Qua in re iuverit in Anselmi tempora mentem animumque

(1) Coloss., II, 8.

(2) Rom., I, 21.

(3) I. Tim., I, 19.

(4) Concil. Vatic., Constit. Dei filius, cap. 4.

referre, quantum ex annalibus constat, sane difficillima fuit enim vere dimicandum pro aris et focus, hoc est, pro publici sanctitate iuris, pro libertate, humanitate, doctrina, quarum rerum tutela uni erat Ecclesiae commissa; cohibenda principum vis, quibus commune erat ius et fas omne miscere; extirpanda vitia, excolendae mentes, ad civilem cultum revocandi homines, veteris immanitatis nondum obliti; excitanda cleri pars aut remissius agentis aut intemperantius; cuius ordinis haud pauci, principum arbitrio et pravis artibus electi, horum dominatui tamquam servi subesse atque in omnibus morigerari solerent.

Hic erat rerum status in iis maxime regionibus quibus in iuvandis maiorem Anselmus operam curamque collocavit, sive doctoris magisterio, sive exemplo religiosae vitae, sive Archiepiscopi ac Primatis assidua vigilantia et industria multiplici. Eius namque singularia beneficia in primis expertae sunt Galliae provinciae ac Britannicae insulae, paucis ante saeculis illae in potestatem redactae Normannorum, hae in sinum Ecclesiae receptae. Utraque gens, crebris agitata seditionibus externisque bellis divexata, causam relaxandae disciplinae, quum principibus eorumque imperio subiectis, tum clero populoque attulerunt.

His de rebus graviter queri nunquam destiterunt eius aevi summi viri, quo in numero vetus Anselmi magister idemque in Cantuariensi sede decessor, Lanfrancus; at potissimum Romani Pontifices, quorum unum commemorasse sit satis, invicto animi robore virum, iustitiae propugnatorem impavidum, Ecclesiae iurium ac libertatis constantem adsertorem, pervigilem disciplinae cleri custodem ac vindicem, Gregorium septimum. Horum studia et exempla aemulatus Anselmus, doloris vocem altius attollens, ad suae principem gentis, qui ipso propinquo et amico gloriari solebat, haec scribit: *Videtis, mi charissime domine, qualiter mater nostra Ecclesiae Dei, quam Deus pulchram amicam et dilectam sponsam suam vocat, a malis principibus conculcatur; quomodo ab his, quibus ut advocatis ad tuitionem a Deo commendata est, ad eorum aeternam damnationem tribulatur; qua praesumptione in proprios usus ipsi usurpaverunt res eius; qua crudelitate in servitutem redigunt libertatem eius; qua impietate contemnunt et dissipant legem et religionem eius. Qui cum dedignantur Apostolici decretis (quae ad robur christianae religionis facit) esse obediens, Petro utique apostolo, cuius vice fungitur, imo Christo, qui Petro commendavit suam Ecclesiam, se probant esse inobedientes... Omnes namque qui nolunt subiecti esse legi Dei, absque dubio deputantur inimici Dei* (1). Haec Anselmus; cuius utinam voces pronis auribus exceperent, non modo qui fortissimo illi principi successerunt, eiusque nepotes verum etiam alii

(1) Epist., lib. III. ep. 65.

reges ac populi, quos tanto amore complexus est, tot praesidiis communivit ac beneficiis exornavit.

Tantum interim abfuit ut in eum excitatae molestiarum procellae, direptiones, exsilia, conflictationes, praesertim in episcopi munere, virtutis eius nervos eliderent, ut ipsum Ecclesiae atque Apostolicae Sedi arctius devinxerint. Quare ad memoratum Pontificem Paschalem scribens, angustiis pressus curisque distentus: *non timeo, inquit, exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad haec omnia, Deo confortante, paratum est cor meum pro Apostolicae Sedis obedientia et Matris meae Ecclesiae Christi libertate* (1). Ad patrocinium et opem Cathedrae Petri confugit, eo consilio, *ne unquam religionis ecclesiasticae et apostolicae auctoritatis constantia aliquatenus per me aut propter me debilitetur*, prout litteris datis ad illustres Ecclesiae Romanae antistites duos ipse significat. Rationem autem causamque subiicit, in qua pastoralis fortitudinis ac dignitatis conspicua Nobis eminent nota: *Malo enim mori et, quamdiu vivam, omni penuria in exilio gravari, quam ut videam honestatem Ecclesiae Dei, causa mei aut meo exemplo, ullo modo violari* (2).

Ecclesiae igitur honestas illa, libertas, integritas, tria haec dies noctesque sancti viri obversantur animo; pro harum incolumitate Deum effusis lacrimis, precibus, sacrificiis fatigat; his provehendis vires omnes intendit et resistendo acriter et patiando viriliter; haec actione, scriptis, voce tuetur. Ad eam defensionem sodales religiosos, antistites, clerum populumque fidelem suavis iisque gravibus excitat verbis, usus etiam severioribus in eos principes, qui Ecclesiae iura et libertatem ingenti cum sua suorumque iactura proculcarent.

Nobiles illae sacrae libertatis voces, quum valde hoc tempore opportuna, tum dignae plane sunt iis, quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (3), ne tum quidem fructu vacuae quum, vel ob intermortuam fidem vel collapsos mores vel praeiudicatas opiniones, obseratis auribus excipiuntur. Ad nos potissimum, Venerabiles Fratres, uti probe nostis, divina illa monitio refertur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (4); idque maxime ubi etiam *Altissimus dedit vocem suam* (5), per naturae fremitum terrificasque calamitates expressam; vocem *Domini concutientis terram*; ingratam nostris auribus vocem alte insonantem, quod aeternum non sit, nihil esse: *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (6); iustitiae vocem

(1) Epist., lib. III, ep. 73.

(2) Ibid., lib. IV, ep. 47.

(3) Act., XX, 28.

(4) Isai., LVIII, 1.

(5) Ps., XVII, 14.

(6) Hebr., XIII, 14.

pariterque misericordiae, devias nationes ad recti bonique trami-tem revocantis. In huiusmodi publicis infortuniis altius nobis extollenda vox est; grandia fidei documenta non infirmis modo inculcanda, sed summis et beate viventibus, et gentium arbitris et adscitis in consilia regendarum civitatum; proponendae omnibus firmissimae illae sententiae, quarum veritatem cruentis historia notis confirmavit, cuius generis haec: *Miseros autem facit populos peccatum* (1).—*Potentes autem potenter tormenta patientur* (2); atque item quod est in Ps. II: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram... Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta*. Harum autem comminationum exitus exspectandi sunt acerbissimi, quum publica grassatur iniquitas, quum ab iis qui praesunt et a reliquis civibus in eo delinquitur maxime, quod e medio pellitur Deus et a Christi Ecclesia desciscitur; qua ex duplici aversione rerum omnium perturbatio sequitur et infinita prope miseriarum seges quum singulis tum universae reipublicae.

Quod si talium scelerum affines esse silendo et acquiescendo possumus, prout non raro fit etiam a bonis, sacri pastores sibi quisque dicta putent aliisque opportune commendent quae ad potentissimum Flandriae principem ab Anselmo scripta leguntur: *Precor, obsecro, moneo, consulo, et fidelis animae vestrae, mi Domine, et ut in Deo vere dilecte, ut nunquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si sponsae Dei et matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis libertatem; nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis, nec credatis vos debilitari si eam roboratis. Videte, circumspicite; exempla sunt in promptu; considerate principes qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet; non eget dictu* (3). Quod idem luculentius etiam expressit, pari vi ac suavitate verborum, his ad Balduinum regem Hierosolymitanum scriptis: *Ut fidelissimus amicus precor vos moneo, obsecro et Deum oro quatenus sub lege Dei vivendo voluntatem vestram voluntati Dei per omnia subdatis. Tunc enim vere regnatis ad vestram utilitatem, si regnatis secundum Dei voluntatem. Ne putetis vobis, sicut multi mali reges faciunt, Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et defensori esse commendatam. NIHIL MAGIS DILIGIT DEUS IN HOC MUNDO QUAM LIBERTATEM ECCLESIAE SUAE. Qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari. Liberam vult esse Deus sponsam suam, non ancillam. Qui eam sicut filii matrem tractant et honorant, vere se filios eius et filios Dei esse probant. Qui vero illi quasi subditae dominantur, non filios, sed alienos se faciunt, et ideo iuste ab haereditate et dote illi promissa*

(1) Prov., XIV, 34.

(2) Sap., VI, 7.

(3) Epist., lib. IV, ep. 12.

exhaeredantur (1).—Ita e sancto Viri pectore fervidus in Ecclesiam amor erumpit; ita eminet studium libertatis tuendae, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium, nihil Deo carius, ut ab eodem egregio Doctore affirmatum est brevi illa et vibranti sententia: *nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae*. Nec est quidquam, Venerabiles Fratres, quo mens animusque Noster pateat apertius, quam verborum quae retulimus crebra usurpatio.

Ab ipso pariter mutuari monita libet ad principes proceresque conversa. Sic enim ad reginam Angliae Matildam scribit: *Si recte, si bene, si efficaciter ipso actu vultis reddere grates, considerate reginam illam quam de mundo hoc sponsam sibi illi placuit eligere... Hanc, inquam, considerate... hanc exaltate, honorate, defendite, ut cum illa et in illa sponsa Deo placeatis et in aeterna beatitudine cum illa regnando vivatis* (2). Tum vero maxime quum in filium aliquem terrena potestate inflatum incideritis, aut amantissimae Matris oblitum, aut suave eius imperium detrectantem, haec memoria ne excidant: *Ad vos pertinet... ut haec et huiusmodi...frequenter opportune importune suggeratis; et ut non dominum, sed advocatum, non privignum, sed filium se probet esse Ecclesiae consulatis* (3). Nostri namque muneris est, idque praecipue nos decet, alia haec nobili paternoque sensu ab Anselmo dicta suadere atque in hominum animis defigenda curare: *Cum audio aliquid de vobis quod Deo non placet et vobis non expedit, si vos monere negligo, nec Deum timeo, nec vos diligo sicut debeo* (4).—Si autem auditum sit nobis quia ecclesias, quae in manu vestra sunt, aliter tractatis quam illis expediat et animae vestrae, tunc Anselmum imitati, debemus iterum rogare et consulere et monere, *ut haec non negligenter mente pertractetis, et si quid vobis conscientia vestra in his corrigendum testabitur, corrigere festinetis* (5).—*Nihil enim est contemnendum quod corrigi possit, quia Deus exigit ab omnibus, non solum quod male agunt, sed etiam quod non corrigunt mala quae corrigere possunt. Et quanto potentiores sunt ut corrigant, tanto districtius exigit ab illis Deus, ut secundum potestatem misericorditer impensam bene velint et faciant... Si autem non omnia simul potestis, non debetis propter hoc quin a melioribus ad meliora studeatis proficere, quia bona proposita et bonos conatus Deus solet benigne perficere et beata plenitudine retribuere* (6).

Haec aliaque id genus, ab ipso fortiter sapienterque regum et potentissimorum hominum auribus inculcata, sacris pastoribus

(1) Epist., lib. IV, ep. 8.

(2) Epist., lib. III, ep. 57.

(3) Ibid., ep. 59.

(4) Ibid., lib. IV, ep. 52.

(5) Epist., lib. IV, ep. 52.

(6) Ibid., lib. III, ep. 142.

Ecclesiaeque principibus apprime conveniunt, quibus veritatis, iustitiae, religionis est commissa defensio. Multa quidem attulit impedimenta dies, totque Nobis iniecti sunt laquei, ut iam vix reliquus sit locus ubi liceat expedite ac tuto versari. Dum enim impunitae rerum omnium licentiae fraena remittuntur, acri pertinacia compedibus Ecclesia constringitur, et, retento ad ludibrium libertatis nomine, novis in dies artibus omnis vestra clerique actio praepeditur, ita ut nihil habeat admirationis, *quod non omnia simul potestis* ad homines ab errore et vitiis revocandos, ad malas consuetudines removendas, ad veri rectique notiones in mentibus inserendas, ad Ecclesiam denique tot pressam angustiiis relevandam.

Sed est cur animum erigamus. Vivit enim Dominus efficietque ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum* (1). Ipse a malis bona derivabit, eo splendiores largiturus Ecclesiae triumphos, quo pervacius nisa est opus Eius intercipere humana perversitas. Est hoc admirabile divinae Providentiae consilium: hae sunt in praesenti rerum ordine *investigabiles viae eius* (2);—*non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae, neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus* (3),—ut ad Christi similitudinem Ecclesiae in dies propius accedat et expressam referat Ipsius imaginem, tot ac tanta perpassi, ita ut quodammodo adimpleat *ea quae desunt passionum Christi* (4). Quocirca eidem in terris militanti haec est divinitus constituta lex, ut contentionibus, molestiis, angustiiis perpetuo exerceatur, quo vitae genere queat *per multas tribulationes . . . intrare in regnum Dei* (5), et Ecclesiae in caelo triumphanti tandem aliquando se adiungere.

Ad rem Anselmus Matthaei locum illum: *Compulit Iesus discipulos suos ascendere in naviculam*, sic explanat: *Iuxta mysticam intelligentiam summatim describitur Ecclesiae status ab adventu Salvatoris usque ad finem saeculi . . . Navis igitur IN MEDIO MARIS IACTABATUR FLUCTIBUS, dum Iesus in montis cacumine moraretur; quia ex quo Salvator in caelum ascendit, sancta Ecclesia magnis tribulationibus in hoc mundo agitata est, et variis persecutionum turbinibus pulsata, ac diversis malorum hominum pravitatibus vexata, vitiisque multimode tentata. ERAT ENIM EI CONTRARIUS VENTUS quia flatus malignorum spirituum ei semper adversatur, ne ad portum salutis perveniat; obruere eam nititur fluctibus adversitatum saeculi, omnes quas valet contrarietates ei commovens* (6).

(1) Rom., VIII, 28.

(2) Ibid., XI, 33.

(3) Isai., LV, 8.

(4) Coloss., I, 24.

(5) Act., XIV, 21.

(6) I. Ioan., V, 19.

Vehementer igitur errant qui Ecclesiae statum sibi fingunt ac sperant omnium perturbationum expertem, in quo, rebus ad voluntatem fluentibus, nullo repugnante sacrae potestatis auctoritati atque imperio, frui liceat quasi otio iucundissimo. Turpius etiam decipiuntur qui, falsa et inani spe ducti potiundae huiusmodi pacis, Ecclesiae res et iura dissimulant, privatis rationibus postponunt, iniuste deminuunt, mundo, qui *totus in maligno positus est* (1), assentantur per speciem captandae gratiae fautorum novitatis et conciliandae iisdem Ecclesiae, quasi lucis cum tenebris aut Christi cum Belial ulla possit esse conventio. Sunt haec aegri somnia, quorum vanae species fingi nunquam desierunt, nec desinent quamdiu aut ignavi milites erunt, qui, simul ac viderint hostem, abiecto scuto fugiant, aut proditores, qui festinent cum inimico pacisci, hoc est in re nostra, cum Dei atque humani generis hoste infensissimo.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, quos christianae plebis pastores ac duces divina Providentia constituit, curare pro viribus ut in pravam hunc morem prona aetas omittat, flagrante tam saevo in Religionem bello, turpi socordia torpescere, neutris in partibus esse, per ambages et compromissa divina atque humana iura pervertere, insculptamque in animo retineat certam illam ac definitam Christi sententiam: *Qui non est mecum, contra me est* (2). Non quod paterna caritate abundare minime oporteat Christi ministros, ad quos maxime pertinent Pauli verba: *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (3), aut quod nunquam deceat paullum etiam de suo iure decedere, quantum liceat et animorum postulet salus. Offensionis huius nulla cadit in vos certe suspicio, quos Christi caritas urget. Verum aequa ista deditio nullam habet violati officii reprehensionem, atque aeterna veritatis et iustitiae fundamenta ne minimum quidem attingit.

Sic nempe factum legimus in Anselmi, seu potius in Dei Ecclesiaeque causa, pro qua illi tamdiu fuit ac tam aspere dimicandum. Itaque, composito tandem diuturno dissidio Decessor Noster, quem saepe memoravimus, Paschalis, his eum verbis extollit: *Hoc nimirum tuae caritatis gratia tuarumque orationum instantia factum credimus, ut in hac parte populum illum, cui tua sollicitudo praesidet, miseratio superna respiceret.*—De paterna vero indulgentia, qua idem Summus Pontifex sontes excepit, haec habet: *Quod autem...adeo condescendimus, et effectum et compassionem factum noveris, ut eos qui iacebant erigere valeamus. Qui enim stans iacenti ad sublevandum manum porrigit, nunquam iacentem erigit, nisi et*

(1) Hom., III.

(2) Matth., XII, 30.

(3) I Cor., IX, 22.

ipse curvetur. Ceterum, quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit (1).

Haec Nobis vindicantes a piissimo Decessore Nostro ad Anselmi solatium prolata, dissimulare nolumus tamen anxias animi dubitationes, quibus vel optimi inter sacros pastores aliquando distinentur in ancipiti consilio aut remissius agendi aut resistendi constantius. Cuius rei argumento esse possunt angores, trepidationes, lacrimae sanctissimorum hominum, quibus magis explorata erat animorum regiminis gravitas receptique in se periculi magnitudo. Luculentum vero testimonium Anselmi vita suppeditat, cui a grato pietatis et studiorum secessu, ad amplissima munia, difficillimis temporibus, uti diximus, adscito, fuerunt acerbissima quaeque subeunda. Cumque tot curis esset implicitus, nihil magis verebatur, quam ne suae populiue saluti, Dei honori, Ecclesiae dignitati satis foret per se consultum. His autem cogitationibus conflictatum animum, eundemque propter defectionem plurimorum, e numero etiam sacrorum antistitum, gravi dolore incensum nihil magis recreabat, quam collocata in Dei ope fiducia et quaesitum in Ecclesiae sino per fugium. Itaque *in naufragio positus...procellis irruentibus, ad sinum matris Ecclesiae confugiebat*, a Romano Pontifice petens *pium et promptum adiutorium et solamen* (2). Divino autem fortasse consilio factum est, ut singulari sapientia et sanctitate vir tot adversis urgeretur. Per eas enim aerumnas exemplo ac solatio nobis esse potuit in sacro ministerio laborantibus et in maximas difficultates coniectis, ita ut unicuique nostrum liceat idem sentire ac velle quod Paulus: *Libenter...gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis...; cum enim infirmor. tunc potens sum* (3). His non aliena sunt quae ad Urbanum II scribit Anselmus: *Sancte Pater, doleo me esse quod sum, doleo me non esse quod fui. Doleo me esse episcopum, quia peccatis meis facientibus non ago episcopi officium. In loco humili aliquid agere videbar; in sublimi positus praegrandi onere pressus, nec mihi fructum facio, nec utilis alicui existo. Oneri quidem succumbo, quia virium, virtutum, industriae, scientiae tanto officio competentium inopiam, plusquam credibile videatur, patior. Curam importabilem cupio fugere, pondus relinquere; Deum e contrario timeo offendere. Timor Dei illud me suscipere compulit, timor idem onus idem me retinere compellit...Nunc, quia voluntas Dei me latet, et quid agam nescio, errabundus suspiro, et quem rei finem imponere debeam ignoro* (4).

(1) In libro III Epist. S. Anselmi, ep. 140.

(2) Epist., lib. III, ep. 37.

(3) Cor., XII, 9, 10.

(4) Epist., lib. III, ep. 37.

Divinae sic bonitati placuit, vel eximiae sanctitatis viros non ignorare, quae sua sit naturalis infirmitas, ut persuasum sit omnibus, si quid ipsi praeclare egerint, id supernae virtuti esse totumtribuendum, atque ut per animi demissionem adducantur homines ad Ecclesiae auctoritatem impensiore studio colendam. Id Anselmo aliisque contigit episcopis pro Ecclesiae libertate ac doctrina dimicantibus, duce Sede Apostolica; qui obedientiae suae hunc fructum retulerunt, ut ex certamine victores discederent, suoque exemplo divinam sententiam confirmarent: *vir obediens loquetur victoriam* (1). Consequendi autem huiusmodi praemii spes maxima illis affulget, qui Christi personam gerenti sincero animo pareant in iis omnibus, quae aut regimen animorum spectent aut administrationem christianae reipublicae aut alia cum his aliqua ratione coniuncta: *quoniam de Sedis Apostolicae auctoritate pendent filiorum Ecclesiae directiones et consilia* (2).

Hoc genere laudis Anselmus quantum praestiterit, quo ardore, qua fide coniunctionem cum Petri Sede retinuerit, ex his licet colligere, quae ad eundem Paschalem Pontificem ab eo scripta leguntur: *Quanto studio mens mea Sedis Apostolicae reverentiam et obedientiam pro sua possibilitate amplectatur, testantur multae et gravissimae tribulationes cordis mei, soli Deo et mihi notae... A qua intentione spero in Deo, quia nihil est quod me retrahere possit. Quapropter in quantum mihi possibile est, omnes actus meos eiusdem auctoritatis dispositioni dirigendos, et ubi opus est, corrigendos volo committere* (3).

Eandem viri firmissimam voluntatem acta eius omnia et scripta testantur, in primisque litterae illae suavissimae, quas *caritatis calamo scriptas* (4) dicit memoratus Decessor Noster Paschalis. Nec vero suis ipse litteris pium modo adiutorium et solamen implorat (5), sed non intermissas preces adhibiturum se Deo pollicetur, ut cum ad Urbanum II. Beccensis Abbas scriberet his verbis amantissimis usus: *Pro vestra et Romanae Ecclesiae tribulatione, quae nostra et omnium vere fidelium est, non cessamus orare Deum assidue, ut mitiget vobis a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. Et certi sumus, etiamnum nobis moram videatur facere, quoniam non relinquet virgam peccatorum super sortem iustorum; quia haereditatem suam non derelinquet, et portae inferi non prevalebunt adversus eam* (6).

(1) Prov., XXI, 28.

(2) Epist., lib. IV, ep. 1.

(3) Ibid., ep. 5.

(4) In lib. III Epist. S. Anselmi, ep. 74.

(5) Ibid., ep. 37.

(6) In libro II Epist. S. Anselmi, ep. 33.

Quibus aliisque id genus ab Anselmo scriptis mirifice delectamur, tum ob instauratam viri memoriam, quo nemo sane huic Apostolicae Sedi devinctior, tum ob excitatem recordationem coniunctissimae voluntatis vestrae, Venerabiles Fratres, in dimicationis non dispari genere, litteris aliisque officiis quamplurimis declaratae.

Mirum profecto quantum roboris ac firmitatis accepit, desaevientibus longo saeculorum cursu in christianum nomen procellis, coniunctionis ista necessitudo, qua sacrorum antistites et fidelis grex arctius in dies Romano Pontifici adhaeserunt ad haec usque tempora, quibus ardor ille adeo succrevit, ut divino quodam prodigio videantur voluntates hominum in tantum consensum potuisse coalescere. Quae quidem amoris et obsequii conspiratio dum Nos plurimum erigit planeque confirmat. Ecclesiae decori est ac praesidio validissimo. Sed hoc nempe maior in nos antiqui serpentis invidia conflatur, quo praestantius est delatum beneficium; eoque graviores in nos irae colliguntur impiorum hominum, quo acrius hi rei novitate percelluntur. Nec enim simile quidquam in reliquis consociationibus admirantur, nec facti rationem cernunt ullam, sive a publicis causis sive ab alia quavis humana re petitam, nec secum reputant sublimem Christi precationem, cum discipulis postremum discumbentis, eventu comprobata.

Summa igitur ope niti oportet, Venerabiles Fratres, ut apte cohaerentia cum capite membra solidiore in dies nexu obstringantur, divinarum rerum ratione habita, non terrestrium, ita ut omnes *unum simus* in Christo. Ad hunc finem si velis remisque contendemus, functi erimus optime delato nobis officio provehendi Christi operis et regni eius in terris dilatandi. Huc spectat suavis illa petitio, qua Ecclesia caelestem Sponsum urget assidue, in qua Nostrorum summa votorum continetur: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (1).

Hae autem industriae propositam habent defensionem, non modo contra externas impugnationes in acie dimicantium ut Ecclesiae iura et libertatem labefactent, sed etiam contra domestici atque intestini belli pericula, cuius rei superius incidit mentio, quum dolumus esse genus hominum quoddam, qui subdolis opinionum commentis nitantur Ecclesiae formam ac naturam ipsam immutare penitus, doctrinae integritatem violare, disciplinam omnem pessumdare. Serpit adhuc per hos dies memoratum illud virus infecitque non paucos, etiam sacri ordinis homines, praesertim iuvenes, inquinato, uti diximus quasi aëre afflato, quos effrenata novitatis libido praecipites agit ac respirare non sinit.

(1) Ioan., XVII, 11.

Sunt etiam in his qui, tardioris ingenii et intemperantis animi spectaculum exhibentes, quidquid affert incrementi dies iis disciplinis quae in adspectabilis naturae investigatione versantur et ad praesentis vitae utilitatem aut commoditatem pertinent, ea, tamquam nova tela, in veritatem divinitus traditam, per summam astutiam et arrogantiam intorqueant. Hi meminerint, incautae novitatis fautorum quam variae fuerint ac discrepantes sententiae de rebus ad agnitionem animi et ad moderandam vitam plane necessariis, cognoscantque, hanc esse humanae superbiae constitutam poenam, ut constent sibi nunquam, et in ipso cursu ante obruantur, quam portum veritatis conspicerere potuerint. Sed hi fere ne ipso quidem sui exemplo didicerunt de se tandem sentire demissius atque amovere *consilia . . . et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (1).

Quin etiam a nimia arrogantia in contrarium vitium delapsi sunt, eam philosophandi rationem secuti, quae, de omnibus dubitando, quasi noctem quamdam rebus offundit, et *agnosticismum* professi cum errorum comitatu multiplici atque infinita prope sententiarum varietate inter se mire pugnantium; quo opinionum conflictu *evanuerunt in cogitationibus suis . . . dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (2).

Grandibus interim ac fucatis istorum verbis, novam sapientiam quasi caelo delapsam reconditasque discendi vias pollicentium, iuvenum pars labare paulatim atque averti coepit; quod idem olim accidit Augustino, manicheorum fraudibus circumvento. Verum de funestis hisce insanientis sapientiae magistris, de ipsorum ausibus, deceptionibus, fallaciis satis diximus in Encyclicis Litteris datis die VIII mensis Septembris anno MDCCCCVII, quarum initium *Pascendi dominicis gregis*.

Illud hoc loco animadvertisse iuverit, quae memoravimus pericula, graviora quidem nunc esse atque imminere propius; non tamen iis penitus absimilia quae Anselmi tempore Ecclesiae doctrinae impendebant. Considerandum praeterea, pari prope-modum nobis praesidio ac solatio esse posse Anselmi doctrinam ad tutelam veritatis, atque apostolicum eius robur ad Ecclesiae iurium ac libertatis defensionem.

Atque heic persequi omittentes quae remotae illius aetatis humanitas, qui cleri populique cultus, breviter attingemus creatum eo tempore ingeniis periculum duplex, eo quod in opposita extrema decurrerint.

Fuerunt enim inepti homines et vani, qui leviter ac permixte

(1) II Cor. X, 4: 5.

(2) Rom., I, 21, 22.

eruditi, cognitionum indigesta mole gloriarentur, inani philosophiae vel dialecticae specie decepti. Hi quidem per inanem fallaciam scientiae nomine obtectam, spernebant sacras auctoritates, nefanda temeritate audent disputare contra aliquid eorum quae fides christiana confitetur . . . et potius insipienti superbia iudicant nullatenus posse esse quod nequeunt intelligere, quam humili sapientia fateantur esse multa posse quae ipsi non valeant comprehendere . . . Solent enim quidam cum coeperint quasi cornua confidentis sibi scientiae producere, nescientes quod si quis aestimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alas spirituales, praesumendo in altissimas de fide quaestiones assurgere. Unde fit ut dum praepostere prius per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere (1). Atque horum similia exempla complura hodie quoque versantur ante oculos.

Alii contra, remissioris animi, multorum casu perculsi qui naufragium in fide fecerunt, et periculum veriti scientiae quae inflat, eo devenerunt ut omnem philosophiae usum, forte etiam solidam quamvis de sacris rebus disputationem defugerent.

Media inter utramque partem catholica consuetudo consistit, aequae aversata et priorum arrogantiam, a Gregorio IX aevo insequenti reprehensam, qui spiritu vanitatis ut uter distenti . . . fidem conantur plus debito ratione adstruere naturali . . . adulterantes verbum Dei philosophorum figmentis (2), et horum negligentiam, qui nulla investigandi veri cupiditate trahuntur, neque curant per fidem ad intellectum proficere (3), praesertim si eorum officii ratio postulet catholicae fidei contra tot congestos errores defensionem.

Ad quam suscipiendam divinitus excitatus videtur Anselmus, ut exemplo, voce, scriptis tutum iter ostenderet, christianae sapientiae latices ad commune bonum derivaret duxque esset ac norma doctoribus, qui post ipsum sacras litteras scholastica methodo tradiderunt (4), quorum ipse praecursor merito est nuncupatus et habitus.

Quamquam haec non ita sunt accipienda quasi Augustanus doctor primo statim gressu fuerit philosophiae ac theologiae fastigia consequutus aut ad summorum virorum Thomae ac Bonaventurae famam processerit. Horum enim sapientiae seriores fructus multa dies et coniunctus magistrorum labor maturarunt. Ipsemet Anselmus, qua erat modestia sapientium

(1) S. Anselm., De fide Trinitatis, cap. 2.

(2) Gregor. IX, Epist. "Tacti dolore cordis" ad theologos Parisien., 7 lul. 1228.

(3) In libro II, Epist. S. Anselmi, ep. 41.

(4) Breviar. Rom., die 21 Aprilis.

propria, non minus quam celeritate ac subtilitate mentis, nihil a se scriptum edidit nisi oblata occasione, aut aliorum auctoritate compulsus, monetque constanter : *si quid diximus quod corrigendum sit, non venuo correctionem* (1); quin etiam, ubi res citra fidem posita sit et in quaestione versetur, non vult discipulum *sic his quae diximus inhaerere ut ea pertinaciter teneas, si quis validioribus argumentis haec destruere et diversa valuerit astruere ; quod si contigerit, saltem ad exercitationem disputando vobis haec profecisse non negabis* (2).

Nihilominus multo plura est adeptus quam aut ipse speraret aut alius quisquam de se polliceretur. Adeo namque profecit, ut eorum qui sequuti sunt gloria nihil eius laudi detraxerit, ne ipsius quidem Thomae nobilitas, quamvis huic non omnia probata fuerint ab ipso conclusa, alia etiam retractata sint planius atque perfectius. Anselmo tamen hoc maxime tribuendum, quod is investigationi straverit viam, timidiorum suspiciones diluerit, incautos a periculis tutos praestiterit, pertinacium cavillatorum damna propulsaverit, qui ab ipso sic iure designantur : *illi . . . nostri temporis dialectici, imo dialectice haeretici* (3), quorum intellectus esset suis deliramentis et ambitioni mancipatus.

De extremis hisce ait : *Quumque omnes, ut cautissime ad sacrae paginae quaestiones accedant, sint commonendi, illi utique nostri temporis dialectici . . . prorsus a spiritualium quaestionum disputatione sunt exsufflandi*. Quam vero subdit ratio, apte cadit in hodiernos eorum imitatores, a quibus absurda illa recinuntur : *In eorum quippe animabus ratio, quae et princeps et iudex omnium debet esse quae sunt in homine, sic est in imaginationibus corporalibus obvoluta, ut ex eis se non possit evolvere nec ab ipsis ea, quae ipsa sola et pura contemplari debet, valet discernere* (4). Nec aliena videntur huic temporis verba, quibus id genus philosophos ridet, *qui quoniam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra eiusdem fidei a sanctis Patribus confirmatam veritatem ; velut si vespertilioes et noctuae non nisi in nocte caelum videntes, de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas solem ipsum irreverberato visu intuentes* (5). Quapropter et hoc loco et alibi (6) depravatam eorum opinionem reprehendit, qui philosophiae plus aequo concedentes, ius illi adserebant theologiae campum pervadendi. Huic insaniae se opponens egregius Doctor suos cuique fines constituit utrique disciplinae, ac satis monet, quodnam sit munus et officium rationis naturalis in rebus

-
- (1) Cur Deus homo, lib. II, cap. 23.
 (2) De Grammatico, cap. 21 sub finem.
 (3) De fide Trinitatis, cap. 2.
 (4) De fide Trinitatis, cap. 2.
 (5) Ibid.
 (6) Il libro II Epist. S. Anselmi, ep. 41.

quae doctrinam divinitus revelatam attingunt: *Fides... nostra*, inquit, *contra impios ratione defendenda est.*—At quomodo et quousque?—Verba quae sequuntur aperte declarant: *illis... rationabiliter ostendendum est quam irrationabiliter nos contemnant* (1). Philosophiae igitur munus est praecipuum, in perspicuo ponere fidei nostrae *rationabile obsequium*, et, quod inde consequitur, officium adiungendae fidei auctoritati divinae altissima mysteria proponenti, quae plurimis testata veritatis indiciiis, *credibilia facta sunt nimis*. Longe aliud ab hoc theologiae munus est, quae divina revelatione nititur et in fide solidiores efficit eos qui christiani nominis honore se gaudere fatentur; *nullus quippe christianus debet disputare quomodo, quod catholica Ecclesia corde credit et ore confitetur, non sit; sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum* (2).

Quum agitur vel theologi quaerunt vel fideles petunt de fide nostra rationes, non his fundamentis, sed revelantis Dei auctoritate nituntur, hoc est, ut habet Anselmus: *sicut rectus ordo exigit ut profunda christianae fidei, quae mysteria dicuntur, credamus priusquam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere* (3). De illa profecto intelligentia loquitur, de qua Vaticana Synodus (4); alio enim loco sic disserit: *Quamvis post Apostolos, sancti Patres et Doctores nostri multi tot et tanta de fidei nostrae ratione dicant... non omnia quae possent, si diutius vixissent, dicere potuerunt, et veritatis ratio tam ampla tanque profunda est, ut a mortalibus nequeat exhauriri; et Dominus in Ecclesiae sua, cum qua se esse usque ad consummationem saeculi promittit, gratiae suae dona non desinit impertiri. Et ut alia taceam, quibus sacra pagina nos ad investigandam rationem invitat, ubi dicit: nisi credideritis non intelligetis, aperte nos monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere. Nec est praetereunda ratio quam addit extremam: inter fidem et speciem intellectum quem in hac vita capimus, esse medium, ideoque quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare speciei ad quam omnes anhaelamus* (5).

Solida haec,—ut alia praetereamus,—per Anselmum philosophiae ac theologiae iacta sunt fundamenta; haec in posterorum usum ab ipso fuit studiorum ratio proposita, quam sequuti

(1) In libro II Epist. S. Anselmi, ep. 41.

(2) De fide Trinitatis, cap. 2.

(3) Cur Deus homo, lib. I, cap. 2.

(4) Constit. Dei filius, cap. 4.

(5) De fide Trinitatis, Praefatio.

deinde sapientissimi viri *Scholasticorum* principes, in quibus maxime doctor Aquinas, magnis incrementis ditantur, illustrant, expoliverunt, ad eximium Ecclesiae decus atque praesidium. Haec autem de Anselmo commemorasse placuit, Venerabiles Fratres, quod optatam Nobis occasionem attulerunt vos iterum cohortandi ut saluberrimos christianae sapientiae fontes, ab Augustano doctore primum reclusos, ab Aquinate locupletatos uberrime, sacrae iuventuti pervios esse curetis. Qua in re memoria ne excidant quae Decessor Noster fel. rec. Leo XIII (1), Nosque ipsi documenta dedimus, quum saepe alias, tum etiam Encyclicis Litteris die VIII mensis Septembris anno MDCCCXVII, quibus initium *Pascendi dominici gregis*. Patent heu nimium ruinae, quae, neglectis hisce studiis aut nec certa nec tuta via susceptis, effossae sunt, quum non pauci, etiam e clero, nec idonei nec parati, minime dubitarint *praesumendo in altissimas de fide quaestiones assurgere* (2). Quae una cum Anselmo lugentes, eius verba usurpamus, ita graviter monentis: *Nemo ergo se temere immergat in condensa divinarum quaestionum, nisi prius firmus sit in soliditate fidei, conquisita morum et sapientiae gravitate, ne per multiplicia sophismatum diverticula incauta levitate discurrens, aliqua tenaci illaqueetur falsitate* (3). Cui levitati si faces accedant cupiditatum, ut fere fit, actum est de studiis gravioribus ac de integritate doctrinae. Inflati enim *insipiente superbia*, qualem in *haeretice dialecticis* dolet Anselmus, contemptui habent sacras auctoritates, id est divinas Litteras, Patres, Doctores, de quibus verecundioris ingenii iudicium non esse poterit aliud nisi hoc: *Nec nostris nec futuris temporibus ullum illis parem in veritatis contemplatione speremus* (4). Nec maiore in pretio habent Ecclesiae monita vel Pontificis Maximi, eos ad meliorem frugem revocare conantium, pro rebus dare verba solliciti et in fictum obsequium proni, quo fuco auctoritatem sibi et plurimorum gratiam concilient. Fore autem ut hi ad saniora consilia se referant vix ulla spes affulget, quod ei dicto audientes esse detrectent, cui *domino et Patri universae Ecclesiae in terra peregrinantis . . . divina Providentia . . . vitam et fidem christianam custodiendam et Ecclesiam suam regendam commisit*; ideoque *ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut eius auctoritate corrigatur; nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut eius prudentia examinetur* (5). Atque utinam perduelles isti, qui se candidos, apertos, omnis officii retinentissi-

(1) Encycl. Aeterni Patris diei 4 Augusti MDCCCLXXIX.

(2) De fide Trinitatis, cap. 2.

(3) Ibid.

(4) De fide Trinitatis, Praefatio.

(5) Ibid.

mos, usu rerum et religionis praeditos, operosa fide pollentes tam facile profitentur, sapienter ab Anselmo dicta percipiant, eius exemplo institutoque se gerant, idque maxime in animo defigant : *Prius ergo fide mundandum est cor . . . et prius per praeceptorum Domini custodiam illuminandi sunt oculi . . . et prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam . . . Et non solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere sine fide et mandatorum Dei obedientia, sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur et fides ipsa subvertitur, neglecta bona conscientia (1).*

Quod si turbulenti homines ac protervi pergent causas errorum ac dissidii serere, doctrinae sacrae patrimonium diripere, violare disciplinam, venerandas consuetudines habere ludibrio, quas *velle convellere genus est haeresis (2)*, ipsam denique divinam Ecclesiae constitutionem funditus evertere ; iam videtis, Venerabiles Fratres, quam sit Nobis advigilandum ne tam dira pestis christianum gregem, adeoque teneriores foetus, inficiat. Hoc a Deo non intermissis precibus flagitamus, interposito Augustae Dei Matris patrocinio validissimo, deprecatoribus etiam adhibitibus triumphantis Ecclesiae beatis civibus, praesertim Anselmo, christianae sapientiae fulgido lumine ac sacrorum iurium omnium incorrupto custode strenuoque vindice. Quem gratum est iisdem compellare verbis, quibus etiam tum in terris degentem compellat sanctissimus Decessor Noster Gregorius VII : *Quoniam fructuum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit, quam dignas grates Deo referimus, et te in Christi dilectione ex corde amplectimur, credentes pro certo, tuorum studiorum exemplis Ecclesiam Dei in melius promoveri, et tuis similiumque tibi precibus etiam ab instantibus periculis, Christi subveniente misericordia, posse eripi . . . Unde volumus tuam tuorumque fraternitatem assidue Deum orare, ut Ecclesiam suam et Nos, qui ei licet indigni praesidemus, ab instantibus haereticorum oppressionibus eripiat, et illos, errore dimisso, ad viam veritatis reducat (3).*

Talibus freti praesidiis et studio vestro confisi, apostolicam benedictionem, caelestis auspicem gratiae et singularis Nostrae benevolentiae testem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque clero et populo singulis commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, in festo S. Anselmi, die 21 mensis Aprilis anno MDCCCIX, Pontificatus nostro sexto.

PIUS PP. X.

(1) De fide Trinitatis, cap. 2.

(2) S. Anselm., De nuptis consanguineorum, cap. 1.

(3) In libro II Epist. S. Anselmi, ep. 31.

APOSTOLIC LETTER.

I.

Pontificium Institutum biblicum in urbe erigitur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Vineae electae sacrae Scripturae ut uberiores in dies fructus tum Ecclesiae Pastoribus tum fidelibus universis afferret, iam inde ab exordiis apostolici Nostri regiminis, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, omni ope contendimus. Instabat enim in primis praesens Ecclesiae necessitas, ex eo maxime parta, quod de disceptationibus biblicis confusae essent usque quaque ac perturbatae mentes. Urgebat etiam conceptum animo Nostro desiderium, itemque nativum muneris Nostri officium provehendi pro viribus studium sacrarum Scripturarum, comparandique, catholicis praecipue iuvenibus, catholica studiorum subsidia, ne cum ingenti sanae doctrinae discrimine ad heterodoxos se conferrent redirentque modernistarum spiritu imbuti.

His talibus Ecclesiae malis efficacia et nova remedia oppositurus maioraque studiorum biblicorum incrementa curaturus, illud iam pridem Leo XIII r.m. animo spectavit, athenaeum biblicum in Urbe constituere, quod altioribus magisteriis omni instrumento eruditionis biblicae ornatum, copiam praesertim excellentium magistrorum ad exponendos in scholis catholicis divinos Libros praeberet.

Salutare ac frugiferum Decessoris Nostri propositum Nos quidem avide complexi, iam litteris Nostris *Scripturae sanctae*, die xxiii Februarii mensis anno mdccciv datis, monuimus, per commodum Nobis consilium videri huiusmodi athenaei biblici in Urbe condendi, quo “delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri,” illud addentes, spem bonam Nos certamque fovere fore ut eius perficiendae rei facultas, quae tunc quidem Nobis, non secus ac Decessori Nostro deerat, aliquando ex catholicorum liberalitate suppeteret.

Itaque quod felix faustumque sit reique catholicae bene vertat pontificium Institutum biblicum in hac alma Urbe, apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium, motu proprio, de certa

scientia ac matura deliberatione Nostris, erigimus, eiusque leges ac disciplinam has esse statuimus:

Finis pontificio biblico Instituto sit ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros sacros pertinentium habeatur centrum, quod efficaciore, quo liceat, modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu Ecclesiae catholicae promoveat.

Ad hunc finem spectat in primis ut selecti ex utroque clero atque ex variis nationibus adolescentes, absoluto iam ordinario philosophiae ac theologiae cursu, in studiis biblicis ita perficiantur atque exercentur, ut illa postmodum tam privatim quam publice, tum scribentes cum docentes, profiteri valeant, et gravitate ac sinceritate doctrinae commendati, sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint.

Ad eundem finem pertinet ut tum magistri atque alumni Instituto adscripti, tum auditores, tum etiam hospites, qui extraordinarium in Instituto studiorum cursum in disciplinis biblicis proficere cupiant, omnibus praesidiis adiuventur, quae ad studia laboresque id genus opportuna censeantur.

Denique Instituti fine continetur ut sanam de Libris sacris doctrinam, normis ab hac S. Sede Apostolica statutis vel statuendis omnino conformem, adversus opiniones, recentiorum maxime, falsas, erroneas, temerarias atque haereticas defendat, promulget, promoveat.

Ut Institutum id quod spectat assequi valeat, omnibus ad rem idoneis praesidiis erit instructum.

Quare complectetur in primis lectiones atque exercitationes practicas de re biblica universa. Ac primo quidem loco eae materiae tractandae erunt, quibus alumni muniantur ad faciendum doctrinae suae coram pontificia Commissione biblica periculum. His accedent lectiones atque exercitationes de quaestionibus peculiaribus ex interpretatione, introductione, archaeologia, historia, geographia, philologia aliisque disciplinis ad sacros Libros pertinentibus. Addetur methodica et practica informatio alumnorum, qua ad disputationes biblicas ratione scientifica pertractandas instruantur et exercentur. Praeterea publice de rebus biblicis conferentiae adiciuntur, ut communi quoque multorum necessitati atque utilitati prospiciatur.

Alterum summo opere necessarium praesidium erit biblica bibliotheca, quae opera potissimum antiqua et nova complectetur necessaria vel utilia ad verum in disciplinis biblicis profectum comparandum, et ad fructuose peragenda ordinaria doctorum alumnorumque in Instituto studia. Accedet museum biblicum, seu rerum earum collectio quae ad sacras Scripturas et antiquitates biblicas illustrandas utiles esse dignoscantur.

Tertium subsidium erit series variorum scriptorum, nomine et auctoritate Instituti promulganda, ex quibus alia eruditius investigationibus, alia defendendae circa Libros sacros catholicae veritati, alia spargendis ubique sanis de re biblica doctrinis proderunt.

De constitutione atque ordinatione Instituti quae sequuntur edicimus :

I. Pontificium Institutum biblicum ab Apostolica Sede immediate dependeat eiusque praescriptis legibusque regatur.

II. Instituti regimen nominando a Nobis praesidi credatur : hic, commissi sibi muneris vi, gerat Instituti personam, de rebusque gravioribus universis, quae Institutum attingant, ad Nos referat, Nobisque regiminis sui rationem quotannis reddat.

III. Professores ordinarii constituent Instituti consilium, quod una cum praeside provehendis Instituti ipsius bono et incremento operam navabit.

IV. Supremam studiorum et regiminis Instituti normam et regulam principia et decreta constituent per Sedem Apostolicam et pontificiam biblicam Commissionem edita vel edenda. Quae principia atque decreta ut fideliter, integre sincereque servant et custodiant, speciali se obligatione teneri se universi intelligant, qui ad pontificium hoc Institutum biblicum quovis modo pertineant atque ad studia biblica in ipso Instituto incumbant.

Quae ad constitutionem atque ordinationem Instituti huius biblici propius spectent, ea in propriis Instituti legibus, his litteris Nostris adiunctis, enucleatius declaramus.

Haec volumus, edicimus, statuimus, decernentes praesentes litteras firmas, validas, efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die VII Maii MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*

LEGES.

Pontificio Instituto biblico regendo.**TIT. I.—De studiis in Instituto peragendis.**

1. Peragendorum in Instituto studiorum materia ea in primis est quae ad academicos gradus, a pontificia Commissione biblica conferendos, requiritur. Fas praeterea erit de disceptationibus universis, ad profectum disciplinae biblicae pertinentibus, in Instituti ipsius scholis disserere.

2. Habendae in Instituto scholae triplicis generis sint : lectiones, exercitationes practicae, conferentiae publicae.

3. In lectionibus pars aliqua disciplinae biblicae, nec nimis amplis nec nimis arctis circumscripta limitibus, ratione scientifica alumnos proponatur, ut ita in studiis adiuventur et ad subsequentes labores fructuose exantlandos sedulo instruantur.

4. Practicae exercitationes triplicem habeant sibi propositum finem : (a) *quod ad materiam studiorum*, viam sternere ad argumentum aliquod altius noscendum, subsidiis litterariis propositis, rationibus illustratis, difficultatibus solutis ; (b) *quod ad formam*, edocere omnes familiaremque, institutione et usu, reddere scientificam methodum in studiis servandam ; (c) *quod ad praxim*, exercitationibus viva voce aut scripto habendis, alumnorum quoque excitare activam assiduamque operam eorumque facultates scientificas ac paedagogicas evolvere.

5. Conferentiae publicae occurrant in primis communi multorum necessitati atque utilitati. Hae tamen alumnis etiam Instituti multiplicem poterunt fructum afferre, quum rationem ipsis ostendant disputationes biblicas modo scientifico simul et populari, multorumque intellectui accommodato, pertractandi, suppeditentque provectionibus opportunitatem se practice exercitandi in hoc perutili dicendi genere, hac nostra potissimum aetate summopere necessario.

6. Pro universis biblicis studiis, tam in scholis quam privatim peragendis Institutum alumnis offeret commodam laborum supellectilem omniaque eruditionis biblicae instrumenta.

TIT. II.—De regimine Instituti.

7. Regimen Instituti spectat ad praesidem, qui, sui muneris vi, Instituti personam gerit.

8. Praeses a Summo Pontifice nominatur, audita relatione Praepositi generalis Societatis Iesu, qui tres pro eo munere candidatos ipsi proponet.

9. Praesidis adiutor et socius munere fungatur a secretis Instituti, et in rebus ordinariis vices gerat absentis vel impediti praesidis.

10. Pro bibliothecae cura gerenda et ceteris externis rebus ordinandis, bibliothecarius et custos alique idonei socii designentur.

11. Praeses de omnibus gravioribus Instituti rebus ad Apostolicam Sedem referat, et ipsi Sedi regiminis sui rationem quotannis reddat.

TIT. III.—*De magistris Instituti.*

12. Lectiones, exercitationes et conferentiae certis temporibus habeantur ac dirigantur ab Instituti magistris. Hi vero vel ordinarii professores vel extraordinarii lectores erunt.

13. Professores ordinarii de consensu Apostolicae Sedis per Praepositum generalem Societatis Iesu nominentur.

14. Lectores extraordinarii, postquam plures per annos in officio docendi se probaverint, ad ordinarii professoris munus, servatis servandis, ascendere poterunt.

15. Magistri omnes etiam extra lectiones atque exercitationes practicas alumnis praesto erunt eosque in disciplinae biblicae studiis adiuvaunt ac dirigunt. Scriptis quoque suis propositum Instituto finem assequendum curabunt, illudque maxime cavebunt, ne in varias ac dissitas doctrinae investigationes abstracti, maturo laborum suorum fructu destituantur.

TIT. IV.—*De celebrantibus Instituti scholas.*

16. Iuvenes studiis biblicis in Instituto operam navantes, ad tres classes pertinere poterunt; nam aut alumni proprie dicti erunt, aut auditores inscripti aut hospites liberi.

17. In numerum alumnorum proprie dictorum non admittentur nisi qui sint in sacra theologia doctores, cursumque philosophiae scholasticae integre absolverint. Alumni omnes ita expleant in Instituto regulariter studiorum cursum ut se ad periculum coram pontificia Commissione biblica faciendum parent.

18. Auditores inscribi possunt qui integrum philosophiae ac theologiae cursum absolverint.

19. Ceteris studiosis, tamquam hospitibus liberis, ad lectiones audiendas aditus pateat.

20. Alumni atque auditores frequentes assidue esse diligentiamque servare tam in lectionibus quam in exercitationibus Instituti teneantur.

TIT. V.—*De bibliotheca Instituti.*

21. Bibliotheca Instituti ita instruatur ut ordinariis studiis atque elucubrationibus tam doctorum quam discipulorum necessaria atque utilia praebeat litteraria subsidia.

22. Quare complectatur in primis opera sanctorum Patrum

aliorumque interpretum catholicorum et praestantiorum acatholicorum de biblicis disciplinis.

23. Peculiari ratione bibliotheca instruat praecipuis operibus encyclopaedicis et periodicis recentioribus ad Biblica pertinentibus.

24. Praeter magistros, Instituti alumni atque auditores ad usum bibiothecae ordinarium prae ceteris admittantur. Ordinario bibliothecae usu sint reliqui interdicti.

25. Quum bibliotheca in id debeat maxime inservire ut studia ipso in Instituto peragantur, libros et scripta periodica in alium locum asportare nefas erit.

Ex aedibus vaticanis, die VII Maii a. MDCCCXCIX.

De speciali mandato Sanctissimi

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, a Secretis Status.

CONSTITUTIO

de civili Veto seu Exclusiva uti vocant in electione Summi Pontificis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commissum Nobis, Deo sic disponente, universae Ecclesiae regendae munus serio admonet ut pro viribus caveamus ne ex alienae potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit, quamque tot evangelii praecones, tot sanctissimi antistites, tot illustres Decessores Nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti, ubi primum hanc Petri Cathedram, licet impares, ascendimus, Apostolici officii Nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiae libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutor voluit, atque excelsa eius missio omnino requirit.

Iam, si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis electione versatur; siquidem *salus, non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur* (1).

Huic plenae libertati in Summo Pastore eligendo opponitur in primis civile illud *Veto*, a supremis nonnullarum civitatum rec-

(1) Greg. XV Constit. "*Aeterni Patris*" in proëm.

toribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui praeccludere. Id si aliquoties accidit, Apostolicae tamen Sedi probatum est nunquam. Quin etiam Romani Pontifices, in iis quae de habendo Conclavi constituerunt, nihil paene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant Constitutiones "*In eligendis*" Pii IV; "*Aeterni Patris*" Gregorii XV;—"*Apostolatus officium*" Clementis XII;—in primisque Pii IX, "*In hac sublimi*"—"Licet per Apostolicas" et "*Consulturi*."

Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *Veto*, seu *Exclusivam* non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta, idcirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, civile *Veto*, sive *Exclusivam*, quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessionem quaslibet omnino reprobamus, edicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis praetextu se interponere aut ingerere in gravi negotio electionis Romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S.R.E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessionem aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementur hortamur, ut in eligendo Pontifice, *Principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis* (1), sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum

(1) Pii IV Constit. "*In eligendis*," § 26; Clem. XII Constit. "*Apostolatus officium*," § 5.

prae oculis habentes, in eum sua vota conferant quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Volumus etiam Nostras has Litteras una cum aliis id genus Constitutionibus legi coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haberi solita; rursus post ingressum in Conclave; item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, praecepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die 20 Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

SECRETARIATE OF BRIEFS.

Duodecim Civitates ex Archidioecesi Chicagiensi dismembrantur et ex his nova dioecesis erigitur quae nomen e civitate episcopali Rockfordiensis habebit.

PIUS PP. X

Ad futuram rei memoriam.

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, atque catholico nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti curandae, bene, prospere, feliciterque eveniant, ea ut sedulo studio prestemus, Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, divinitus fungimur. Iamvero cum Venerabilis Frater Iacobus E. Quigley Archiepiscopus Chicagiensis in Statibus foederatis Americae septemtrionalis Nos enixe flagitaverit ut ad incrementum religionis et ad maius christiani populi spirituale bonum nova dioecesis in provincia ecclesiastica Chicagiensi erigeretur, per divisionem suae nimis extensae archidioecesis, cumque Venerabiles Fratres Episcopi comprovinciales

eiusdem petitioni unanimi consensu adhaeserint; Nos de hac proposita divisione ac de novae huius dioeceseos erectione agentes cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, perpensis omnibus rerum adiunctis, nec non attento voto Venerabilis Fratris Diomedis Falconio Delegati Apostolici in praefata regione, oblatis hisce precibus annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium tenore, distractis ex archidioecesi Chicagiensi duodecim sequentibus civitatibus, nempe *Mac Henry, Kane, Kendall, Boone, de Kalb, Lee, Whiteside, Ogle, Carrol, Winnebago, Joe Daviess* et *Stephenson*, ex his novam dioecesim erigimus cum episcopali residentia in civitate *Rockford* appellata, a qua ipsa nomen Rockfordiensis habebit, et cum cathedratico pro sua episcopali mensa, discreto arbitrio Episcopi imponendo. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxvii Septembris mdcccviii, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

DECREES.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

De pueri Iesu numismis benedictione.

Die 18 Martii 1909.

SSmus. D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, sacerdotibus universis, tum saecularibus tum regularibus, rite facultate pollentibus benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac SS. numismata eisque adplicandi indulgentias apostolicas nuncupatas, potestatem quoque fecit adnectendi SS. numismatibus, quae imaginem infantis D. N. Iesu Christi praeseferunt, etiam indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quoque adplicabilem, toties a christifidelibus lucranda, quoties ipsi, corde saltem contrito ac devote aliquod ex huiusmodi numismatibus deosculantes, invocationem *Sancte puer Iesu, benedic nos* recitaverint; nec non plenariam indulgentiam ab iis acquirendam, qui unum ex memoratis numismatibus in mortis articulo deosculati fuerint, simulque, confessi ac sacra communione refectioni vel saltem contriti, sanctissimum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

ALOISIUS Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

L. ✠ S.

Cardinallum ac Episcoporum annulum deosculantibus indulgentia quinquaginta dierum conceditur.

Die 18 Martii 1909.

SSmus. D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita universis christifidelibus, corde saltem contrito ac devote, annulum EE. PP. Cardinalium vel RR. PP. Archiepiscoporum et Episcoporum deosculantibus, indulgentiam quinquaginta dierum defunctis quoque adplicabilem benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque

ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

ALOISIUS Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.
L. ✠ S.

Adnectitur Indulgentia cuidam Orationi Coram S.S. Sacramento Recitandae.

Die 18 Martii 1909.

SSmus. D. N. D. Pius div. prov. PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, indulgentiam trecentorum dierum, animabus in Purgatorio degentibus etiam adplicabilem, benigne concessit, semel quocumque anni die ab universis Christifidelibus lucrificandam, qui, corde saltem contrito ac devote, sequentem, orationem coram SSmo. Eucharistiae sacramento recitaverint: "Te, Iesu, verum Deum et hominem hic in sancta Eucharistiae praesentem, in genua humillime provolutus, cum fidelibus terrae et Sanctis coeli mente coniunctus, adoro; ac pro tanto beneficio intime gratus, te, Iesu, infinite perfectum atque infinite amabilem, ex toto corde diligo. Da mihi gratiam, ne ullo modo te umquam offendam, atque ut, tuâ, hac in terra, eucharisticâ praesentiâ recreatus, ad tuâ aeternâ ac beatâ in coelis praesentiâ una cum Maria perfruendum merear pervenire. Amen."

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

ALOISIUS Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.
L. ✠ S.

De titulo missionarii apostolici et de facultatibus iisdem missionariis tribuendis.

Feria IV, die 21 Aprilis 1909.

In Congregatione generali S. R. et U. I. habita ab Emis. ac Rmis. DD. Cardinalibus inquisitoribus generalibus, quoad concessionem tituli Missionarii apostolici in locis iurisdictioni S. Congregationis de Propaganda Fide non subiectis, et facultates iisdem Missionariis elargiendas, praehabito voto RR. Consultorum, iidem Emi. ac Rmi. DD. decreverunt:

Cum ad honorem sacri ministerii nec non ad Apostolicae Sedis dignitatem omnino exigatur, ut nullus perinsigni Missionarii apostolici titulo coretur, qui hac non fuerit undique dignus nuncupatione, vel illam nondum suis laboribus promeruerit, nullus sacerdos praefato titulo in posterum insignietur:

1.^o nisi authenticum documentum exhibuerit, ex quo resultet, ipsum coram examinatore a legitimo superiore deputatis

formale examen subisse de competenti theologica et philosophica doctrina, deque peritia ad sancte, fructuose et decore praedicandum verbum Dei sacrasque dandas missiones; atque favorable prorsus ab iisdem examinatribus testimonium retulisse, et a superiore suo legitimam approbationem simul reportasse;

2.^o nisi ad excipiendas sacramentales utriusque sexus fidelium confessiones ab Ordinario loci, in quo moram nempe stabilem sive ultimam trahit orator, iam fuerit legitime approbatus;

3.^o nisi saltem per decem annos sacris missionibus aliisque praedicationibus, ac praesertim extra limites interdum suae dioeceseos, cum laude vacaverit atque intenderit; de qua re Ordinarii locorum fidem indubiam in scriptis fecerint, testantes pariter, oratorem statutis ab Apostolica Sede circa sacram praedicationem normis constanter adhaesisse, et irreprehensibilis moribus apud populum se probasse;

4.^o nisi commendatus fuerit per litteras, ad sacram Congregationem S. Officii directe transmittendas ab Ordinario loci, ubi habituale domicilium tenet orator; et si agatur de sacerdote regulari, consensus etiam et commendatio in scriptis, ut supra, sui superioris generalis accesserit.

Decreverunt insuper iidem Emi. ac Rmi. DD.:

5.^o sacerdos, qui ab hac S. S. Congregatione Missionarii apostolici titulo decoratus fuerit, huiusmodi titulo et adnexis indulto et facultatibus nonnisi ad libitum Sanctae Sedis gaudere valeat, nec non sub directione et dependentia Ordinarii locorum, in quibus missiones per eum fieri contigerit, quibus omnino parere debeat, ac licentiam prius cum facultatibus ab eis recipere;

6.^o indultum et facultates ab hac eadem S. Congregatione una cum titulo Missionarii apostolici concedenda, illa tantummodo erunt, quae in elencho huic decreto adnexo continentur; ac praeter illa nullum peculiare privilegium, nulla habitus distinctio, neque ulla a proprio Ordinario exemptio tributa censeantur;

7.^o super rescriptum huius S. S. Congregationis, quo alicui sacerdoti titulus Missionarii cum adnexis indulto et facultatibus tribuitur, litterae apostolicae in forma *Brevis*, vita naturali oratoris perdurante valiturae, expediantur.

Insequenti vero Feria V eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus relatione SSmo. Dno. nostro D Papae Pio X, eadem Sanctitas Sua ea omnia, quae, uti supra, Emi. Patres decreverunt, benigne approbavit et confirmavit.

L. ✠ S.

A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

INDULTUM ET FACULTATES.

Quae una cum titulo missionarii apostolici a S. S. Congregatione S. Officii conceduntur.

1.^o Indultum personale altaris privilegiati quater in hebdomada, dummodo simile privilegium pro alia die obtentum non fuerit, atque intuitu huiusmodi indulti nihil praeter consuetam eleemosynam percipiatur ;

2.^o facultatem benedicendi extra Urbem, ac de consensu Ordinarii, privatim quodcumque, publice vero tempore tantummodo Adventus, Quadragesimae, spiritualium exercitiorum ac sacrarum missionum, quo sacras conciones ad populum habebit, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac sacra numismata, eisque adplicandi indulgentias apostolicas nuncupatas, ut in postremo elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide die 28 Augusti 1903, necnon adnectendi coronis precatoriis indulgentias a S. Birgitta dictas ;

3.^o facultatem benedicendi unico crucis signo, de consensu Ordinarium, coronas iuxta typum coronarum SSmi. Rosarii B. Mariae V. confectas, eisque adnectendi indulgentiam quingentorum dierum, defunctis quoque adplicabilem, a christifidelibus lucranda, quoties, aliquam ex eisdem coronis manu gerentes, orationem dominicam vel angelicam salutationem devote recitaverint ;

4.^o facultatem impertiendi cum crucifixo at unico crucis signo in postrema concione Quadragesimae, Adventus, sacrarum missionum et spiritualium exercitiorum benedictionem nomine Summi Pontificis, cum adnexa plenaria indulgentia, ab universis christifidelibus lucrificianda, qui, confessi ac sacra synaxi refecti, postremae eidem concioni adfuerint, et quinque saltem conciones praefatis temporibus habitas audierint ; facta etiam facultate fidelibus lucrandi indulgentiam ducentorum dierum, quoties alicui ex eisdem concionibus interfuerint ;

5.^o facultatem benedicendi cruces, tempore sacrarum missionum erigendas, eisque adplicandi indulgentiam trecentorum dierum, toties a christifidelibus lucranda, quoties ipsi orationem dominicam cum angelica salutatione et *Gloria Patri* etc. in memoriam passionis D. N. Iesu Christi, ante quamlibet ex praefatis crucibus corde saltem contriti ac devote recitaverint ;

6.^o facultatem impertiendi christifidelibus morti proximis, servatis forma et ritu Constitutionis s. m. Benedicti XIV quae incipit *Pia Mater*, benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia, lucranda ab iisdem fidelibus, qui, confessi ac sacra synaxi refecti,

vel saltem contriti, SSmm. Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint.

CONGREGATION OF RITES.

Litaniae in honorem S. Ioseph adprobantur, et tercentis Indulgentiarum diebus ditantur.

URBIS ET ORBIS.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, inclytum patriarcham S. Ioseph, divini Redemptoris patrem putativum, Deiparae Virginis sponsum purissimum et Catholicae Ecclesiae potentem apud Deum patronum, cuius glorioso nomine a nativitate decoratur, peculiari atque constante religione ac pietate complectitur. Hinc supplicibus enixisque votis et precibus plurimum Sacrorum Ecclesiae Antistitum et Praepositorum ordinum religiosorum, praeunte Abbate generali Cisterciensium reformatorum, libenter obsecundans, suorum decessorum fel. rec. Pii IX et Leonis XIII exempla, acta et decreta de cultu ipsius S. Ioseph edita, toto animo ac voluntate per hoc novum Decretum prosecui statuit. Eapropter quo omnes et singuli Christifideles, cuiusvis sexus, status et conditionis, cum filiali ac religioso affectu ac firma solidaque spe eximias Nazarenae Familiae nutritii et custodis virtutes frequenter recolant ac studiose imitentur, validamque opem, praesenti tempore humanae familiae ac societati congruentem, iteratis invocationibus ferventer implorent, Litanias in honorem S. Ioseph Sacrorum Rituum Congregationis examini ac iudicio subiectas, atque ab ipsa dignas adprobatione recognitas, de eiusdem Sacrae Congregationis consulto, ac referente infrascripto Cardinali Praefecto et Ponente, Apostolica sua Auctoritate adprobavit; easque in vulgus edi, atque in libris liturgicis, post alias Litanias iam adprobatas, inseri ita indulsit, ut in universa Ecclesia tum private, tum publice, recitari et decantari valeant. Insuper eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis Christifidelibus has Litanias in honorem sancti patriarchae Ioseph persolventibus, tercentum dierum indulgentiam semel in die lucranda, et Animabus in expiatorio carcere detentis etiam applicabilem, benigne concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 Martii 1909.

SEBASTIANUS Card. MARTINELLI, S. R. C. *Praefectus*.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., S. R. C. *Secretarius*.

L. ✠ S.

Kyrie, eleison.
 Christe, eleison.
 Kyrie, eleison.
 Christe, audi nos.
 Christe, exaudi nos.
 Pater de coelis Deus, miserere nobis.
 Fili, Redemptor mundi, Deus, „
 Spiritus sancte Deus, „
 Sancta Trinitas unus Deus, „
 Sancta Maria, ora pro nobis.
 Sancte Ioseph, „
 Proles David inclyta, „
 Lumen Patriarcharum, „
 Dei Genitricis sponse, „
 Custos pudice Virginis, „
 Filii Dei nutritie, „
 Christi defensor sedule, „
 Almae Familiae praeses, „
 Ioseph iustissime, „
 Ioseph castissime, „
 Ioseph prudentissime, „
 Ioseph fortissime, „
 Ioseph obedientissime, „
 Ioseph fidelissime, „
 Speculum patientiae, „
 Amator paupertatis, „
 Exemplar opificum, „
 Domesticae vitae decus, „
 Custos virginum, „
 Familiarum columen, „
 Solatium miserorum, „
 Spes aegrotantium, „
 Patrone morientium, „
 Terror daemonum, „
 Protector sanctae Ecclesiae, „
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,—parce nobis Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,—exaudi nos Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,—miserere nobis.
 V. Constituit eum dominum domus suae.
 R. Et principem omnis possessionis suae.

OREMUS.

Deus, qui infallibili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus; ut quem protectorem veneramus in terris, intercessorem habere

mereamur in coelis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

MINORICEN.

De Vicarii Generalis super dignitates ac Canonicos vestibus haud indutos sacris praecedentia.

Hodiernus Rmus. Episcopus Minoricensis in Hispania a sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit, nimirum:

I. An Vicarius generalis procedere debeat ante omnes dignitates et canonicos, dummodo non sint parati sacris paramentis?

II. An Vicario generali habitu vicariali induto danda sit praecedentia semper et ubique supra omnes dignitates et canonicos sacris vestibus non indutos?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis liturgicae, respondendum censuit:

Ad I et II. Affirmative, iuxta decreta.

Atque ita rescripsit, die 10 Iunii 1904.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

LUCEN.

Aegrotantium lecticae benedictionis formula.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui, dum peregrinabar in terris, pertransibas benefaciendo et sanando omnem languorem et omnem infirmitatem in populis, quique hominem paralyticum, iacentem in lecto, ad salutem mentis et corporis restituisti; respice, quaesumus, ad fidem et ad sensus commiserationis servorum tuorum, qui, animati spiritu verae caritatis, qua tu eis exemplo praeivisti, et quam in praeceptum traduxisti, vehiculum hoc ad instar lectuli artificiose exstrui vcluerunt, eo fine, ut ad locum curationis vel aptissime deferri possint quicumque aut vulneribus sint affecti aut quavis infirmitate detineantur. Aegrotis igitur, qui hoc componuntur vehiculo, quod nunc in

tui nominis virtute benedicimus, esto, mitissime Iesu, in itinere solatium, in periculis tutamen, in doloribus refrigerium. Praesta, ut iidem, tuis Angelis comitantibus, ad curationis sedem tranquillo cursu perveniant, ibique pristinam sanitatem recuperent, eâque, te miserante, per intercessionem sanctissimae tuae Matris Mariae, percepta, abeuntes in domos suas, honorificent et magnificent te Deum verum: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus, supplicia vota Emi. et Rmi. Dni. Cardinalis Benedicti Lorenzelli, Archiepiscopi Lucen., ab infrascripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relata peramanter excipiens, suprascriptam formulam benedictionis vehiculi aegrotis in locum curationis traducendis, ab eodem sacro Consilio revisam, benigne approbare dignatus est; itemque potestatem fecit ipsi Emo. et Rmo. Antistiti permittendi sacerdotibus, intra fines ipsiusmet archidioceseos, usum eiusmodi formulae pro enuntiata benedictione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

ATREBATEN.

De quorundam altarium reconcillatione.

Rmus. Dnus. Alfridus Williez, Episcopus Atrebaten., sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit, in sua dioecesi nonnulla haberi altaria fixa, quae pristinam consecrationem amiserunt, quia tabula separata fuit a basi. Sed quum in casu non fuerit apertum sepulcrum reliquiarum, idcirco idem Rmus. Episcopus orator postulavit, utrum sufficiat sancto chrismate inungere coniunctiones mensae cum basi in quatuor angulis, recitatis duabus orationibus *Maiestatem tuam* et *Supplices te deprecamur*, iuxta Pontificale Romanum?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicae sententia, reque sedulo expensa, rescribendum censuit: Affirmative, de speciali gratia, ad mentem decreti n. 3829, *Gnesnen.*, 8 Iunii 1894, ad I.

Atque ita rescripsit et indulsit, die 12 Martii 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

BUSCODUCEN.

Plura solvuntur dubia, S. RR. Cong. proposita.

Rev. Dnus. A. Hermus, professor in Instituto Surdomutorum loci *Gestel* S. Michaelis, et kalendarista dioecesis Buscoducensis in Hollandia, de consensu Rmi. sui Episcopi, a sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime exposulavit, nimirum :

I. Num in Missa Rogationum in festo S. Marci et tribus diebus Rogationum, occurrentibus in festo duplicis secundae classis, duplicis maioris vel minoris, si in ecclesia unica tantum celebratur Missa, post commemorationem duplicis, tertio loco addenda sit oratio de tempore v. g. *Concede*, si nulla alia commemoratio est facienda ?

II. An hoc idem obtineat in Missa pro sponso et sponsa celebranda in duplici maiori vel minori ?

III. In Instituto Surdomutorum loci *Gestel* S. Michaelis unicum tantum habetur oratorium, in quo Missae celebrantur. Portam ad viam publicam non habet, et nonnisi occasione quarumdam solemnitatum, v. g. primae communionis alumnorum, vel de speciali licentia superioris, extranei in illud admittuntur ; quaeritur ; utrum, attento S. R. C. decreto *Ordinis Fratrum Minorum provinciae Germaniae inferioris*, 10 Novembris 1906, post mortem alicuius alumni, in dicto oratorio, singulo die ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus in citato decreto enumeratis, pro illo defuncto legi possint Missae de requie, quamdiu nempe corpus praesens est in domo ; an vere semel tantum ?

IV. Et si semel tantum, utrum eiusmodi Missae tantum dici possint in die funeris, quasi concomitantes Missam solemnem exsequialem ; an vero insuper in una ex diebus sepulturam cum Missa exsequiali praecedentibus ?

V. Si solemnes exsequiae cum Missa exsequiali in dicto oratorio, die sepulturae, pro illo defuncto habentur ; an insuper in eodem oratorio Missam de requie pro eo liceat cantare prima die post eius obitum non liturgice impedita, ad normam decreti S. R. C. *Labacen.* 28 Aprilis 1902, ad X ?

VI. In tota dioecesi Buscoducensi, ex indulto apostolico et de praescripto Ordinarii, iam ab anno 1853 Officia votiva SSmi. Sacramenti pro feria V, et Immaculae Conceptionis B. M. V. pro Sabbato, non impeditis festo novem lectionum, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora et Vigilias, ritu duplici recitantur ; quaeritur, utrum supradictis diebus liceat clero ad libitum dicere Missas de requie ; an legere teneatur Missas conformes Officio votivo ?

VII. Sacerdos, die, in qua, iuxta tit. v. n. 1 vel 2 Rubricarum Missalis, in Missa de feria vel simplici commemoratio pro defunctis est facienda, legit Missam privatam votivam S. Antonii; num etiam in eiusmodi Missa votiva commemoratio pro defunctis est facienda?

VIII. Dioecesi Buscoducensi concessum est pro die 28 Ianuarii Officium proprium cum Missa propria S. Iuliani Episcopi et Confessoris, adprobatum et concessum dioecesi Conchensi. Haec vero Missa non reperitur in novis editionibus Missalis romani et Gradualis; quaeritur, an in posterum, pro gratia, dici possit Missa *Statuit*, approbata pro dioecesibus, quibus non extenditur praedictum Officium proprium?

IX. Dominica Quinquagesimae et biduo sequenti, in pluribus locis dioecesis Buscoducensis habetur exercitium Quadraginta Horarum, quin tamen forma Instructionis Clementinae stricte observetur, quum nocte SSmum. Sacramentum in tabernaculo recondatur: quaeritur: 1^o num, durante pio hoc exercitio, cantica in lingua vernacula coram Sanctissimo in ostensorio exposito canere liceat? 2^o num durante tali expositione in altari maiori, in altaribus lateralibus atque in sacellis eiusdem ecclesiae liceat celebrare Missas de requie, diebus quibus tales Missae per Rubricas permittuntur?

X. Utrum preces et hymni liturgici, v. g. Introitus, Communio, hymnus *Lauda Sion*, a choro musicorum in lingua vernacula cantari possint infra Missam privatam; an vero eiusmodi cantica tantum prohibita sint coram Sanctissimo exposito, ad normam decreti S. R. C. n. 3537 *Leavenworthien.*, 27 Februarii 1882, ad III?

XI. In quibusdam locis dioecesis festo S. Thomae a Villanova, proprio die impedito, ab Ordinario iuxta Rubricas assignata est, tanquam fixa, dies 3 Octobris. Quum vero hodie festum SS. Angelorum custodum non amplius celebretur die 2 Octobris, sed prima Dominica mensis Septembris, dies 2 Octobris iam nunc libera evasit pro assignatione alicuius festi perpetuo impediti; quaeritur, an nunc mutari debeat dies fixa S. Thomae, et ei assignanda sit, tanquam fixa, dies 2 Octobris?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, atque omnibus accurato examine perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I et II. Dilata.

Ad III et IV. Standum decreto *Ordinis Fratrum Minorum provinciae Germaniae inferioris*, 10 Novembris 1906, ad I, quoad 1 et 2 quaestionem.

Ad V. Servetur decretum *Labacen.*, 28 Aprilis 1902, ad X.

Ad VI. *Affirmative* ad primam partem ; *Negative* ad secundam, in casu, iuxta decreta n. 1858, *Bergomen.*, 24 Novembris 1691, et n. 3792, *Strigonien.*, 30 Augusti 1892, ad VI.

Ad VII. *Affirmative* iuxta Rubricas et decretum n. 2077 *Ordinis Eremitarum sancti Augustini*, 13 Augusti 1701 ; et quidem penultimo loco inter orationes omnes, quae eadem die tam ex Rubricarum praecepto, quam ex Ordinarii mandato, aut ad Celebrantis placitum adiungantur, iuxta Rubricas generales Missalis romani, tit. VII, n. 6.

Ad VIII. Non expedire ; et Missa retineatur, quae respondet Officio iam concessio.

Ad IX. Quoad primam quaestionem, *affirmative*, nisi agatur de textibus proprie liturgicis et de functionibus insuper stricto censu liturgicis. Quoad alteram quaestionem, *negative* in omnibus ; quia expositio, in casu, uti pro causa publica censetur effecta.

Ad X. *Negative* ad primam partem, iuxta decretum relatum n. 3537, *Leavenworthien.*, 27 Februarii 1882, ad III ; ad secundam iam provisum in prima.

Ad XI. *Negative*, sed posse, si dies 2 Octobris iuxta Rubricas et decreta, festo reponendo S. Thomae, etiam in reformatione perpetui kalendarii dioecesanis competeret ; secus non posse, sed expectandum esse tempus reformationis praefatae.

Atque ita rescipsit, die 31 Martii 1909.

Fr. S. Card MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

DECRETUM SEU INSTRUCTIONES.

Circa Cantus concinnandos atque edendos, officia propria alicuius ecclesiae vel instituti respicientes.

Sacra Rituum Congregatio necessarium atque opportunum iudicavit, quasdam instructiones seu leges circa cantus concinnandos atque edendos, Officia propria alicuius ecclesiae vel instituti respicientes, statuere ac evulgare. Quae quidem instructiones seu leges, in audientia diei 24 vertentis mensis Martii a sanctissimo Domino nostro Pio Papa X approbatae ac sancitae, sunt quae sequuntur :

1^o Praeter cantus, qui in editione vaticana habentur, alii exstant non pauci, qui, quum et ipsi ad usum liturgicum, licet peculiaris tantum loci, pertineant, propterea omnino debent (decr. 11 Aug. 1905, V, VI) ad formam Gregorianam concinnari, aut certe

reduci, ut inde possint sacrorum Rituum Congregationis approbatione muniri.

2° Istiusmodi cantus, quamvis non universam spectent Ecclesiam, nihilominus in potestatem cedunt Sedis Apostolicae, quae eos approbando facit suos, ac pleno prorsus iure potitur de forma usuque eorum admittendis, tollendis, limitandis et ita quidem moderandis, ut cantus etiam proprii singularum ecclesiarum cum typicis et inter se concordent.

3° Nec tamen ista suprema Sedis Apostolicae potestas super liturgicas cantilenas impedit, quominus firma maneant possessoribus consueta proprietatis iura, scilicet:

(a) Ordinario, super ecclesiae suae Proprium, sumptum quidem universe; minime vero in partes, nisi omnino speciales;

(b) auctori vel editori primo, si agatur de melodiis vel de aliquo Proprio cuiusdam ecclesiae non reservatis, ut esset v. g. *Kyrie* in Ordinario Missae extra editionem typicam approbatum, aut Proprium regionale; quae tamen decennio elapso, publici iuris fiant, salvo semper Sedis Apostolicae dominio.

4° Praedictorum autem iurium usus sic temperetur, ut nullus Ordinarius, auctor vel editor obstatere queat, quominus alii, si conditiones infra notatas impleant, aliquem cantum proprium, suo verborum contextu, ut par est, instructum, typis pariter evulgent.

5° Quivis editor, cantus huiusmodi typis mandare cupiens, ad id admittatur a legitimo possessore, dummodo huic fidem faciat: (a) de sufficienti ad rem perficiendam facultate et peritia; (b) de praestanda eidem possessori debita remuneratione, cuius scilicet pretium excedere nequeat duplum expensae ad primam confectionem requisitae.

6° De moderatoribus supremis alicuius religiosi instituti idem valeat quod supra de Ordinariis sancitum est, peculiaribus tamen servatis privilegiis a Sancta Sede antehac concessis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, Die 24 Martii 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

DECRETUM

Praepositum typicae editioni vaticanae officii defunctorum cum cantu Gregoriano.

De mandato SSmi. Dni. nostri Pii Papae X, sacra Rituum Congregatio declarat ac statuit praesentem Officii defunctorum

editionem vaticanam, quae cantum Gregorianum exhibet, ab ipso SSmo. Dno. nostro feliciter restitutum, uti authenticam ac typicam habendam esse, atque ab omnibus Romanae Ecclesiae ritu utentibus in posterum observandam. Quaevis ideo eiusdem Officii nova editio, typis evulganda, huic adamussim conformis esse debet. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Maii 1909.

F. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE SACRAMENTS.

PARMEN. ET ALIARUM

De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo.

Ante editum decretum *Ne temere* diei 11 mensis Augusti anno MDCCCXV *De sponsalibus et matrimonio*, satis iam fuerat eorum necessitati provisum, qui miserrime in concubinato viventes iidemque in gravissimo mortis periculo constituti, impedimento aliquo matrimonium dirimente prohiberentur, quominus rite nuptias inirent. Nam per litteras S. Officii datas die xx mensis Februarii anno MDCCCLXXXVIII, et per sequutam declarationem die ix mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX, facultas Ordinariis concedebatur, quae parochis etiam subdelegari habitualiter posset, dispensandi in iis adiunctis ab impedimentis quoque publicis matrimonium ecclesiastico iure dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Cum autem in art. VII praefati decreti *Ne temere* sancitum fuerit, "imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide et licite posse coram quolibet sacerdote et duobus testibus"; Ordinarius Parmensis ac plerique aliorum locorum Ordinarii a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum postularunt, ut, etiam hoc in casu, animarum saluti consuleretur, si forte dirimens aliquod impedimentum obstaret quominus matrimonium rite contraheretur.

Re mature perpensa in Congregatione generali diei VII mensis Maii anno MDCCCX, et ratatis omnibus SSmo. D. N. Pio divina providentia Papae X, in audientia habita ab infrascripto eiusdem S. Congregationis a secretis die ix mensis maii anno MDCCCX,

Sanctitas Sua, benigne excipiens votum Emorum. Patrum, declarare dignata est ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. vii decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis die xiv mensis Maii anno MDCCCXC.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.
Ph. GIUSTINI, *a Secretis*.

ROMAN DOCUMENTS

AND

DECREES

Edited by Rev. D. DUNFORD

VOL. IV.

(JULY, 1909—JUNE, 1910.)

NEW YORK, CINCINNATI, CHICAGO
BENZIGER BROTHERS

PRINTERS TO THE HOLY APOSTOLIC SEE | PUBLISHERS OF BENZIGER'S MAGAZINE

1910

Imprimatur

EDMUNDUS CANONICUS SURMONT

Vicarius Generalis

Westmonasterii

INDEX.

A.

PAGE

Abstinence on the Vigil of the Annun- ciation.. .. .	57
"Ad limina" visits. New Regulations concerning	80
Agnes (St.). A question about the Feast of	109
Albs. Colour of lining placed under lace trimming.. .. .	81
Annunciation. Abstinence on the Vigil of the Feast	57
Apostolic Letters— Granting Indulgence for Ejacula- tion	1
On the First Order of St. Francis ..	43
New Constitutions for the Capuchins	59
To the Bishop of Namur	73
To the Nuns of the Visitation Order	74
Granting Indulgence for the Rosary of the Precious Blood	76
Apostolic Blessing. Any Priest may give to Nuns <i>in periculo mortis</i> ..	4
Apostolic Constitution. New Regula- tions as to the Suburbicary Sees..	135

B.

Betrothals and Marriages— In Hungary and Germany	17
Replies to Further Questions ..	141
Beatifications and Canonizations. Concerning the Celebration of ..	29
Biblical Commission— Authorship and dates of composi- tion of the Psalms	155
Decisions on Genesis	41
Bishops must be informed of Pious Legacies	57
Bishepsrics (Vacant). Secrecy to be observed in nominating to ..	139
Blessing for Printing and Publishing Offices	65
Books condemned	28, 115
Breviary. Additions to be made to	67, 68, 69

C.

PAGE

Canonizations and Beatifications. Concerning the celebration of ..	29
Capuchins. New Constitution ap- proved	53
Cistercians of Marianhill erected into a separate Congregation ..	63
Consecration of a church built of "Coementum armatum"	70
Competency— Of the Cong. of Propaganda regard- ing certain Missionary Societies..	56
Of the Cong. of the Council regard- ing confraternities	56
Of certain Congregations and Tribunals	8
"Coementum Armatum." Conse- cration of a Church constructed of	70
Consecration of Altars and Churches. A question on the	111
"Credo" when Relics are exposed ..	31
"Credo." Mass must not be con- tinued immediately after intona- tion of	109
Customs— In the Mass and Office. Decisions on	110
(Some) which are to be abolished ..	154
(Dominican). Some questions con- cerning	155

D.

Death. On presuming	144
Debts of Religious Communities. Restrictions concerning	21
Dispensations for Royal persons. The granting of	116
Dominican customs. Some ques- tions concerning	155
Duplication. Indult to receive alms for both Masses	58

E.	PAGE
Edict of citation in a matrimonial case	71
Encyclical on St. Charles Borromeo	117

F.	
Faculty to celebrate Mass by priest having lost right arm	18
Francis (St.). Statutes regarding the First Order of	43
Friars Minor in Ireland. Letter to the Provincial, O.F.M.	79

G.	
Germany. Betrothals and marriages in	17
Genesis. The historical character of the first three chapters	41
Gramophone. Forbidding its use at Mass	112

H.	
Holy Oils. The whole must be blessed on Maundy Thursday	112
Hungary. Betrothals and marriages in	17

I.	
Indulgences—	
For ejaculation in honour of the Blessed Sacrament	1
Granted to local Church (Crawley, Southwark)	2
(Mutual communication of) granted to Tertiaries	3
For invocation in behalf of the Holy Souls	5
For prayer for the conversion of the Chinese	5
For prayer for the conversion of the Japanese	5
For short prayer to Our Lord	6

PAGE	
Index. Certain books placed on	28, 115
Indult to receive alms for both Masses when duplicating	58
Indulgences pertain to the Holy Office	138
Irregularity (Occult). Dispensation from, when there is urgent necessity	79
Italian Priests going to America or Philippines. Regulations concerning	100

J.	
Joan of Arc (Blessed). The canonization of	114

L.	
Legacies (Pious). Bishops must be informed of	57
Liturgical books. Notice to publishers of	153
Lourdes. Concerning the Mass of Our Lady of	39
Loretto. Letters commending books on the House of	78
Letters	1, 43, 58, 73, 74, 76

M.	
Martyrology. Additions to be made to	69, 70
Marriage and Betrothals. Replies to further questions	141
Missal. New Rubric for the	40
Motu Proprio—	
All Indulgences pertain to the Holy Office	138
Inaugurating Congregation of Theatines	77

N.	
Namaqualand (Great) erected into a Prefecture Apostolic	27
"Ne temere" as applied to Germany and Hungary	17
"Ne temere" in Russia	17

O.	PAGE
Orange River. Four districts added to the Apostolic Vicariate..	27
Orders (Sacred). Studies requisite for	103

P.	
Paulinus (St.). New Office and Mass	35
Perpetua and Felicitas (SS.), A question about the feasts of ..	109
Polish Priests going to America. Regulations Concerning ..	99
Postulants—	
Declaration on the Decree on not admitting certain..	151
The Decree on not admitting is extended to Communities of Women	108
Precious Blood (Rosary of the). Indulgence for ..	76
Profession (Religious). A Question about ..	107
Propaganda Colleges. New Regulations concerning ..	8
Protonotary (Rules for), when celebrating Vespers ..	39
Psalms. Authorship and dates of composition..	155
Publishers. Notice to, concerning Liturgical Books ..	153

Q.	
"Quum Minoris." Declaration as to the extent of the Decree ..	152

R.	
Rescript granting Indulgence to local Church (Crawley, Southwark) ..	2
Rescript granting mutual communication of Indulgences to Tertiaries Religious (Secularised). Restrictions concerning ..	3
	20

	PAGE
Religious Communities—	
Certain postulants not to be admitted ..	26
Concerning economic obligations and contracting debts ..	21
Religious Profession—	
A Question about ..	107
As to nullity under specified circumstances ..	25
Religious (The studies of). Declaration concerning ..	106
Relics of the Cross and Saints. Some rules concerning ..	31
Rosaries. The "Pater Noster" bead must be retained ..	
Royal Persons. On the granting of matrimonial dispensations to ..	116
Russia. The Decree "Ne Temere" in Rubric. To be inserted in the Missal	17
	40

S.	
Secretariate of State. Letters commending books on the House of Loretto..	78
Secretariate of State. Letter to the Irish Provincial, O.F.M. ..	79
Secrecy to be observed in nominating to vacant Sees ..	139
Slav Language (The use of) in the Liturgy..	31
Studies requisite before Sacred Orders are conferred ..	103
Studies of Religious. Declaration concerning the ..	106
Suburbicary Sees. New Regulations as to the ..	

T.	
Theatines (Congregation of), inaugurated ..	

V.	
Votive Masses. Questions on..	113

APOSTOLIC LETTER.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Indulgentia conceditur recitantibus iaculatoriam precem
in honorem SS. Sacramenti.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis ex nativo supremi Apostolatus officio, nihil antiquius sit, quam, ut fidelium pietas erga Sacramentum divini amoris magis amplificetur, pias preces quae christianorum animos excitant, ad tantum Mysterium rite recolendum, coelestium munerum, quorum dispensationem Altissimus Nobis concedidit, accessione pro re ac tempore locupletare satagimus. Hoc ducti consilio, de apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore, universis christifidelibus ex utroque sexu, qui ubique terrarum, et quocumque idioma, dummodo versio fidelis sit, contrito saltem corde ac devote sequentem iaculatoriam precem recitent : *O Iesu in Sanctissimo Sacramento, miserere nobis*, quoties id agant, toties in forma Ecclesiae consueta, de numero poenarum dierum centum expungimus. Porro largimur fidelibus ipsis, si malint liceat, partiali eadem indulgentia functorum vita labes poenasque expiare. Praesentibus perpetuo valituris. Sed praecipimus ut authenticum praesentium litterarum exemplar transmittatur ad S. S. Officii Congregationem, secus praesentes nullae sint : simulque ut praesentium litterarum exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ac ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 6 Iulii 1909, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*

PONTIFICAL RESCRIPTS.

**Adscripti Sodalitati S. Antonii Patav. in ecclesia Capuccinorum
“Crawley” lucrare possunt Indulgentias eidem concessas
visitando ecclesiam loci proprii.**

Beatissime Pater,

P. Anselmus, Ord. Min. S. Francisci Cap. Definitor Generalis Provinciarum linguae Anglicae, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, exponit ut sequitur :

I. Anno 1895, approbante Episcopo, erecta fuit in Ecclesia “parochiali” Ordinis apud Crawley, in dioecesi Southwarcensi in Anglia, Confraternitas S. Antonii Patavini, cuius obiectum est unire in societate precum et charitatis omnes qui, accepta aliqua gratia a Deo per intercessionem Divi Antonii, eleemosynam pauperibus dare promittunt.

II. Confraternitas ita mirabiliter crevit ut anno sequenti Sancta Sedes varias indulgentias plenarias et partiales in perpetuum concesserit omnibus qui eidem Confraternitati nomen dare vellent, et paulo post indulgentiae extensae fuere ad totam dioecesim.

III. Nunc autem, quia numerus adscriptorum fere est 200,000 qui in variis orbis terrae partibus dispersi sunt, et exoritur dubium de validitate extensionis indulgentiarum, quia ipsa Confraternitas minime ab initio declarata fuerat universalis, Orator humillime implorat ut Sanctitas Vestra declarare dignetur :

Quod, omnibus—si quae sint—in contrarium non obstantibus, omnes iam adscripti vel in futurum adscribendi, ubicumque sint, visitando eorum Ecclesias locales, seu Capellas, ipsis diebus approbatis pro Ecclesia et Capella apud Crawley, gaudere possint omnibus indulgentiis et privilegiis iam concessis vel concedendis Confraternitati.

IV. Praeterea, quia qualibet feria tertia per annum in Capella S. Antonii apud Crawley celebratur, absque stipendio, unica Missa pro bono spirituali et temporali tam ingentis numeri Sodalium, Orator enixe rogat ut haec Missa sit Missa votiva S. Antonii ad instar Missae *pro re gravi*.

Et Deus etc.

Iuxta preces perlibenter in Domino.

Die 31 Maii 1909.

PIUS PP. X.

RESCRIPTUM

De Primi et Secundi Ordinis mutua communicatione Indulgentiarum et fructuum spiritualium Tertiarium.

Beatissime Pater,

Frater Dionysius Schuler, totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, ad S. Vestrae Pedes humiliter provolutus, sequentia exponit :

Sanctitas Vestra, per Litteras Oratori datas sub die 5 currens mensis Maii statuere dignata est, "ut quibus pontificalis indulgentiae donis fruuntur quosque de bonis operibus spirituales fructus percipiunt familiae seraphicae primi et alterius Ordinis, ea omnia Tertiari Franciscales quotquot sunt utriusque sexus et cuiusvis instituti, vitae mortisque tempore, participant." Iamvero, Tertiariis nostris in amplissimam Indulgentiarum et spiritualium fructuum communicationem auspiciato vocatis, congruum esse videtur, ut Primi et Secundi Ordinis alumni participes reciprocè fiant Indulgentiarum et spiritualium fructuum Tertiariorum. Itaque S. Vestram suppliciter exorare Orator audet, ut ex apostolica benignitate concedere dignetur, quatenus laudata Indulgentiarum et spiritualium fructuum mutua communicatione perfrui in perpetuum possint quotquot sub Patriarchae Seraphici S. Francisci vexillo militant ad quemcumque Ordinem vel Ordinum Familiam pertineant.

Ob quam gratiam, etc.

Iuxta preces perlibenter in Domino.

Die 17 mense Maii an. 1909.

PIUS PP. X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

De usu inserendi Coronis B. M. V. loco granulorum malorum, parva numismata, B. M. V.

Beatissime Pater,

P. Thomas Ioseph a divina Providentia, societatis divini Salvatoris, ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit ut sequitur :

Ab aliquo tempore invaluit usus inserendi coronis B. M. V. loco granulorum, quae *Pater noster* designant, parva numismata B. M. V. — Quaeritur a multis fidelibus, utrum hic usus obstet lucro indulgentiarum, et utrum retineri possit, an non ?

Et Deus etc.

Die 13 Martii 1909, S. Congregatio S. Officii respondendum censuit, *nihil esse innovandum.*

L. ✕ S. A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

Religiosis mulieribus, non solum earum ordinarius confessarius, sed alius quilibet sacerdos Benedictionem Apostolicam in articulo mortis impertire valet.

DECRETUM.

Die 1 Aprilis 1909.

Quum religiosis mulieribus ad instituta votorum tum solemnium tum simplicium pertinentibus benedictionem apostolicam in articulo mortis impertiri nonnisi ordinarius earum confessarius, iuxta vigentem in praesens disciplinam, regulariter permittatur ; ne forte, hoc quavis ex causa impedito, supremo huiusmodi spirituali solatio illae destituantur, sanctissimus D. N. D. Pius PP. X, oblatis sibi ad rem precibus ex animo annuens, in solita audientia R. P. D. Adessori S. Officii concessa, benigne indulgere dignatus est, ut, quandocumque alius quilibet sacerdos ad extrema sacramenta religiosis mulieribus votorum tum solemnium tum simplicium ministranda rite vocetur, eisdem animam agentibus apostolicam etiam benedictionem, etsi aliunde hac facultate non

polleat, impertiri valeat, ad normam, ceteroquin, apostolicae Constitutionis s. m. Benedicti XIV, quae incipit *Pia mater*, et servata forma in Rituali Romano praescripta. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

L. ✠ S. A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

Indulgentia 300 dierum conceditur toties quoties recitantibus invocationem: "Pie Iesu Domine dona eis requiem sempiternam."

Die 18 Martii 1909.

SSmus. Dominus noster D. Pius divina providentia PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, indulgentiam trecentorum dierum, animabus igne Purgatorii detentis tantummodo applicabilem, benigne concessit, toties ab universis christifidelibus acquirendam, quoties ipsi, corde saltem contrito ac devote, sequentem invocationem recitaverint: *Pie Iesu Domine, dona eis (vel ei) requiem sempiternam*. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

Oratio pro conversione Sinensium Indulgentiis ditatur.

Die 27 Maii 1909.

SSmus. Dominus noster D. Pius divina providentia PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, universis christifidelibus, corde saltem contrito ac devote infrarelatam precem pro conversione imperii Sinensis ac Mongoliae recitantibus, indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, pro qualibet vice, benigne concessit; iis vero, qui eandem orationem quotidie per integrum mensem recitaverint, atque una eiusdem mensis die, cuiusque arbitrio eligenda, confessi ac sacra synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenariam indulgentiam, applicabilem ut supra, clementer elargitus est; tandem indulsit, ut praefatae indulgentiae acquiri etiam valeant a christifidelibus illiteratis, vel ab iis, qui prae manibus dictam orationem non habent, dummodo eius loco ad intentionem conversionis memoratarum gentium orationem dominicam cum angelica salutatione et *Gloria Patri* etc. bis recitent, ceteris adimpletis conditionibus.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, unice Salvator universi generis humani, qui "iam dominaris a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum," aperi propitius sacratissimum Cor tuum etiam miserrimis imperii Sinensis nec non Mongoliae incolis, qui adhuc in tenebris et in umbra mortis sedent, ut, intercedente piissima Virgine Maria, matre tua immaculata, et sancto Francisco Xaverio, relictis idolis, coram te procident, et Ecclesiae tuae sanctae aggregentur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.—*Pater, Ave et Gloria.*

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

Indulgentia conceditur recitantibus quamdam Orationem pro conversione Imperii Iaponensis.

Sanctissimus D. N. D. Pius div. prov. PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque adplicabilem atque semel in die lucranda, benigne concessit universis christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus sequentem orationem pro conversione Imperii Iaponensis: *O Maria, fulgida Stella matutina, quae iam primum terris, apparens, proximum Solis iustitiae et veritatis ortum significasti, Imperii Iaponensis civibus suaviter illucescere dignare, ut mox discussis mentium tenebris, Lucis aeternae Candorem, Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum fideliter agnoscant. Amen.* Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

Indulgentia adnectitur cuidam oratiunculae ad Iesum.

SSmus. D. N. D. Pius div. prov. PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, universis christifidelibus sequentem oratiunculam: *Iesu Christe, Fili Dei vivi, lux mundi, te adoro, tibi vivo, tibi morior, Amen,* corde saltem contritis ac devote recitantibus, indulgentiam centum dierum, semel in die lucranda, defunctis quoque adplicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

Solvuntur quaedam dubla circa competentiam SS. Congregationum et Tribunalium Rotae et Signaturae Apostolicae.

Vi Constitutionis *Sapienti consilio* restitutis vel potius noviter institutis tribunalibus S. Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae, quae sequuntur dubia exorta sunt circa competentiam propriam SS. Congregationum et Tribunalium :

I. Utrum restitutio in integrum adversus sententiam alicuius S. Congregationis, editam ante Constitutionem *Sapienti consilio*, sit concedenda ab ipsa sacra Congregatione, quae sententiam tulit vel a sacra Rota, vel ab Apostolica Signatura.

II. Utrum adiutores Auditorum S. Rotae agere possint munus advocati in aliqua causa, quae agitur apud S. Rotam, vel apud Apostolicam Signaturam.

III. Quaestione aliqua ad sacram aliquam Congregationem delata, et una ex partibus dissentiente quominus ibi res disciplinari seu administrativo modo dirimatur, dubium de competentia ita excitatum, a quonam et quomodo definitiva et inappellabili sententia sit resolvendum.

IV. Et si res sit apud S. Rotam, dubium de eius competentia a quonam et quomodo definitiva pariter et inappellabili sententia sit resolvendum.

Et Emi. Patres S. Congregationis Consistorialis, votis Consultorum aliisque perpensis, in pleno conventu diei 3 Iunii 1909 respondendum censuerunt :

Ad. I. Ab Apostolica Signatura, de commissione Sanctissimi.

Ad. II. *Negative* in utroque casu.

Ad. III. Servetur dispositio *Normarum peculiarium Ordinis* (seu *Regolamento*), *cap. I, num. 3, et cap. III, num. 10*. Quod si Congressus dubitet de sua competentia, rem deferat ad S. Congregationem Consistorialem pro dubii definitione, iuxta *num. 2, cap. I earumdem Normarum*. Si vero Congressus decernat, causae cognitionem ad se competere, et una ex partibus recursum ad SSmm. Dominum contra Congressus resolutionem interponat, de commissione ipsius SSmi. quaestio de competentia pariter a S. Congregatione Consistoriali dirimatur.

Ad. IV. Firmo quod S. Rota, quum sit appellationis tribunal, videre nequit de instantiis in primo gradu, nisi ex commissione SSmi., in casu quo recursus penes S. Rotam interpositus fuerit contra aliquem Episcopi seu ordinarii actum, de quo disceptetur vera ne sit sententia, an potius decretum seu dispositio disciplinaris; dubium de competentia dirimatur iisdem, cum proportionem, servatis regulis ac in praecedenti responsione.

Facta vero de his omnibus relatione SSmo. D. N. Pio PP. X in audientia diei 11 Iunii 1909, Sanctitas Sua supra relatas resolutiones Emorum. Patrum approbare et confirmare dignata est.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
 SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

De quibusdam Collegiis a S. Congregatione de Propaganda fide dependentibus ante Constitutionem "Sapienti Consilio."

Die 29 Iulii 1909.

Postquam vi Constitutionis *Sapienti consilio* plures regiones, olim subiectae S. Congregationi de Propaganda Fide, subductae fuerunt ab eius iurisdictione, quaesitum est, quae esset conditio quorundam collegiorum Urbis, in quibus educabantur iuvenes ad praefatas regiones ut plurimum pertinentes, et quae hucusque speciali directioni et administrationi S. Congregationis de Propaganda suberant.

Dubia hac de re, inter alia, proposita haec fuerunt: "IX. Utrum collegia Americae septentrionalis, Hiberniae et Scotiae dependere pergant a Congregatione de Propaganda, et utrum eorundem alumni praestare teneantur iusiurandum praescriptum ab Urbano VIII, die 24 Novembris 1625.—X. Utrum etiam alumni Americae septentrionalis Canadenses, Hiberni, qui ex iure foundationis instituuntur in collegio Urbano de Propaganda, emittere obstringantur posthac memoratum iuramentum ab Urbano VIII praescriptum, atque in forma et terminis deinceps statutis ab Alexandro VII per Bullam diei 20 Iulii 1660, pro cunctis collegii Urbani alumni.—XI. Utrum Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda poterit adhuc concedere litteras dimissoriales ad sacros Ordines alumni collegiorum Americae septentrionalis, Hiberniae et Scotiae; et an ac quomodo mutare oporteat titulum *missionis*.—XII. Utrum et quare immutandus sit titulus *missionis* quoad alumnos collegii Urbani de Propaganda, qui pertinent ad provincias ecclesiasticas et dioeceses a Congregatione de Propaganda avulsas."

His dubiis S. Congregatio Consistorialis, juxta mentem a SSmo. D. N. acceptam, ita die 12 Novembris 1908 respondit: "Ad IX. Collegia Americae septentrionalis, Hiberniae et Scotiae posthac pendebunt a S. Congregatione Consistoriali. Iuramentum autem ab alumni praestandum servetur, reformandum tamen erit iuxta novam statuendam formulam.—Ad X. *Affirmative*, formulâ vero reformatâ, consiliis initis cum Emo. Cardinali Praefecto S. Congregationis de Propaganda.—Ad XI. Concessio

litterarum dimissorialium ad sacros Ordines pertinebit ad hanc S. Congregationem, quae, cum necessarium fuerit, immutabit titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*.—Ad XII. Emus. Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda mutabit pro memoratis alumnis titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*."

Verum, publicatis hisce resolutionibus, nova dubia oborta sunt. Sane Emus. Praefectus S. Congregationis de Propaganda praefatis collegiis praeerat etiam qua eorum Protector, et qua talis alumnis litteras dimissorias ad Ordines aliasque dispensationes concedere consueverat, iuxta antiqua privilegia a Summis Pontificibus tributa Cardinalibus eorundem collegiorum Protectoribus. Quaesitum itaque est, utrum haec potestas transiret universa ad S. Congregationem Consistorialem et ad Cardinalem Secretarium.

Sed et alia extra Urbem in Europa et America aderant collegia seu seminaria, S. Congregationi de Propaganda directe seu immediate subiecta, de quibus quoque dubium movebatur, utrum eidem Congregationi adhuc subesse deberent.

Quapropter S. Congregatio Consistorialis, ut in re satis complexa omnimodam lucem obtineret, Moderatores singulorum horum collegiorum interpellavit, ut quae essent eorum statuta, regulae et privilegia proferrent.

Disceptationum puncta haec potissima erant:

1.^o a quam S. Congregatione, et quomodo, haec collegia in posterum dependere deberent; et cum vi Constitutionis *Sapientis consilio* S. Congregatio Consistorialis polleat alta directione et moderatione in universa seminaria locorum iuri communi subiectorum, utrum collegia, de quibus disceptabatur, subesse deberent S. Congregationi Consistoriali hoc lato sensu, an potius etiam strictiori, idest modo directo et immediato;

2.^o a quonam concedendae essent alumnis praefatorum collegiorum litterae dimissoriae ad Ordines;

3.^o quonam titulo iidem alumni ordinari deberent;

4.^o an adhuc ab eisdem iuramentum praestari deberet eodem modo ac hucusque ab eis Congregatio de Propaganda exigere consueverat.

Collegia vero seu seminaria, de quibus dubia movebantur, praeter tria superius recensita, Hiberniae, Scotiae et Americae septentrionalis in Urbe, haec insuper recensebantur:

(a) Collegium Anglicum Urbis a Summo Pontifice Gregorio XIII anno 1579 institutum, et Cardinali Protectore donatum aliisque pluribus privilegiis: cui anno 1898 ex institutione s. m. Leonis XIII accessit collegium Beda pro Anglis alumnis nuper e protestantismo conversis.

(b) Collegium Canadense Urbis, coniunctum cum seminario

S. Sulpitii civitatis Montisregalis in Canada, et ab iisdem patribus S. Sulpitii directum, quo conveniunt e Canada iuvenes sacerdotes aut saltem clerici in maioribus Ordinibus constituti, ut studia superiora perficiant.

(c) Collegium Iosephinum civitatis *Columbus* in America, a sacerdote Iosepho Jessing anno 1888 fundatum pro educatione iuvenum pauperum ad statum sacerdotalem optantium in foederatis statibus Americae septentrionalis: quod collegium a fundatore ipso, anno 1892, cessum fuit cum omnibus suis bonis S. Congregationi de Propaganda, et iuxta suas regulas sub omnimoda est directione et dependentia huius S. Congregationis.

(d) Collegium Americanum Lovanii in Belgio, anno 1858 fundatum, ut "ex variis nationibus iuvenes praeparentur idonei, qui ministerium sacrum in provinciis foederatis Americae septentrionalis, in provincia Victoriensi (Columbiae Britannicae) ac in dioecesis Portus hispanici ac Rosensi, uti sacerdotes saeculares, sub Illmorum. Episcoporum regimine exercent." Iuxta suas regulas collegium hoc subest auctoritati Emi. Praefecti S. Congregationis de Propaganda et Commissionis Praesulum a Concilio Baltimorensi III institutae.

(e) Collegium Anglicum Vallisoleti in Hispania, anno 1592 a Philippo II cum approbatione Clementis VIII erectum, et patribus Societatis Iesu tunc primum concreditum; quod dein, sub Carolo III, novis statutis donatum, modo vocatur regium, et eius rector a rege Hispaniae ex propositione Episcoporum Angliae inter sacerdotes saeculares eligitur.

(f) In iisdem fere conditionibus ac Anglicum habetur Vallisoleti aliud collegium pro Scotiae alumnis.

(g) Collegium Anglicum Lisbonense, quod regi dicitur iisdem regulis et privilegiis collegii Anglici Urbis, S. Sedi immediate subiectum est. Rector a Summo Pontifice eligitur ex propositione Episcoporum Angliae.

(h) Collegium Hibernense, Parisiis, quod, institutum anno 1578, subest directioni sacerdotum Missionis, vulgo Lazaristae, quos Archiepiscopi Hiberniae eligunt inter religiosos ab eadem congregatione Missionis propositos.

(i) Collegium Omnium Sanctorum, Dublini in Hibernia anno 1842 fundatum, ad sacerdotes instituendos et comparandos pro missionibus catholicis ubi lingua anglica praevalet. Dirigitur a sacerdotibus congregationis Missionis, sub directa dependentia S. Congregationis de Propaganda.

(l) Denique in Liguria, Ianuae, adest collegium nuncupatum *Brignole-Sale*, curae sacerdotum congregationis Missionis commissum, cuius finis est "di favorire la vocazione di operai evangelici, destinati a predicare la religione cattolica presso gli

infedeli o presso le nazioni eterodosse." Ex decreto autem S. Congregationis de Propaganda, diei 17 Septembris 1908, in hoc collegio non admittuntur clerici, qui non sint destinati pro locis missionum.

Quoad sacram alumnorum ordinationem, recolendum est, in hisce collegiis non unam eandemque regulam dari. Nam in collegio Americano septentrionali dimissorias concedere consueverat Emus. Card. Praefectus S. C. de Propaganda. Fertur autem, eas concedere valuisse, non qua Praefectus sacrae istius Congregationis, sed qua collegii Protector. Idem sentiendum quoad collegium Hibernicum Urbis: idemque quoad collegium Scotorum Urbis; quod imo, ex Bulla suae foundationis, eadem obtinet privilegia, quoad sacram alumnorum ordinationem, ac collegium Anglicum Urbis.

In hoc autem collegio Cardinalis Protector valet alumnis dare dimissorias ad Ordines, eisdem indulgere ordinationem extra tempora, eosque, si opus sit, dispensare ab interstitiis, a natalium defectu, et a titulo sacrae ordinationis.

In collegio Iosephino *Columbus*, ex resolutione S. C. de Propaganda diei 2 Aprilis 1894, dimissorias alumnis concedit Delegatus Apostolicus, ea tamen lege, ut dimissoriae litterae ab eo dirigantur ad Episcopum Columbensem, et eo absente, impedito aut nolente, ad alium.

In seminario Lovaniensi rector ipse dimissorias concedit. alumnis, vi indulti ad tempus a S. C. de Propaganda eidem dati. Et vi similis indulti eas concedit rector collegii Anglici Vallisoleiani, et rector collegii Anglici Lisbonensis.

Alumni collegii Hibernici, Parisiis, dimissorias a suis Ordinariis petere debent: itemque alumni collegii Omnium Sanctorum Dublini.

Quoad titulum sacrae ordinationis, in praefatis collegiis, clerici consueverant ferme semper promoveri titulo *missionis*. Sed ex rerum mutatione, quae contigit die 2 Novembris 1908, vi Constitutionis *Sapienti consilio*, hic titulus haud amplius adhiberi pro pluribus poterat. Quapropter, iuxta mentem a SSmo. D. N. acceptam, S. Congregatio Consistorialis, die 12 Novembris eiusdem anni (ceu supra relatum est), declaravit, substituendum esse titulo *missionis* titulum *servitii ecclesiae*.

Paulo post vero, Delegato Apostolico pro statibus foederatis Americae septentrionalis postulanti, quo titulo deinceps ordinari deberent clerici illius nationis, SSmus. D. per Secretariam Status in eundem sensum respondit.

Recentius, cum Emus. Hiberniae Primas, suo et aliorum Episcoporum nomine, regulam et ipse hac in re quaesivisset, de mandato SSmi. rem perpendit sacra haec Congregatio: quae,

requisito voto Rmi. P. Wernz, die 27 Maii 1909, in plenario conventu censuit ita rescribendum esse, quod et SSmus. D. probavit : " Pro gratia ad quinquennium, ut in omnibus et singulis dioecibus Hiberniae, clerici, quoties alio canonico titulo careant, ad sacros-maiores Ordines promoveri queant titulo *servitii ecclesiae*, hoc est *dioecesis*. Caveant autem singuli Archiepiscopi et Episcopi, ut, qui ita promoti sunt, honestae sustentationis rationibus non careant, et ut ii, qui iuxta Constitutionem *Speculatores*, et decreta S. Congregationis Concilii de excardinatione et sacra ordinatione, 20 Iulii 1898 et 24 Novembris 1906, ad iuramentum praestandum tenentur, huic obligationi, prout ibi praescriptum est, et non ultra, satisfaciant."

Videndum itaque est, an et quomodo haec regula, quae quasi privilegium dici debet pro quibusdam collegiis et regionibus data, extendenda sit aliis collegiis, de quibus vertit quaestio.

Postremo res est de iuramento. Qua in re animadvertendum est, quod clerici ordinandi titulo missionis generatim adiguntur ad certam iurisiurandi formam praeve praestandam, quae ex decreto S. C. de Propaganda, diei 27 Aprilis 1871, ita est :

" Ego N., filius N., dioecesis N. (vel Vicariatus N.), spondeo et iuro, quod postquam ad sacros Ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

" Voveo pariter et iuro, quod in hac dioecesi aut Vicariatu (vel in missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit) perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam ; quod etiam praestabo, si, cum praedictae Sedis Apostolicae licentia, religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero."

Sed est et aliud iuramentum speciale pro plerisque ex collegiis superius recensitis statutum, quod ab alumniis paulo post ab ingressu in piam domum debet emitti, et in locis sacrae ordinationis supplet iuramentum commune pro locis missionis mox memoratum. Hanc formulam primum statuit Urbanus VIII pro collegio de Propaganda, quod ipse instituit ; ampliavit Alexander VII, adiiciendo vetitum ingrediendi in aliquod religiosum institutum sine S. Sedis venia ; declaravit S. C. de Propaganda, pluribus resolutionibus ad rem datis.

Formula autem haec est :

" Ego N., filius N., dioecesis N., plenam habens instituti huius collegii notitiam, legibus et constitutionibus ipsius, quas iuxta

Superiorum explicationem amplector, me sponte subiicio, easque pro posse observare promitto.

“Insuper spondeo et iuro, quod, dum in hoc collegio permanebo, et postquam ab eo, quocumque modo, sive completis sive non completis studiis, exiero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia vel sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

“Spondeo pariter et iuro, quod, volente sacra Congregatione de Propaganda Fide, statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros, etiam presbyteratus, Ordines, cum Superioribus visum fuerit, promovebor.

“Item voveo et iuro, quod, sive religionem ingressus fuero, sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno; si vere extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status exercitii, et loci, ubi moram traxero, sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabo.

“Voveo praeterea et iuro, quod, iussu praedictae Congregationis de Propaganda Fide, sine mora in provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam pro salute animarum impendam: quod etiam praestabo, si, cum praedictae Sedis licentia, religionem, societatem, aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

“Denique voveo et iuro, me praedictum iuramentum eiusque obligationem intelligere et observaturum, iuxta declarationes factas a sacra Congregatione de Propaganda Fide, et Brevi apostolico roboratas sub die 20 Iulii 1660. Itemque iuxta novissimam declarationem eiusdem sacrae Congregationis, die 12 Maii anno 1834 editam.

“Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.”

Haec formula in usu est penes plura Urbis collegia, nempe penes collegia de Propaganda, Scotiae, Hiberniae, Americae septentrionalis, Angliae (pro alumnis dumtaxat, exclusis scilicet convictoribus), et penes collegium Iosephinum civitatis *Columbus*. In collegio Anglico Lisbonensi, in usu est formula Urbani VIII, sine additamento Alexandri VII. In collegio Anglico Vallisoleto duae speciales formulae iurisiurandi vigent, quae ceteroquin in pluribus conveniunt cum superius recensitis. In seminario vero Lovaniensi aliisque nullum speciale iuramentum exigitur. Videndum itaque est, quid etiam de hac iuramenti praestatione sit decernendum.

Haec itaque dubia enodanda S. Congregationi proposita sunt:

I. Quomodo intelligenda sit dependentia a S. Congregatione Consistoriali trium Urbis collegiorum, nempe Americae septen-

trionalis, Hiberniae et Scotiae, de qua in resolutione diei 12 Novembris 1908 ad IX; et quid idcirco statuendum sit quoad designationem et attributiones Emi. Cardinalis Protectoris in iisdem collegiis.

II. Utrum et qua ratione, post Constitutionem *Sapienti consilio*, collegium Anglicum de Urbe adnexumque collegium Beda dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

III. Utrum et quomodo collegium Canadense de Urbe in posterum dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

IV. Quae statuenda sint circa collegium Iosephinum in civitate *Columbus* Americae septentrionalis.

V. Utrum collegium Americanum, Lovanii, post Constitutionem *Sapienti consilio*, dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide, an a S. Congregatione Consistoriali.

VI. Utrum et quae iura posthac exercere valeat S. Congregatio Consistoriolis quoad collegium Anglicum S. Albani Vallisoleti.

VII. Utrum et quomodo providendum sit collegio Anglico Lisbonensi.

VIII. Utrum et quomodo collegium Omnium Sanctorum, Dublini, adhuc dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

IX. Utrum et quomodo collegium Hibernicum, Parisiis, dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

X. Utrum collegium Ianuense *Brignole-Sale* etiam nunc dependere debeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

XI. Ad quem spectet concedere litteras dimissorias ad sacros Ordines alumni collegiorum Americae septentrionalis, Hiberniae atque Scotiae de Urbe, nec non aliorum collegiorum, quae superius recensita sunt.

XII. Utrum et quinam titulus ad sacros Ordines, post Constitutionem *Sapienti consilio*, subrogandus sit titulo *missionis* quoad alumnos collegiorum, de quibus supra.

XIII. Quid statuendum sit circa iuramentum ab alumni eorundem collegiorum in ingressu in collegium praestandum.

XIV. Utrum clerici statuum feoderatorum Americae septentrionalis, qui vi peculiaris indulti, a Summo Pontifice per Secretariam Status die 2 Ianuarii 1909 concessi, promoventur ad sacros Ordines titulo *servitii ecclesiae*, teneantur emittere iuramentum sese mancipandi servitio suae ecclesiae seu dioecesis.

XV. Qua ratione reformandum sit iuramentum quoad eos alumnos collegii Urbani de Propaganda Fide, de quibus in resolutione S. Congregationis Consistorialis, die 12 Novembris 1908 ad X^{am} data.

Emi. Patres S. Congregationis Consistorialis, in plenario conventu diei 29 Iulii 1909, omnibus sedulo perpensis, responderunt :

Ad I. Hanc dependentiam intelligendam esse de alta directione, quam S. Congregatio Consistorialis, vi Constitutionis *Sapienti Consilio*, exercet in omnia seminaria et collegia iuri communi subiecta : et supplicandum SSmo., ut in unoquoque ex his collegiis Cardinalem Protectorem, qui in Urbe resideat, designet, cum attributionibus prout in eorundem constitutionibus et regulis, salvis tamen semper iis quae in memorata Constitutione *Sapienti consilio* et inferius disponuntur.

Ad II. *Affirmative*, in iisdem omnibus terminis ac in responsione ad I.^{um}

Ad III. Ad tramitem iuris communis, si et quatenus opus sit.

Ad IV. Quoad proprietatem et administrationem bonorum nihil innovandum : quoad collegii directionem, disciplinam aliaque, rem spectare ad S. Congregationem Consistorialem.

Ad V. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam, salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda Fide quoad alumnos dioecesium, quae adhuc eidem subsunt.

Ad VI. *Affirmative*, et S. Congregationem Consistorialem succedere debere in iuribus, quae hucusque a S. Congregatione de Propaganda Fide exercebantur.

Ad VII. Firma dependentia eiusdem collegii a S. Sede, providendum quoad modum iuxta mentem.

Ad VIII. *Negative*, subrogata S. Congregatione Consistoriali in iuribus, quae hucusque in dictum collegium exercebat S. Congregatio de Propaganda Fide, et salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda quoad alumnos dioecesium, quae eidem subsunt.

Ad IX. *Dilata*.

Ad X. *Affirmative*.

Ad XI. Litteras dimissorias concedendas esse a Cardinali Protectore, ubi adest : ubi vero deest, ab iis qui hoc privilegium legitime obtinuerunt ; ea tamen lege, ut, si non agatur de privilegio perpetuo, indulti prorogatio sacrae Congregationi Consistoriali reservata maneat. Rectores autem collegiorum (quisquis sit, qui dimissorias litteras concedat) teneri in antecessum in singulis casibus Ordinarium proprium candidati interpellare, semel pro Ordinibus minoribus, et denuo semel pro Ordinibus maioribus, nempe pro sacro subdiaconatus Ordine, an aliquid alumni ordinationi obstat.

Ad XII. *Affirmative*, et subrogandum esse titulum *servitii ecclesiae* titulo *missionis*, quoties alius canonicus titulus desit, servatis de iure servandis, prout in rescripto S. H. C. pro Hibernia, diei 27 Maii 1909 : salvo titulo *missionis* pro alumni, qui a S. Congregatione de Propaganda dependent.

Ad XIII. Conservandum esse iuramentum ab Urbano VIII

praescriptum, cum clausula adiecta ab Alexandro VII, in iis collegiis et pro iis alumniis qui hucusque illud praestare tenebantur, reformatum tamen iuxta adnexam formulam.* In collegio Anglico Lisbonensi iuramentum conservandum esse cum formula hactenus praescripta. Quoad collegium Americanum Lovaniense, ubi iuramentum non erat in usu, in posterum alumnos non dependentes a S. C. de Propaganda teneri in scriptis promittere, se fideliter inservituros esse propriae dioecesi, quae promissio in archivio collegii conservanda erit.

Ad XIV. *Negative*, nisi ad id adigantur in casibus a iure communi praescriptis; facta tamen obligatione alumniis, qui gratuito in bonum dioecesis aluntur, promissionem scriptam emittendi, sese fideliter inservituros esse propriae dioecesi.

Ad XV. Iuramentum reformandum esse iuxta superius indicatam formulam in responsione ad XIII, salvo iure S. Congregationis de Propaganda Fide, emendandi, si et quatenus necessarium ducat, formulam iuramenti pro alumniis locorum suae iurisdictionis.

Facta vero de his omnibus SSmo. relatione in audientia diei 6 Augusti insequentis, Sanctitas Sua resolutiones et vota Emorum. Patrum confirmare et adprobare dignata est.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
SCIPIO TECCHI, *Adressor*.

* IURISIURANDI FORMULA.

Ego N., e dioecesi N., plenam habens instituti huius collegii notitiam, ipsius leges et consuetudines, prout a moderatoribus explicatae sunt, libenter amplector, iisdem me sponte subiicio, easque pro viribus me observaturum polliceor.

Praeterea spondeo et iuro, me, quandiu hoc in collegio commorabor, et postquam, sive studiis expletis, sive secus, quavis de causa, inde discessero, nulli religiosae familiae aut societati vel congregationi regulari nomen daturum, nec in earum ulla professionem emissurum, sine speciali Apostolicae Sedis licentia.

Item spondeo et iuro, me, Superioribus adprobantibus, statum ecclesiasticum amplexurum, ad omnesque sacros Ordines, etiam presbyteratus, quum Praepositis meis visum fuerit, adscensurum.

Voveo denique ac iuro, me, nulla interiecta mora, in meam dioecesim reversurum, ut ibi perpetuo divinis ministeriis vacem operamque meam omnem pro christiani populi salute impendam.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

CONGREGATION OF THE DISCIPLINE OF THE SACRAMENTS.

Dubia circa Decretum de sponsalibus et matrimonio in Germanicis et Hungaricis regionibus.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 18 mensis Iunii anno 1909, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia, nimirum :

I. Num responsum a S. Congregationis Concilii diei 28 Martii 1908 ad II: "Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibique matrimonium contrahentibus," ita sit intelligendum, ut in quovis casu ambo coniuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariae.

II. An post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam, quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio habeatur, ita ut duo coniuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariae, et, viceversa, nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae.

Et Emi. Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. GIUSTINI, *Secretarius.*

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

DUBIA.

Non obstantibus Instructione S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anni 1844, necnon extensione declarationis Benedictinae, a Pio VI anno 1780 facta, matrimonia mixta, coram ministro acatholico in Imperio Russiaco contracta, vi decreti "Ne temere" pro invalida sunt habenda.

Ad S. Congregationem Concilii proposita fuerunt sequentia dubia :

I. Utrum sub art. IX, § 2, decreti *Ne temere*, in exceptione: "*nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede statutum*

"*sit*," comprehendantur instructio S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anno 1844 pro imperio Russiaco et regno Poloniae: "Respondendum oretenus, matrimonia mixta, quae in Russiaco imperio et in regno Poloniae inita sint praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet dirimens canonicum impedimentum," et extensio declarationis Benedictinae ad Poloniam in imperio Russiaco, a Pio VI, 2 Martii 1780 facta.

II. Utrum, attenta praefata instructione S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anni 1844, et extensione declarationis Benedictinae, a Pio VI, anno 1780 facta, matrimonia mixta, post decretum *Ne temere*, incipiendo a Paschate anni 1908, contracta coram ministro acatholico in imperio Russiaco pro validis habenda sint.

Die 8 Iulii 1908.

Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, ad supra relata dubia respondendum censuit:

Ad. I. *Negative.*

Ad. II. Provisum in primo.

Facta postmodum relatione SSmo. D. N. Pio PP. X, Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum approbare dignata est.

VINCENTIUS Card. Episc. Praenest, *Praefectus.*

L ✠ S.

B. POMILI, *Secretarius.*

Sacerdoti cui brachium dexterum amputatum fuit, facultas Missam celebrandi conceditur.

Die 22 Maii 1909.

SYNOPSIS DISPUTATIONIS. — Sacerdos Leonardus Penders, usque ad kalendas Aprilis huius anni in dioecesi Ruremondensi parochus, supplici libello nunc exponit, se paucis abhinc mensibus ita infeliciter iuxta cursum viae ferreae cecidisse, ut currus dexterum eius brachium contriverit : quod deinceps fere totum a chirurgis debuit amputari. Postquam convaleuit, fictitium brachium sibi comparavit, ita ut nunc omnino decenter in publicum procedere ac plura munia sacerdotalia obire possit in orphanotrophio, ad quod ab Episcopo fuit deputatus. Petit proinde ut, non obstante amputatione brachii, S. Sacrificium litare sibi liceret. Episcopus Ruremondensis, oratoris preces, viso testimonio sacrae Liturgiae lectoris in suo seminario, illum enixe commendare non dubitat. Testimonium autem dicti lectoris sacrae Liturgiae, circa modum quo orator Missam cele-

brare valet, sic se habet: "Brachium ficticiu ei fere nihil in actionibus auxilii affert, sed efficit ut decentius ad altare inconspectu populi prodire possit. Debet omnia facere mediante uno brachio sinistro; se signare, signare librum, cruces formare, extergere calicem, offerre et elevare hostiam et calicem, etc. Satis decenter et accurate tamen omnia peraguntur." Et proseguitur, exponens quo modo in singulis Missae caeremoniis se gerere posset.

Hisce praehabitis, ex officio advertitur in primis, translaticium esse in iure, ab altaris ministerio illos arcendos esse, qui tali corporis vitio laborant, ut absque irreverentia divinis, vel populi scandalo, in suscepto vel suscipiendo ordine haud valeant ministrare, uti constat ex *cap. 2, de clerico aegrotante*, et alio *cap. Exposuisti 6, de corpore vitiatis*, concinentibus *cap. 1 et 2* eiusdem tituli, et *can. 3, dist. 55*. Quibus iuris principiis adhaerens, haec S. C. in *Augustana* die 19 Decembris 1772, et in *Firmana* die 14 Iunii 1823, aliisque quampluribus resolutionibus, petitam dispensationis gratiam denegavit. In themate praeterea causae canonicae pro gratia exulare videntur, nempe necessitas aut evidens ecclesiae utilitas, de quibus nec verbum in oratoris precibus occurrit.

Ex adverso vero animadvertitur, quod licet indubii iuris sit, quod corporis vitio laborantes ab altaris ministerio arceri debeant, tamen Summus Pontifex, rationabilibus concurrentibus causis, dispensationem ab huiusmodi irregularitate concedere solet. Sic in *Geruntina*, 29 Aprilis 1788, solvit quemdam sacerdotem, qui universae laevae manus digitos in licita venatione perdidit; in *Patavina*, 18 Augusti 1827, quidam sacerdos, cui laeva manus ad carpum usque abscissa fuerat, dispensationem obtinuit; in *Bergomen.*, 28 Novembris 1852, preces sacerdotis, qui, securae mortis vitandae causa, brachii sinistri amputationem tulerat, dimissae fuerunt sequenti rescripto: "Dummodo celebret in oratorio privato, et, si Episcopo videatur, cum adstantia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis, facto verbo cum SSmo." Pariter in *Callien.*, 9 Septembris 1882, sacerdos, cuius laeva manus amputata fuerat, gratiam dispensationis consecutus est, sub conditione tamen adstantiae sacerdotis in Missae sacrificio; in *Barbastren.*, 12 Septembris 1868, Iosepho Salas, tertia dexteri brachii parte carenti, dispensatio ac rehabilitatio indultae sunt, iuxta votum Emi. Vicarii Urbis, ut nempe publice celebraret in sua paroecia, alibi vero, ubi notus non esset privatim.

In themate praeterea agitur de sacerdote promotu, qui citra omnem culpam, sed, miserrimi infortunii causa, incidit in irregularitatem. Accedit, quod deformitati ficticio brachio satis con-

sultum est : quod nullam irreverentiam vel populi admirationem ex Missae celebratione orituram testatur Episcopus cum liturgiae magistro.

RESOLUTIO.—Emi. Patres S. Congregationis Concilii, in plenario coetu diei 22 Maii 1909, respondendum censuerunt :

Dummodo celebret in oratorio privato, et, si ita Episcopo videretur, cum adsistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis, facto verbo cum Sanctissimo.

Facta autem relatione SSmo. Dno., die 23 Maii eiusdem anni Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum approbavit, et, iuxta eandem, dispensationem concedere dignata est.

L. ✠ S.

IULIUS GRAZIOLI, *Subsecretarius.*

CONGREGATION FOR RELIGIOUS COMMUNITIES.

Speciales restrictivae clausulae rescriptis saecularizationis religiosis concedendis adnectuntur.

Ex audientia SSmi., die 15 Iunii 1909.

Quum minoris esse soleat aedificationis, salvis extraordinariis nonnullis casibus, quod in officiis dioecesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo Ordine regulari vota solemniter professi, indultum saecularizationis sive perpetuae sive ad tempus obtinuerint, vel in Instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint; ne alii inde Religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra praetextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus saecularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, adnexae intenduntur, licet non expressae, sequentes clausulae, quarum dispensatio Sanctae Sedi reservatur :

Vetitis, absque novo et speciali Sanctae Sedis indulto :

1° quolibet officio, et quoad eos qui ad beneficia habilitati sunt, quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2° quolibet magisterio et officio in seminariis clericalibus maioribus et minoribus aliisque Institutis, in quibus clerici educantur, nec non in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica;

3° quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus;

4° officio Visitoris et Moderatoris domorum Religiosorum

utriusque sexus, etiamsi agatur de congregationibus mere diocesanis;

5° habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciae, vel Missionis, cui sacerdos vel clericus saecularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, adscriptus erat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, eodem die 15 Iunii 1909.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

INSTRUCTIO.

Circa Debita et Obligationes Oeconomicae a Religiosis Familiis Suscipienda.

Inter ea, quae religionis Familiis maius detrimentum afferunt, quaeque sicut earum tranquillitatem perturbant, ita bonam existimationem in discrimen vocant, praecipue est numeranda nimia facilitas, qua aliquando debita contrahuntur.

Saepe enim aes alienum inconsulto et intemperate suscipitur, sive ad excitandas domos, sive ad eas augendas et ampliandas, sive ad tyrones plus aequo recipiendos, sive ad manum apponendam operibus vel instituendae iuventutis, vel sublevandae miseriae.

Quae quidem omnia, licet vel in se, vel ratione praestituti finis, sint opera laude digna, quum tamen regulis christianae prudentiae et aequae administrationis non semper respondeant, ideoque apostolicarum praescriptionum verbis et spiritui contraria sint, Deo esse grata non possunt, nec proximo valent permansuram afferre utilitatem.

Quum autem in dies misere succrescat huiusmodi abusus, debita contrahendi absque prudentibus cautelis, et frequenter sine venia, sive Superioris generalis sive huius Apostolicae Sedis; attentis peculiaribus et extraordinariis sane circumstantiis, in quibus publicae et privatae res oeconomicae versantur; ne domus quaecumque religiosae, ex sua leviori agendi ratione, in aere alieno contrahendo damnum in posterum persentiant; sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, habitis suffragiis Emorum. Patrum Cardinalium huius sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito, die 30 Iulii 1909, post maturum examen, haec decernere, statuere et praescribere dignatus est, a singulis Ordinibus, congregationibus, institutis, utriusque sexus, sive votorum solemnium sive simplicium, a monasteriis, collegiis et domibus religiosis, sui quoque iuris, vel Ordinariis locorum subiectis, apprime servanda:

I. Moderatores, sive generales sive provinciales seu regionales sive locales nulla debita notabilia contrahant, nullasque notabiles obligationes oeconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere reddituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel aliter :

(a) absque praevio consensu Consilii generalis seu Definitorii si agatur de Curia generali, aut de domo vel domibus, immediate iurisdictioni seu directioni Curiae generalis subiectis ;

(b) vel absque praevio consensu Consilii seu Definitorii provincialis, et expressa licentia Moderatoris generalis, accedente voto deliberativo Consilii seu Definitorii generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a Superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis ;

(c) vel absque praevio consensu Consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo Superiore provinciali seu regionali positae, et expressa licentia Moderatoris generalis, eiusque Consilii seu Definitorii generalis. Quod si Ordo in varias congregationes seu familias, proprium Praesidem seu Moderatorem generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, huius Praesidis seu Moderatoris eiusque Consilii licentia necessaria omnino erit ;

(d) vel absque praevio consensu Concilii localis, si agatur de monasteriis vel domibus nulli Moderatori generali subiectis, accedente tamen licentia in scriptis Ordinarii loci, si monasteria seu domus huiusmodi ab Ordinarii iurisdictione vere exempta non sint.

II. In debitis vel in obligationibus oeconomicis contrahendis, habenda est notabilis quantitas, quae superat 500 libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel domibus singulis ; quae superat 1000 libellas, nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis ; quae superat 5000 libellas, si de Curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel Curia generalis debita vel obligationes contrahere intendat, quae valorem 10,000 libellarum excedant, praeter licentiam respectivi Consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare ; sed omnia et singula debita omnesque et singulae obligationes, quomodolibet contracta, semper coalescunt. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum extincta sint.

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad

contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes, valorem 10,000 libellarum excedentia, si domus, provincia vel Curia generalis oratrix in precibus reticeat alia debita vel alias obligationes, quibus forsitan adhuc gravatur.

V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliaque religiosae Familiae Consilia generalia, provincialia et localia non habeant, illa intra tres menses constituent ad hunc finem vigilandae administrationis oeconomicae. Monasteria autem seu domus, quae sint sui iuris, nec Consilium libera capituli localis electione constitutum habeant, illud pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quatuor in monasteriis vel domibus, quae saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, numquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero Consilii subscribantur tum a Moderatore tum a singulis consiliariis.

VII. Graviter oneratur Moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecumque, redditus, pecunias, titulos, donationes, elemosynas et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint Moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et adprobationi Consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicientia, pariter consiliariis examinanda tradantur.

VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaue foundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum, vel aliqua pars aedificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae, quia huiusmodi promissiones saepe non adimplentur, cum periculo gravis nocimenti materialis et moralis Religiosorum.

IX. Ut pecuniae, redditus alique proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum Consilii, toties quoties exquirendum, exhibitis praefato Consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investmenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investmenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

X. Quae de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsae

visitatione, necnon de recta administratione rerum temporalium praescribuntur in constitutionibus singularum Familiarum religiosarum, si severiori ratione, quam in singulis articulis praesentis Instructionis ordinentur, accurate servantur in iis, quae ipsi Instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria statuta ordinata non fuerit, omnia quamprimum ordinentur, prae oculis habitis quae in *Normis, cap. VI*, dicuntur, quaeque non solum sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in *nota in fine pag. 3* earundem *Normarum* posita, salvis semper praescriptionibus huius Instructionis.

XI. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodo-libet Missas adnexas habent, eorumque fructus vel redditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis cuiuscumque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniae pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaue de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum Moderatores tum consilarii.

XII. Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab apostolica Sede iamdudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumere quousque respectivae moniales vel sorores vivant; sub poenis a iure determinatis. Et Apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

XIII. Donationes, etiam titulo eleemosynae vel subsidii, non fiant, nisi iuxta condiciones a Sancta Sede praescriptas, et iuxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a Superioribus generalibus cum respectivis Consiliis legitime determinatam.

XIV. Omnia, quae in hac Instructione praescribuntur, non solum Ordines, congregationes et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt. Violatores autem earundem praescriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis, quae de iure communi vel iuxta praesentem Instructionem apostolicum beneplacitum requirunt, poenis ipso facto subiaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

L. ✠ S.

DUBIA.

De nullitate professionis solemnīs eiusque effectuum a nonnullis monialibus emissae, non praemisso triennio votorum simplicium ex ignorantia decreti “Perpensis.”

Per decretum sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium d. d. 3 Maii 1902, quod incipit *Perpensis*, iniunctum fuit monialibus cuiuscumque Ordinis, ut, peracta probatione et novitiatu, vota simplicia emittant, nec ad solemnem professionem admitti possint, nisi expleto triennio a die, qua vota simplicia emiserunt; ita nempe “ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret, et nullius effectus (Decretum *Perpensis*, II).”

Cum autem huiusmodi decretum in notitiam aliquot monasteriorum vel monialium nonnisi post aliquod temporis spatium venerit, admissae fuerunt ad professionem votorum solemniū nonnullae novitiae immediate post novitiatum, ex decreti ignorantia. Hinc quaeritur:

I. An professio, quam moniales praedictae emiserunt post diē 3 Maii 1902, tamquam solemnem, non praemisso triennio votorum simplicium ex ignorantia decreti *Perpensis*, haberi debeat tamquam nulla? Et quatenus *Affirmative*:

II. An professio, in iis circumstantiis emissā, debeat saltem haberi valida, uti professio simplex?

III. An renuntiatio, donationes etc. a moniali factae occasione talis invalidae professionis, habendae sint tamquam nullae, ac proinde res donatae ab illa legitime repeti possint cum dote?

Emi. Patres sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu habito ad Vaticanum die 30 Iulii 1909, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative*.

Ad II. *Negative*.

Ad III. *Affirmative*.

Quibus omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papae decimo per infrascriptum Secretarium sacrae Congregationis de Religiosis sequenti die relatis, Sanctitas Sua responsiones Emorum. Patrum approbare et confirmare dignata est.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

L. ✠ S.

DECRETUM

**De quibusdam postulantis in religiosas familias non
admittendis.**

Ex audientia SSmi., die 7 Septembris 1909.

Ecclesia Christi, licet spirituali gaudio afficiatur, quum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita, ingressum in novitiatum et professionem votorum ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia in religiosis Domibus servanda esse admittendos, qui divinae vocationis argumenta praeberent. Ipsum quoque probationis tempus, quod votorum emissionem praecedit, ad hoc instituit, ut animi non solum religiosis imbuerentur virtutibus, sed etiam a Superioribus rite explorarentur.

Debilitata tamen in regionibus non paucis vitae christianae disciplina, Apostolica Sedes ingressum in religiosas Familias, examen tyronum et experimentum vitae religiosae, paullatim, progressu temporis, severiori quadam ratione ordinavit, editis ad rem legibus, quae spem perseverantiae et prosperi exitus firmiorem redderent.

Quum vero compertum sit, longe melius esse, ut aliquammodo claudantur ianuae ingredientibus, ne postea late reserentur exeuntibus, sanctissimus Dominus noster Pius Papa X committere dignatus est huic sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, ut severiori huiusmodi Ecclesiae disciplinae insistens in admittendis alumnis ad novitiatum et vota, haec statueret, ab omnibus religiosis virorum Familiis, graviter onerata Superiorum conscientia, fideliter in posterum servanda, quae sequuntur :

Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis, excipiantur, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum postulantes :

1.^o qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint ;

2.^o qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint ;

3.^o qui, sive ut professi sive ut novitii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint ; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint ;

4.^o qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam alicuius Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eandem vel in aliam eiusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE PROPAGATION OF THE FAITH.

DECRETUM

Quo erigitur Praefectura apostolica sub titulo magni Namaqualand.

In generalibus comitiis huius S. Congregationis de Propaganda Fide, habitis die 28 superioris mensis Iunii, examini subiecta fuit postulatio Rmi. Vicarii apostolici Fluminis Orange in Africa australi, ut territorium dictum *Grand Namaqualand*, ditioni Imperii Germanici subiectum et suo Vicariatu adnexum, ab hoc seiungeretur et in independentem Praefecturam apostolicam erigeretur. Confinia autem praefati territorii haec sunt, nempe : ad Septentrionem gradus 23 latitudinis australis, ea lege ut civitas *Rehoboth* cum suo territorio ad novam pertineat Missionem ; ad Orientem gradus 20 longitudinis orientalis *Greenwich* ; ad Occidentem Oceanus ; et ad Meridiem flumen *Orange*. Porro Emi. Patres, re mature perpensa, censuerunt supplicandum Summo Pontifici, ut praefata regio, limitibus supra descriptis, in Praefecturam apostolica sub titulo Magni Namaqualand erigatur, curisque missionariorum Instituti Oblatorum S. Francisci Salesii concredita servetur.

Quam Emorum. Patrum sententiam per infrascriptum huius S. Congregationis Secretarium, in audientia hesterna die habita, SSmo. D. N. Pio div. Prov. PP. X relatam, Sanctitas Sua benigne adprobare ratamque habere dignata est, praesensque ad id S. Congregationis decretum confici mandavit.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 7 Iulii 1909.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius*.

DECRETUM

Quo Vicariatu apostolico Fluminis Orange adduntur quatuor districtus.

Cum in generalibus comitiis huius S. Congregationis de Propaganda Fide, habitis die 28 superioris mensis Iunii Emi. Patres

statuissent, regionem dictam *Grand Namaqualand* separandam esse a Vicariatu apostolico Fluminis Orange et in Praefecturam apostolicam independentem erigendam; simul censuerunt, addendos esse praefato Vicariatui Fluminis Orange sequentes quatuor Districtus: nempe Kenhardt, Van Rhyns, Dorp et Fraserburg, qui pertinent ad Vicariatum apostolicum Districtus occidentalis Promontorii Bonae Spei, et Gordonia, qui pertinet ad Vicariatum apostolicum de Kimberley in Orangia.

Quam Emorum. Patrum sententiam per infrascriptum huius S. Congregationis Secretarium, in audientia hesterni diei, SSmo. D. N. Pio div. Prov. PP. X relata, Sanctitas Sua in omnibus adprobare ratamque habere dignata est: praesensque ad id sacrae Congregationis decretum confici mandavit.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 7 Iulii 1909.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.
ALOISIUS VECCIA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

CONGREGATION OF THE INDEX.

Varia damnantur opera.

Feria II, die 5 Iulii 1909.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 5 Iulii 1909, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

JOSEPH TURMEL, *Histoire du dogme de la papauté; des origines à la fin du IV^e siècle*. Paris, Alphonse Picard et Fils, 1908.

— *Histoire du dogme du péché originel*. Mâcon, Protat frères, 1900.

— *L'Eschatologie à la fin du IV^e siècle*. Ibid., 1900.

GUILLAUME HERZOG, *La Sainte Vierge dans l'histoire*. Paris, Emile Nourry, 1908.

ROMOLO MURRI, *Battaglie d'oggi*. 4 vol., Roma, Società I. C. di cultura, 1903-4.

— *Democrazia e cristianesimo; i principii comuni* (Programma della Società nazionale di cultura). Roma Società nazionale di cultura, 1906.

— *La vita religiosa nel cristianesimo* ; discorsi. Ibid., 1907.

— *La filosofia nuova e l'enciclica contro il modernismo*. Ibid., 1908.

SOSTENE GELLI, *Psicologia della religione ; note ed appunti*. Roma, Società nazionale di cultura, 1905.

Filosofia della fede ; Appunti. Stampato in Roma, Tip. dell'Unione Cooperativa Editrice, s. a.

FORTUNATO RUSSO, *La Curia Romana nella sua organizzazione e nel suo completo funzionamento ; diritto e psicologia*. 2^a ediz. Palermo, Tip. "Gazzetta Commerciale," 1908.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

TELESPHORUS SMYTH-VAUDRY Decreto S. Congregationis, edito die 4 Ianuarii 1909, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit. Etiam auctores librorum sub pseudonymis LEFRANC et JEHAN DE BONNEFOY evulgatorum et ab hac S. Congregatione decretis dierum 11 Decemb. 1906 et 4 Ianuarii 1909 prohibitorum, his decretis laudabiliter se subiecerunt.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 6 Iulii 1909.

FRANCISCUS Card. SEGNA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

THOMAS ESSER, O. P., *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

I.

De solemniis vel triduanis vel octiduanis, in beatificatione vel canonizatione celebrandis.

I. In solemniis, sive triduanis pro recenter Beatificatis, sive octiduanis pro recenter Canonizatis, quae celebrari permittuntur, Missae omnes, sive solemnes sive privatae, inter votivas recensendae sunt. Ob peculiarem vero celebritatem Sanctitas Sua indulget, ut omnes ac singulae dicantur cum *Gloria* et *Credo* ; semper autem habebunt Evangelium S. Ioannis in fine, iuxta Rubricas. Missa tamen sollemnis dicatur cum unica Oratione : reliquae vero privatae cum omnibus Commemorationibus occurrentibus, sed Collectis exclusis.

II. Missam solemnem impediunt tantum duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae

et octavae privilegiatae, quae praefata duplicia excludunt. Missas vero privatas impediunt etiam duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae. In his autem casibus impedi-
menti, Missae dicendae sunt de occurrente festo vel Dominica aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat. In duplicibus tamen primae classis addatur Orationi diei unica Commemoratio de Beato vel Sancto, sub unica conclusione : in duplicibus autem secundae classis Orationi de die, sub sua distincta conclusione, addantur in privatis Missis, praeter Oratione de Beato vel Sancto, omnes quas ritus exigit Commemorationes occurrentes, Collectis, ut supra, exclusis. Similiter, in reliquis privilegiatis diebus Missae sint iuxta ritum diei, Commemoratione de Beato vel Sancto semper suo loco addita. Quod Praefationem spectat, serventur Rubricae.

III. In ecclesia, ubi adest onus celebrandi Missam conventualem, vel parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi Missa de occurrente Officio nunquam omittenda erit.

IV. Si Pontificalia Missarum ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed hora Nona : quae tamen hora minor de Beato vel Sancto semper erit ; substitui nihilominus eidem horae de die pro satisfactione non poterit.

V. Quamvis Missae omnes, vel privatae tantum, impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de Beato vel Sancto solemniore facere licebit, absque ulla Commemoratione : quae tamen cum votivi rationem induant, pro satisfactione inservire non poterunt.

VI. Aliae functiones ecclesiasticae, praeter recensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, ut homilia inter Missarum solemnia, vel vespere oratio panegyrica analogae ad Beatum vel Sanctum fundendae preces, Litaniae lauretanae, et maxime solemnis cum Venerabil benedictio. Postremo vero tridui vel octidui die, hymnus *Te Deum* cum *Tantum ergo* et Orationibus de SSmo. Sacramento ac pro gratiarum actione, sub unica conclusione, solemniter decantandus nunquam omittetur.

VII. Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Beatos vel Sanctos impensius fovendam, Sanctitas Sua, thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui, vere poenitentes, confessi ac sacra synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta tri-duana vel octiduana solemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem

quoque animabus igne piaculari detentis, benigne concedit : iis vero, qui, corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam applicabilem pari modo animabus in Purgatorio existentibus, indulget.

Ita reperitur in actis et regestis Secretariae sacrorum Rituum Congregationis. Die 16 Decembris 1902.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

BERGOMEN.

De reliquiis S. Crucis et Sanctorum, de "Credo" in Missa non expositis reliquiis insignibus, et de fundo colorato albarum.

Rmus. Dnus. Iacobus Maria Radini Tedeschi, Episcopus Bergomensis quae sequuntur dubia huius sacrae Congregationis iudicio reverenter subiecit, videlicet :

I. An reliquia sacrosanctae Crucis D. N. I. C. et reliquiae Sanctorum in eadem theca includi atque exponi possint super parvo throno corona in parte superiore ornato ?

II. An recitari debeat *Credo* in Missa, quando reliquiae insignes Sanctorum, de quibus festum agitur, in Ecclesia non expnuntur ?

III. An toleranda sit consuetudo utendi fundis rubri vel violacei coloris in fimbriis et manicis albarum ?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito suffragio Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit :

Ad. I. *Negative* et reliquia sanctae Crucis includatur et expnatur in theca separata.

Ad. II. *Affirmative*.

Ad. III. Detur decretum n. 4048 *Minoricen.*, 24 Novembris 1899, ad VII.

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Decretum de usu linguae slavonicae in sacra liturgia.

Ut infra relatum decretum SS. Rituum Congregationis *de usu linguae slavonicae in sacra liturgia* omnibus pateat, atque ab omnibus, ad quos spectat, praesertim ecclesiasticis utriusque cleri

viris, quocumque sublato praetextu, sancte religioseque sub gravi obedientiae vinculo observetur, Sacra Congregatio Consistorialis de speciali mandato SSmi. D. N. Pii Papae X illud inserendum iubet in *Commentario Officiali de Apostolicae Sedis actis*.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 22 Iulii 1909.

CAROLUS PEROSI, *Substitutus*.

L. ✠ S.

Acres de liturgico palaeoslavi seu glagolitici sermonis usu controversias, quae diu iam in provinciis Goritiensi, Iadrensi et Zagrabienſi dioeceses plures commoverunt, compositas atque adeo sublatas omnino esse oportuit, post ea quae sacrum hoc Consilium itemque illud extraordinariis Ecclesiae negotiis praepositum, Pontificis Maximi nomine et auctoritate, decreverat. Sed tamen nodum ipsas conquievisse dolendum est; siquidem hic sermo etiamnunc multifariam contra praescriptum usurpatur in perfuntione sacrorum; id quod non modo magnam affert et admirationem et offensionem pietati publicae, verum, cum gravi etiam charitatis pacisque christianae detrimento, Christifideles fidelibus, vel intra domesticos parietes, hostiles facit.

Tanta obtemperationis debitae oblivio quanta sit aegritudini SSmo. D. N. Pio PP. X, facile aestimari potest; isque, apostolici officii sui esse intelligens, huiusmodi controversiis imponere finem, nuper huic Sacrae Congregationi mandavit, ut, datis ad Rmos. Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios ceteros provinciarum memoratarum litteris, quaecumque decreto diei 5 Augusti 1898, aliisque deinceps praescripta fuissent, omnia, nonnullis opportune mutatis, revocaret, eaque sancte inviolateque, onerata ipsorum Antistitum conscientia, observari iuberet.

Primum igitur, quum eo ipso decreto cautum fuerit, ut Ordinarii singuli indicem conficerent atque exhiberent omnium suae dioecesis ecclesiarum, quas certum esset privilegio linguae glagoliticae in praesens uti; quumque ei praescriptioni satisfactum non sit, quippe talis index, licet studiose expetitus, desideratur tamen adhuc, eundem sacra haec Congregatio praecipit ut Ordinarii omnes intra mensem Iulium anni proximi Apostolicae Sedi exhibeant, his quidem legibus confectum:

ut, eae dumtaxat Ecclesiae, tamquam hoc privilegio auctae, notentur, in quibus non coniectura aliqua sed certis monumentis ac testibus constiterit, linguam glagolicam ab anno 1868 ad praesens tempus sine intermissione in sacris peragendis adhibitam esse;

ut, eiusdem privilegii nomine, nullae istis adscribantur

Ecclesiae, ubi in solemnibus Missis latina lingua celebrandis Epistolam et Evangelium cantari glagolitice mos fuerit, eoque minus ubi ista sermone croatico vulgari canantur.

Praeterea sacra haec Congregatio, quae infra scripta sunt, approbante item Summo Pontifice, religiosissime observanda edicit :

I. Quandoquidem Apostolica Sedes de usu glagoliticae linguae liturgico opportunum factu censuit, certis terminare finibus quod olim indulserat, usus huiusmodi considerari et haberi ab omnibus debet ut privilegium *locale*, quibusdam adhaerens Ecclesiis, minime vero ut *personale*, quod ad nonnullos sacerdotes pertineat. Quamobrem sacerdotes, qui palaeoslavicae dictionis periti sint, eam adhibere non poterunt, Sacrum facientes in Ecclesia, quae hoc privilegio careat.

II. Semel confecto et publicato ecclesiarum privilegiatarum indice, nulli prorsus licebit in aliis Ecclesiis, quacumque causa aut praetextu, linguam palaeoslavica in sacram liturgiam inducere. Si quis vero, saecularis aut regularis sacerdos, secus fecerit, aut id attentaverit, ipso facto a celebratione Missae ceterorumque sacrorum suspensus maneat, donec ab Apostolica Sede veniam impetret.

III. In ecclesiis, quae privilegio fruuntur, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemnī ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione, salvis tamen praescriptis ad § XI huius decreti. Libri autem ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et approbati : alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi characterē, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubi cumque populus sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius, fidelibus exclusive permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagolicorum, exarati.

V. In praefatis ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et approbatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante ordinationem sacram,

designare clericos, qui latinis vel qui palaeoslavici ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione nisi aliud exigat ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica: attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Sacerdos vero, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscriptus, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit, non solemnem tantummodo, sed privatam etiam Missam celebrare itemque Horas canere tenebitur latina lingua; relicta illi solum facultate Officium privatim persolvendi glagolitice.

IX. Licebit pariter sacerdotibus, latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate. Sacerdotes vero, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem hoc idiomate ne privatim quidem Sacrum facere poterunt in ecclesiis, ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorundem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit. In Missis autem parochialibus fas erit post Evangelii recitationem illud perlegere vulgari idiomate, ad pastorem fidelium instructionem.

XI. In ipsis paroeciis, ubi viget linguae palaeoslavicae privilegium, si quis fidelis ostenderit se cupere aut velle, ut Baptismus vel Sacramenta cetera, Matrimonio non excepto, sibi suisve administrentur secundum Rituale romanum latinum, et quidem publice, eademque lingua habeantur rituales preces in sepultura mortuorum, huic desiderio aut voluntati districte prohibentur sacerdotes ullo pacto obsistere.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen generalibus decretis huius sacrae Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et hymnorum, quibus populus indulget in propria ecclesia: ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesim vel paroeciam, in nullam offendant precationum aut canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, *ad usum tantummodo privatim christifidelium*, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae ex Secretaria sacrorum Rituum Congregationis, die 18 Decembris 1906.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Praefectus*.
D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

URBIS ET ORBIS.

Officium, Missa ac elogium S. Paulini,
Episcopi nolani confessoris, pro Ecclesia universa.

IN BREVIARIO ROMANO

DIE 22 IUNII.

IN FESTO S. PAULINI EPISCOPI CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de communi Confessoris Pontificis, praeter sequentia :

ORATIO.

Deus, qui omnia pro te in hoc saeculo relinquentibus, centuplum in futuro et vitam aeternam promisisti : concede propitius ; ut, Sancti Pontificis Paulini vestigiis inhaerentes, valeamus terrena despiciere, et sola coelestia desiderare : Qui vivis et regnas.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

(*Ex Brevi Pii Papae X, diei 18 Sept. 1908.*)

Lectio IV.

Pontius Meropius Anicius Paulinus, anno reparaetae salutis trecentesimo quinquagesimo tertio, a clarissima civium romanorum familia, Burdigalae in Aquitania natus, acri fuit ingenio ac moribus suavis. Ausonio magistro, eloquentiae ac poeseos laude excelluit. Praenobilis ac ditissimus, honorum cursum ingressus, florenti aetate, senatoria dignitate potitus est. Dein Italiam petiit consul, et Campaniam provinciam nactus, sedem Nolae statuit. Hic divino lumine tactus, ob coelestia signa, quae Felicis presbyteri martyris sepulchrum illustrabant, verae Christi fidei, quam iam animo cogitabat, impensius adhaerere coepit. Fasces igitur ac securim nulla caede maculatam deposuit, et reversus in Galliam, variis aerumnis ac magnis terrarumque laboribus iactatus, oculo capitur, sed a Beato Martino

Turonensi Episcopo sanitati restitutus, lustralibus baptismatis aquis a Beato Delphino Burdigalensi Antistite abluitur.

Lectio V.

Divitiis quibus abundabat spretis, bona vendidit pretiumque pauperibus distribuit, et uxorem linquens Therasiam, mutata patria, et ruptis vinculis carnis in Hispaniam secessit, venerandam sequutus, ac toto sibi pretiosiore orbe, Christi pauperiem. Barcinone dum Sacris devote adstaret, solempni die dominicae Nativitatis, repentino admiratae plebis tumultu correptus, ac frustra reluctans, a Lampidio Episcopo presbyter ordinatur. Inde redit in Italiam, et Nolae, quo Sancti Felicis religione ductus fuerat, penes illius sepulchrum monasterium condidit, et adscitis sociis, coenobiticam vitam aggreditur. Hic vir iam senatoria et consulari dignitate praeclarus, stultitiam crucis amplexus, toto fere orbe admirante, vili indutus tunica, vigiliis inter ac ieiunia, in assidua coelestium rerum contemplatione dies noctesque defixus manebat. Sed, percrecente sanctimoniae fama, ad Nolanum Episcopatum evehitur, atque eodem in pastoralis munere obeundo, miranda pietatis, sapientiae, ac potissimum charitatis exempla reliquit.

Lectio VI.

Haec inter, sapientia referta, de religione ac fide pertractantia, ediderat scripta, saepe etiam, numeris indulgens, concinnis carminibus sanctorum acta concelebraverat, summam christiani poetae famam adeptus. Quotquot sanctitate ac doctrina praestantissimi viri eo tempore erant, tot sibi amicitia atque admiratione devinxit. Quamplurimi ad eum, ceu ad christianae perfectionis magistrum, undecumque confluebant. Vastata a Gothis Campania, facultatem omnem, ne relictis quidem sibi rebus ad vitam necessariis, in alendos pauperes et captivos redimendos contulit. Postea vero Vandalis easdem regiones infestantibus, cum ab eo posceret vidua ut filium sibi redimeret ab hostibus captum, consumptis bonis omnibus in officio pietatis, se ipsum pro illo tradit in servitutem, atque in vincula coniectus in Africam rapitur. Tandem, non sine praesenti Dei ope, libertate donatus et Nolam reversus, dilectum ovile bonus pastor revisit : ibique annum agens septuagesimum octavum aetatis suae, placidissimo exitu obdormivit in Domino. Corpus, prope Sancti Felicis sepulchrum conditum, postea, Longobardorum tempore, Beneventum, atque, Othone tertio Imperatore, Romam ad Basilicam Sancti Bartholomaei ad insulam Tiberinam translatum fuit. Pius vero Papa decimus iussit sacras Paulini exuvias

Nolae restitui, et festum ipsius ad ritum duplicem pro universa Ecclesia evexit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam (*cap. 12*).

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia Sancti Paulini Episcopi.

(*De Gazophylacio.*)

Potuerat, dilectissimi, Dominus omnipotens aequè universos divites facere, ut nemo indigeret altero; sed infinitae bonitatis consilio sic paravit misericors et miserator Dominus ut tuam in illis mentem probet. Fecit miserum, ut agnosceret misericordem: fecit inopem, ut exerceret opulentum. Materia divitiarum tibi est fraterna paupertas, si intelligas super egenum et pauperem, nec tibi tantum habeas quod accepisti, quia ideo et illius partem tibi in hoc saeculo contulit Deus, ut tibi deberet, quod de suis donis tuo voluntario affectu indigentibus obtulisses, ac te vicissim in aeterna die de illius parte ditaret. Per ipsos enim nunc accipit Christus, et tunc pro ipsis rependet.

Lectio VIII.

Refice esurientem animam, et non timebis in die mala ab ira superventura. Beatus enim (inquit), qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Operare igitur et excole hanc regionem terrae tuae, frater, ut germinet tibi frugem fertilem, plenam adipe frumenti, magno cum foenore centesimum tibi fructum multiplicati seminis afferentem. In huius vel possessionis vel negotiationis appetitum et studium sancta et salutaris est avaritia; nam talis cupiditas, quae regnum coeleste meretur et bonum perenne desiderat, radix bonorum est. Tales igitur divitias concupiscite, et huiusmodi possidete patrimonium, quod in centenos fructus vobis creditor pensitet, ut vestros quoque vobiscum bonis perennibus augeatis haeredes. Possessio enim haec vere magna et pretiosa est, quae possessorem suum non cumulo saeculari onerat, sed redditu ditat aeterno.

Lectio IX.

Verum, dilectissimi, non solum ut bona aeterna quaeratis, sed ut mala innumera vitare mereamini, praesenti sollicitudine et sedula operatione iustitiae providete. Magno enim adiutorio

atque praesidio nobis opus est, et multarum atque indeficientium orationum patrociniis indigemus. Adversarius enim noster non quiescit, et in nostrum pervigil hostis interitum obsidet omnes vias nostras. Multae praeterea nobis in hoc saeculo cruces, innumera discrimina, morborum laves, febrium ignes et dolorum tela grassantur in animas, cupiditatum faces accenduntur, ubique praetenti latent laquei, undique stricti horrent gladii, inter insidias et pugnas vita transigitur, et per ignes doloso cineri suppositos ambulamus. Igitur, priusquam in aliquam tantarum aegritudinum labem casu vel merito actus incurras, festina medico susceptus et carus fieri, ut in tempore necessitatis paratum habeas remedium salutis. Aliud est, quando tu solus oras pro te, et aliud quando multitudo pro te apud Deum trepidat.

IN MISSALI ROMANO.

Missa Sacerdotes, ut in Missali romano, cum Epistola et Evangelio propriis (22 Iunii), et cum Orationibus sequentibus:

ORATIO.

Deus, qui omnia pro te in hoc saeculo relinquentibus, centuplum in futuro et vitam aeternam promisisti: concede propitius: ut sancti Pontificis Paulini vestigiis inhaerentes, valeamus terrena despiciere, et sola coelestia desiderare: Qui vivis et regnas.

SECRETA.

Da nobis, Domine, perfectae charitatis sacrificium, exemplo sancti Pontificis Paulini, cum altaris oblatione coniungere: et beneficentiae studio sempiternam misericordiam promereri. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO.

Tribue nobis, per haec Sancta, Domine, illum pietatis et humilitatis affectum, quem ex hoc divino fonte hausit sanctus Pontifex tuus Paulinus: et ipsius intercessione, in omnes, qui te deprecantur, gratiae tuae divitias benignus effunde. Per Dominum.

IN MARTYROLOGIO ROMANO.

Die 22 Iunii.

Apud Nolam, Campaniae urbem, natalis beati Paulini Episcopis et confessoris, qui ex nobilissimo et opulentissimo factus est pro Christo pauper et humilis, et quod supererat, seipsum, pro redimendo viduae filio, quem Vandali, Campania devastata, captivum in Africam abduxerant, in servitutem dedit. Claruit

autem, non solum eruditione et copiosa vitae sanctitate, sed etiam potentia adversus daemones: cuius praeclaras laudes sancti Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius scriptis suis celebrarunt. *Eius corpus Beneventum, inde Romam translatum, iussu Pii Papae decimi Nolae restitutum fuit.*

DECRETUM.

SSmus. Dnus. noster Pius Papa X, et sacrorum Rituum Congregationis consulto, ac referente infrascripto Cardinali eidem sacro Coetui Praefecto, suprascriptum Officium itemque Orationes proprias, Missae de S. Paulino Episcopo confessore inserendas, necnon verba emendanda in elogio Martyrologii romani, iuxta litteras apostolicas in forma Brevis datas, sub die 18 Septembris anno superiore, in posterum universim adhiberi mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Iunii 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

De Missa in honorem B. M. V. de Lourdes; de oratione S. Doctoris Episcopi, concurrentibus in vespers duobus festis Doctorum; de responsoriis 1ⁱ nocturni Dominicae impeditis; deque Protonotario apostolico in vespers modo Pontificali celebrante.

Onesimus Machez, ordinator kalendarii dioecesani, et magister caeremoniarum ecclesiae cathedralis Atrebatensis, a sacra Rituum Congregatione, de licentia sui Episcopi, insequentium dubiorum elucidationem humillime postulavit, nimirum:

I. Sacerdos, qui, voto fidelium aut propriae devotioni satisfactorius, celebrat Missam in honorem B. M. V. Immaculae de *Lourdes*, potestne, diebus non impeditis, secluso indulto apostolico, dicere more votivo Missam propriam Apparitionis (11 Februarii)? — Et quatenus *negative*, debetne sumere Missam festi Conceptionis Immaculae (8 Decembris)?

II. Quando, propter translationem, concurrunt in Vespers duo festa Doctorum Ecclesiae, quorum eadem est Oratio *Deus, qui populo tuo*, numquid, si fiat commemoratio sancti Doctoris Episcopi, potius eligenda est Oratio *Exaudi* de Comuni confessorum Pontificum, quae recitatur in festis SS. Leonis, Athanasii ac Basilii magni?

III. Iuxta rubricas generales Breviarii, tit. XXVII, n. 7, responsoria primi nocturni Dominicae, in qua primo ponuntur, si in Dominica propter festum impediuntur, alia die, in Officio

feriali, ante alia responsoria recitanda sunt. Cum autem nonnulla initia habeant eadem responsoria, quod evenit exempli gratia pro quatuor libris Regum et duobus Machabaeorum, debetne rubrica sic intelligi, ut quoties reponitur initium uniuscuiusque libri, toties etiam iteranda sint responsoria primi nocturni, non obstante in casu verborum uniformitate?

IV. Protonotarius apostolicus *ad instar* celebrans in Pontificalibus, et Caeremonialis Episcoporum praescriptionibus inhaerere cupiens, 1° debetne in Vesperis albam induere, more Episcoporum, quamvis associatus a presbyteris, non dalmaticas, sed pluvialia gerentibus? 2° debetne post psalmos eiusdem Officii capitulum ipse cantare? 3° similiter in Vesperis, post thurificationem altaris, debetne in cornu epistolae mitram assumens *per brevior* ad sedem accedere; vel, nudo capite, in medium altaris reversus, descendere, et post reverentiam in plano mitram accipiens, repetere viam per quam eo venerat?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad. I. Quoad primam partem, *affirmative*; et quoad secundam, provisum in prima.

Ad. II. *Affirmative*,

Ad. III. *Negative*, et sufficit ut impedita semel reponantur infra eam hebdomadam, in qua primum de feria fieri contigerit, iuxta rubricas Breviarii, tit. XXVII, n. 7.

Ad. IV. Quoad 1^{um} induat rochetum, amictum, crucem pectoralem et pluviale. Quoad 2^{um} *affirmative*. Quoad 3^{um} ad primam partem *negative*, et ad secundam *affirmative*, iuxta Motu proprio SSmi. Dni. nostri Pii Papae X *Inter multiplices*, 21 Februarii 1905, III, 48.

Atque ita rescripsit, die 25 Iunii 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Rubrica Addenda in Missali Romano.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.

Si hac Dominica occurrat festum nobilius, eo anno festum SSmi. Nominis Mariae celebretur die duodecima Septembris, tamquam in sede propria: sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilius, festum SSmi. Nominis Mariae transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas.

URBIS ET ORBIS.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infra-scripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptam Rubricam inserendam Missali romano benigne approbare dignatus est. Die 14 Iulii 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

THE BIBLICAL COMMISSION.

De charactere historico trium priorum capitum Geneseos.

I. Utrum varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur?

Resp. *Negative*.

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum veteris tum novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab isaëlitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?

Resp. *Negative* utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt; uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam; divini praecepti, diaboli sub serpentis specie suasore, trans-

gressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio?

Resp. *Negative.*

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam?

Resp. *Affirmative.*

V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere nunquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice, usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere?

Resp. *Negative.*

VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumden capitum interpretatio allegorica et prophetica, praefulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit?

Resp. *Affirmative.*

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere; sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione admissim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas?

Resp. *Negative.*

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit *Yōm* (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque huiusmodi questione libere inter exegetas disceptare liceat?

Resp. *Affirmative.*

Die autem 30 Iunii anni 1909, in audientia ambobus Rmis. Consultoribus ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 30 Iunii 1909.

L. ✠ S.

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS IANSSENS, O. S. B.

APOSTOLIC LETTER.

**De Primo Ordine Sancti Francisci Nonnulla in Perpetuum
Statuuntur.**

PIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Septimo iam pleno saeculo, postquam Ordinis Franciscalis initia feliciter constituta sunt, iure quidem, quotquot Franciscum auctorem suum et parentem agnoscunt, laetabile factum celebrant, grataeque pietatis significatione multiplici memoriam viri sanctissimi et immortalia eius in commune beneficia gestiunt recolere. Sed quamquam praecipua quaedam est ratio, cur id sollemne ante alios agant Minoritae; eiusdem tamen sollemnitate laetitiaeque in partem omnes venire decet, quicumque Franciscana Instituta pro merito suspiciunt, maximeque decet hanc Apostolicam Sedem; cuius cum semper singulari favore et gratia, tum magna existimatione et iudicio ipsa illa Instituta floruerunt. Innumerabilia paene, eaque praeclara exstant huius rei in actis Decessorum Nostrorum monumenta. Principio Gregorius IX, qui et Seraphici Patriarchae studiose amicitiam coluerat, et, cardinalis, legitimum Franciscalium patronum primus egerat: "Sancta, inquit, plantatio Fratrum Minorum Ordinis sub beato Francisco bonae memoriae incepit, et mirabiliter profecit, per gratiam Iesu Christi flores sanctae conversationis longe lateque proferens, et odores."* Isque, cum gravi sollicitudinum et curarum mole premeretur, ita ad alumnos Francisci in generalem coetum congregatos scribens, declaravit quam patrocínio beati Patris, quamque ipsius filiorum precibus confideret: "Inter pressuras innumeras et angustias infinitas, quas plus ferre possumus, quam referre, consolationis et gaudii materiam resumentes, gratias et laudes, quas possumus, referimus Redemptori qui beatum Franciscum, Patrem Nostrum et vestrum, forte autem magis Nostrum, quam omnium vestrum, adhuc in carne viventem insignibus praeveniens muneribus gratiarum, tanta nunc eum cum ipso regnantem clarificat gloria, . . . ut Nos, in eiusdem Sancti magis ac magis pio amore

* Litt. *Resolentes*, die 29 Apr. 1228.

succensi, totis affectibus in ipsius laudibus delectemur; sperantes, ut quos in saeculo extra saeculum vivens tota mente dilexit, et Nos nunc clarius amplexatur, quo illum, qui est vera charitas, vicinius intuetur, pro Nobis intercedere non desistat; et vos, quos idem in Christo regenerans in abundantia divitiarum altissimae paupertatis reliquit haeredes, gerentes in intimis visceribus caritatis ad profectum Ordinis vestri adspiremus ardentem, proposita Nobis spe, quod vestrarum orationum suffragiis, nostrarum tolerantiae passionum nobis provenient in salutem." *

Idem autem Pontifex, in commendanda Episcopis familia Franciscalium (id quod Honorius III, vivo Francisco, iam fecerat), perhonorificis his verbis usus est: "Quoniam abundavit iniquitas et refriguit caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Minorum Dominus suscitavit, qui non quae sua sunt, sed quae sunt Christi, quaerentes, tam contra profligandas haereses, quam contra pestes alias mortiferas exstirpandas, se dedicarunt evangelizationi verbi Dei in abiectiorem voluntariae paupertatis." †

Cum Gregorio plane concinit Nicolaus III: "Haec est Minorum Fratrum mitis et docilis in paupertate et humilitate per alium Christi confessorem Franciscum radicata Religio, qui, ex illo vero semine germinans, germen illud per Regulam sparsit in filios, quos sibi et Deo per suum ministerium in observantia evangelii generavit. Isti sunt filii, qui, docente Iacob, Verbum aeternum Dei Filium, insitum humanae naturae in horto virginalis uteri, potens salvare animas in mansuetudine susceperunt. Hi sunt illius sanctae Regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiae Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata Religio, quae descendens a Patre luminum per eius Filium exemplariter, et verbaliter Apostolis tradita et demum per Spiritum Sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Haec est, cui, attestante Paulo, nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus passionis suae stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis suae signis notabiliter insigniri." ‡

Item Clemens V, qui locum illi Eccli. XXIV, 42, *Exivi de paradiso, dixi: rigabo hortum plantationum* sic ad praeconium Seraphici Ordinis accommodat: "Hic hortus siquidem est Fratrum Minorum sancta Religio, quae muris regularis observantiae

* Litt. *Mirificans*, die 16 Maii 1230.

† Litt. *Quoniam*, die 6 Apr. 1237.

‡ Litt. *Exiit*, die 14 Aug. 1279.

firmiter undique circumclusa intra se, solo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius mortificantis poenitentiae myrrham metit cum aromatibus, quae suavitate mira universis odorem attrahentis sanctimoniae circumfundunt. Haec est illa caelestis vitae forma et regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius, sanctus Franciscus ac servandam a suis filiis verbo docuit pariter et exemplo." *

Ita etiam hunc Ordinem effert Leo X: "Haec est sacra illa Minorum Fratrum Religio, quae, virentibus caeremoniarum foliis, per viros apostolicos, tamquam per palmites extensos a mare usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, vino sapientiae et scientiae irrigavit montes, et implevit terram. Haec est Religio sancta et immaculata, in qua, per speculum sine macula, Redemptoris contemplatur praesentia, vitae Christi et Apostolorum inspicitur forma, per quam primorum Ecclesiae fundatorum ante oculos christianae plebis reducitur norma; quae demum nihil nisi divinum, angelicum, omni perfectione refertum, Christoque nil nisi conforme, ut non immerito sua dicatur, repraesentat." †

Similiter Xistus V: "Ad denuo inflammanda corda Nostra, Pater misericordiarum et luminum, famulum suum beatum Franciscum misit, et in tam larga benedictione dulcedinis praevenit, ut non modo virtutum praerogativis et meritis celebrem fecerit, sed et in carne ipsius sacra Christi Stigmata renovaverit, et mira Crucis mysteria, ligamina et paupertatem multiformiter in eo ad vivum demonstraverit, adeo ut vere Christus Francisco inferre possit: 'Semitam meam et funiculum meum investigasti, et omnes vias meas praevidisti.' Unde et factum est, ut meritis dicti beati Francisci sacrosancta mater Ecclesia, foetu novae prolis amplificata, ac multorum sanctorum eius Instituti meritis, virtutibus, exemplis et miraculis aucta, necnon quamplurimis Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus et Summis Pontificibus decorata, non possit ad eius devotionis et imitationis sectanda vestigia non esse propensa." ‡

Nec vero unquam postea de Francisco eiusque institutis Apostolicae Sedis praedicatio conticuit. E monumentis autem recentioris memoriae, praetereundae non sunt eae Litterae Gregorii XVI, in quibus de Aede Mariae Angelorum Assisiensi scribit: "In eo templo, Umbriae atque adeo totius Occidentis praecipuum decus, sanctus Franciscus Assisiensis maiores quo-

* Const. *Exivi*, die 6 Maii 1312.

† Const. *Ite et vos*, die 29 Maii 1517.

‡ Litt. *Divinae*, die 29 Aug. 1587.

tidie efficiens in eximia sanctitate processus, et mira omnipotentis Dei charismata accipiens in caelestium rerum meditatione continenter defixus, divino impulsus instinctu, sui Ordinis fundamenta iecit, atque divini Nostri Reparatoris eiusque sanctissimae Genitricis placido aspectu, suavissimisque fuit dignatus colloquiis."* Sed potissime digna sunt, quae commemorentur acta Leonis XIII; qui quidem in Litteris Encyclicis *Auspicato*, ubi laudes Assisiensis Patris grandiloqua et gravi oratione persequitur, haec habet: "Ista rerum miracula, angelico potius quam humano celebranda praeconio, satis demonstrant quantus ille Vir, quamque dignus fuerit quem aequalibus suis ad mores christianos revocandis Deus destinaret. Profecto ad Damiani aedem exaudita Francisco est maior humana vox: *I, labantem tuere domum meam*. Neque minus admirationis habet oblata divinitus Innocentio III species, cum sibi videre visus est Basilicae Lateranensis inclinata moenia humeris suis Franciscum sustinentem. Quorum vis ratioque portentorum perspicua est: nimirum significabatur, christianae reipublicae non leve per ea tempora praesidium et columnen Franciscum futurum. Revera nihil cunctatus est quin accingeretur. Duodeni illi, qui se in eius disciplinam primi contulerant, exigui instar seminis exstiterunt, quod secundo Dei numine, auspiciisque Pontificis maximi, celeriter visum est in uberrimam segetem adolescere." Idem in Constitutione *Misericors Dei Filius*: "Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis Instituta Franciscalia tota sunt posita; neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscuales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur." Atque in Constitutione *Felicitate quadam*: "Insignis est enim et benevolentia studioque Sedis Apostolicae dignissima ea, quae Fratrum Minorum familia nominatur, beati Francisci frequens ac mansura soboles. Ei quidem Parens suus, quas leges, quae praecepta vivendi ipse dedisset, ea omnia imperavit ut religiosissime custodiret in perpetuitate consequentium temporum; nec frustra imperavit. Vix enim societas hominum est ulla, quae tot virtuti rigidos custodes eduxerit, vel tot nomini christiano praecones, Christo martyres, caelo cives ediderit, aut in qua tantus virorum proventus, qui iis artibus, quibus qui excellunt praestare ceteris iudicantur, rem christianam remque ipsam civilem illustrarint, adiuverint."

* Litt. *Neminem*, die 7 Febr. 1832.

Iamvero Nos, qui, ut ipse de se Leo confirmabat,* “Franciscum Assisiensem admirari, praecipuaque religione colere ab adolescentia assuevimus, et in familiam Franciscanam adscitos esse gloriamur,” certe non minoris, quam Decessorum Nostrorum quivis, grande beati Patris Opus aestimamus, nec secus, atque illi, peculiari quodam studio Nostro dignum ducimus. In hac igitur saecularium sollemnium celebritate, cum Ordinis, a Francisco divinitus fundati, magna in rem christianam promerita verbis Decessorum illustravimus, videtur Nobis, palam facere et mansuro probare testimonio plenum paternae caritatis animum, quo tres familias, unde Franciscalum Ordo princeps constat, sine ullo discrimine complectimur. Certe quidem humani ingenii mobilitate et varia conversione temporum sensim factum est, ut Franciscani sodales ex concordissima communitate vitae atque victus in diversas deinceps disciplinas abirent. “Summam rerum inopiam, quam Vir sanctissimus in omni vita adamavit unice, ex alumnis eius optavere nonnulli, simillimam; nonnulli, quibus ea visa gravior, modice temperatam maluerunt. Quare aliorum ab aliis secessione facta, hinc *Observantes* orti, illinc *Conventuales*. Similiter rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes, quibus ille ad miraculum eluxerat, alii quidem imitari animose ac severe, alii lenius ac remissius velle. Ex prioribus iis fratrum *Capulorum* familiâ coalitâ divisio tripartita consecuta est.” † At legitimarum varietatem disciplinarum nihil obstare, quominus qui cuivis earum essent adscripti, omnes se germanam Francisci progeniem esse iure defenderent, pluries est Apostolicae Sedis auctoritate sancitum. Ita Leo X: “Quod ipsi *Fratres de Observantia* et *Reformati*, veri et indubitati Fratres Ordinis B. Francisci et eius Regulae observatores semper fuerint, ac, divina favente gratia, sint futuri, sine aliqua interruptione seu divisione, a tempore editae Regulae per B. Franciscum usque ad praesens ac sub ipsius B. Francisci Regula militaverint, et etiam ad praesens militent; sicque in omnibus teneri et observari ac decidi debere decernimus ac mandamus.” ‡ Et Clemens VIII Fratres Minores de Strictiori Observantia Reformatos nuncupatos ab iniuriis quorumdam tuetur. “Ipsosque *Reformatos*, declarat, veros filios et indubitatos Fratres Ordinis sancti Francisci.” § De Capuccinis autem, Paulus V, || Urbanus

* Litt. *Encycl. Auspicato*.

† Const. *Felicitate quadam*.

‡ Litt. *Licet*, die 6 Dec. 1517.

§ Litt. *Ex iniuncto*, die 7 Sept. 1602.

|| Litt. *Ecclesiae*, die 15 Oct. 1608.

VIII*, Clemens XII†, eos "esse vere Fratres Minores," et "originem seu principium illorum esse realiter et cum effectu computandum a tempore primaevae et originalis institutionis Regulae Seraphicae, cuius observantiam ipsi Fratres Capuccini semper sine aliqua interruptione continuarunt," eosdemque "fuisse et esse ex vera et numquam interrupta linea, ac veros et indubitatos Fratres Ordinis sancti Francisci, et illius Regulae observatores, subque ipsius B Francisci Regula militasse et ad praesens quoque militare" statuunt. Haec ipsa Nos affirmantes, volumus, iubemus, ut quotquot sunt de ternis disciplinis Franciscalis Ordinis primi, omnes non solum germani sed *gemelli* Fratres, omnes eodem Francisco nati eisdemque religiosae vitae documentis ad unam ipsius Regulam exculti, cum inter se tum ab omnibus habeantur. Itaque ut huius caritatis fraternae, quae inter filios beatissimi Patris una dominari debet, melius tuta et salva iura sint, ideoque ut Franciscana Instituta uberiores Ecclesiae sanctae fructus pariant, Nos de communibus totius gentis Minoriticae rationibus haec valere in perpetuum, tamquam certa principia et capita, decernimus, sancteque ab omnibus servari ex Apostolicae potestatis plenitudine praecipimus quae infra scripta sunt:

I. Ordo primus sancti Francisci, si Patrem legiferum a quo conditus, si Regulam, qua utitur, spectes, una est religiosorum familia: si vero rationem regiminis et Constitutiones, quibus ex Apostolicae Sedis praescripto gubernatur, in tres familias dividitur: quarum una est *Fratrum Minorum*, quae olim a *Regulari Observantia* dicebatur, quaeque quum in quatuor sodalitia esset distincta, id est in Observantes, Reformatos, Alcantarinos, Recollectos, a Leone XIII fel. rec. ad unitatem revocata est, uno *Ordinis Fratrum Minorum* indito nomine; altera est *Fratrum Minorum* qui *Conventuales* audiunt; tertia *Fratrum Minorum* qui *Capuccini* appellantur.

II. Familia, seu Ordo, Fratrum Minorum, cui quondam a Regulari Observantia nomen fuit, postquam a Leone XIII ex variis sodalitiis in unum redacta est, si ab *Unione Leoniana* appelletur, recte appelletur. Ea quidem "ex concessu Sedis Apostolicae antecedit loco et honore" ceteras Franciscalum familias, eiusque alumni "Fratrum Minorum merum nomen a Leone X acceptum retinent," ut ait in Constitutione *Felicitate quadam* Decessor Noster: sed tamen non sic hoc nomen interpretandum est, quasi in ipsa tantum familia omnis Ordo Minoriticus videatur consistere. Patet interpretationem huiusmodi et longe

* Litt. *Salvatoris*, die 28 Iun. 1627.

† Litt. *Ea quae*, die 14 Maii 1735.

abesse a vero, et valde reliquis Minoritis non paucis esse iniuriosam. Quoties igitur appellatio *Ordinis Fratrum Minorum* sine ullo apposito ambiguitatem haberet, oportere hanc familiam de qua loquimur, eiusque Moderatores et sodales, praesertim in actis publicis, propria peculiarique adiecta nota designari, vocarique *Ordinem Fratrum Minorum ab Unione Leoniana*, Moderatores et sodales *Ordinis Fratrum Minorum ab Unione Leoniana* statuimus et sancimus.

III. Titulus *Ministri Generalis totius Ordinis Minorum*, quo titulo utitur Minister Generalis familiae eiusdem quam ab Unione Leoniana appellamus, meri honoris est, nec quicquam iurisdictionis aut potestatis in ceteras Franciscalium familias notat.

IV. Nomina *Capuccinus*, *Conventualis*, *Unionis Leonianae* Franciscals discriminant non id notando, quod ad rationem ipsam et naturam Fratris Minoris pertinet: hoc enim in Regula Seraphica consistit quae apud omnes Franciscals Ordinis primi una atque eadem est: verum eas designando res quae in hoc genere *accidunt* naturae; et hae sunt Constitutiones, quas unaquaeque familia proprias et peculiare in observanda Regula, ex Apostolicae Sedis praescripto, sequitur.

V. Minister Generalis Fratrum Minorum ab Unione Leoniana, item ex concessu Sedis Apostolicae, in omnibus coetibus sacrisque publicis, ubicumque lex de praestantia loci obtinet, Ministrum Generalem Conventualium, uterque autem Ministrum Generalem Capuccinorum praecedit. Familiae vero e singulis coenobiis quem locum inter se in pompis aliisque sacris publicis teneant, pluribus Apostolicae Sedis decretis definitum est.

VI. Trium familiarum Franciscalium Ministri Generales omnes sunt atque habendi sunt et dignitate et potestate pares, ut Vicarii atque adeo veri successores sancti Francisci, nempe pro sua quisque familia, atque etiam pro sodalibus Secundi et Terti Ordinis, quotquot suae habent vel iurisdictioni subiectos vel familiae aggregatos: iidem praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Patre Seraphico omnes iure ducunt.

VII. Tres Ordinis Minoritici familiae, quasi totidem rami sunt nobilissimae arboris, cuius radix ac truncus Franciscus est. Propterea Fratres Minores tum Unionis Leonianae, tum Conventuales, tum Capuccini pari plenoque iure veri Franciscals, verique Fratres Minores et sunt et haberi debent. Iidemque non alii aliis antiquiores dicendi sunt, quandoquidem eorum omnium originem verum est repeti ab ipsa instituta Regula Seraphica, cuius omnes observantiam sine ulla intermissione continuarunt.

VIII. E Franciscalium templis illud habendum esse sacerdotum, in quo ipse Pater legifer beatissimus requiescit, vix attinet

dicere : quae aedes propterea mature a Gregorio IX Ordinis Seraphici *Caput et Mater* renuntiata est,* et a Benedicto XIV per Litteras *Fidelis* ad dignitatem praeterea Basilicae Patriarchalis et Capellae Papalis est evecta.—Sed insignis etiam dignitas est Aedis Mariae Angelorum de Portiuncula ; de qua Benedictus XIII : “ Ne quis denique Basilicam beati Francisci civitatis Assisiensis, ubi sacrum eius corpus requiescit, a Romanis Pontificibus, praedecessoribus Nostris, variis privilegiis auctam, ita supra ceteras eiusdem Ordinis ecclesias verbis aut scriptis extollat et efferat, ut debitus honor ac reverentia denegetur Basilicae B. Mariae de Portiuncula extra muros eiusdem urbis, in qua constat, Seraphicum Patrem Institutum suum inchoasse : praecipimus et mandamus, ut ambae Basilicae, diversis licet rationibus, B. Mariae quidem propter Ordinis primordia, Assisiensis vero propter sacrum corpus sanctissimi Institutoris, tamquam Ordinis matrices ab omnibus Fratribus Minoribus agnoscantur et observentur.† Nos vero ipsam quoque Basilicam Mariae Angelorum nuper datis Litteris *Omnipotens ac misericors Dominus* Matrem et Caput Ordinis Minorum diximus, eamque Basilicae Patriarchalis et Capellae Papalis titulo honestavimus. Quare utramque Basilicam, quasi commune patrimonium, tueantur oportet, quotquot filiorum Francisci gloriantur nomine : utramque omnes tamquam paternam domum fidentes laetique celebrent, ibique omnibus fraternae caritatis officiis recreati sentiant, *quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.*

IX. Ministri Generales triplicis Minorum familiae pari sunt potestate in Ordinem Tertium. Tertiarii propterea qui Ministro Generali unius familiae parent, iisdem privilegiis indulgentisque fruuntur, ac qui duobus aliis subiecti sunt. Nec licebit qui Tertio Ordini adscripti sunt, eos Tertiarios vel ab Unione Leoniana, vel Conventuales, vel Capuccinos appellare, sed Tertiarios S. Francisci seu Franciscales, sine alio apposito dici oportebit.

X. Decora, quibus aliqua ex tribus Minorum familiis elucet ; praeconia, quibus ab Apostolica Sede ornatur ; sancti beati, venerabiles Viri quibus illustratur, quamquam praecipue illius familiae sunt, tamen iure fraternitatis ad ceteras quoque, ut communia ornamenta, pertinent. Veteres vero Ordinis gloriae, a rebus gestis aut a sanctis viris profectae ante canonicam divisionem a Leone X factam ipsius Ordinis,‡ nullius ex tribus familiis habendae sunt praecipuae, sed omnium promiscuae.

* Litt. *Is qui*, die 22 Apr. 1230.

† Litt. *Qui pacem*, die 21 Iul. 1728.

‡ Const. *Ite et vos*.

Ista Nos, quae vel declarando, vel definiendo, vel praecipiendo praescripsimus, plurimum posse ad copulandos omnium interse Franciscalium animos arbitramur. Ceterum, "Qui pacem loquitur in plebem suam et super sanctos suos, certam illam avertendae contentionis vim rationemque discipulis designavit, monitis exemplisque suis eosdem adhortatus, ut, qui maior esset inter ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent non praeeminentia et primatu, sed ministrandi ac subiacendi humilitate praecessores. Haec autem documenta B. Franciscus Seraphici Ordinis conditor, et ipse mirabiliter arripuit et expressit, et custodiendae pacis firmamentum esse voluit alumnis suis."* Omnes igitur dicto audientes sint Patri legifero sic praecipienti: "Non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet."† Et "caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia."‡ Qui autem ad normam suarum Constitutionum in ipso cultu Domus Dei et in perfuntione sacrorum atque in rerum humanarum usu rigidam sequuntur paupertatem, ne despiciant ceteros; de quibus Leo X: "Declaramus et decernimus, vos illorum tantum esse custodes et non possessores, et propterea, absque vestra professionis macula aut violatione, cum deceat, iuxta celebritatem solemnitate et solemnioribus officiis et decentioribus paramentis divinam honorare Maiestatem, et ipsius cultum munificare, et aliis, quibus tam Ordo quam Fratres utuntur, communiter vel divisim, uti et potiri libere et licite posse."§ Quod si inter Fratres Minores ullum legitimae praestantiae discrimen agnoscere debet, illud non in eo ponendum est quod aliud de alia familia sit, qua quidem re omnes eos pares esse diximus; sed in hoc, quod aliud alio melius et iudiciis et dictis et factis caritatem fraternam erga sodales, ceterarum praesertim familiarum, custodiat; atque aliud alio perfectius Regulae Seraphicae, pro suae familiae Constitutionibus, praescripta servet. Omnino qualis debeat esse Fratrum minorum inter se consuetudo, intelligi ex his potest, quae de priscis Francisci filiis habet Thomas a Celano: "O quanto caritatis ardore flagrabant novi Christi discipuli! Quantus in eis pia societatis vigeat amor! Cum enim alicubi pariter convenirent, vel in via, ut moris est, sibi invicem obviarent, ibi spiculum spiritualis resultabat amoris, super omnem amorem verae dilectionis seminarium spargens. Quid illud? Casti amplexus, suaves affectus, osculum sanctum,

* Benedict. XIII, Litt. *Qui pacem*.

† Reg. Cap. III.

‡ Ibid. Cap. x.

§ Litt., *Mervetur*, die 2 Ian. 1514.

dulce colloquium, risus modestus, aspectus, iucundus, oculus simplex, animus supplex, lingua placabilis, responsio mollis, idem propositum, promptum obsequium et indefessa manus. Et quidem, cum cuncta terrena despicerent et se ipsos numquam amore privato diligerent, totius amoris affectum in commune refundentes, se ipsos dare in pretium satagebant, ut fraternae necessitati pariter subvenirent.”* Nos vero, ut caritatis fraternitatisque vincula, quibus inter se Francisciales trium familiarum continentur, vel arctiora fiant, haec in perpetuum damus et tribuimus:

I. Ut dedicatio duarum Basilicarum Assisiensium, quae totius Ordinis Minorum, licet diversa ex causa, matrices et capita sunt, ab universis triplicis familiae clericis ritu duplici secundae classis celebretur; et ambae iisdem indulgentiis iisdemque privilegiis et nunc et in posterum gaudeant. Fratres autem eis Basilicis addicti, meminerint, se omnium sodalium, non solum e sua ipsorum familia, sed aliorum etiam, personam gerere; ob eamque rem, Deum Omnipotentem, Mariam Immaculatam, Patrem Seraphicum, omnium nomine, quotidie colere et laudare ne cessent.

II. Ut in sacris, pompis, aliisque sollemnibus, quae adstante Pontifice Maximo fiant, tres Ministri Generales una simul procedant, servata tamen inter se lege praecedendi.

III. Ut indulgentiae, gratiae, exemptiones, privilegia omnia quae uni Minorum familiae concessa vel iam sint vel posthac fuerint, ea ipsa ceteris familiis concessa censeantur et sint. Quod si cuiuspiam rei concessio ad mitigandam Regulam Seraphicam pertineat, non iis suffragabitur, quorum Constitutiones nullam huiusmodi mitigationem patiuntur. Facultates autem, quae Viam Crucis, Scapulare sancti Ioseph, Chordam sancti Francisci, item pias consociationes et sodalitia spectant, ab eo tantum Ministro Generali tribuantur in posterum, cui usque adhuc reservatae sunt.

IV. Ut officia ritualia, quae de Sanctis et Beatis Ordinis sunt vel ad priva sacra seu *devotiones* attinent, uni familiae concessa, ab aliis quoque familiis, probante generali aut *Capitulo* aut *Definitorio*, adhiberi, nullo alio intercedente indulto, liceat: idem de aliis omnibus privilegiis in re liturgica, uni familiae tributis, fieri licebit.

V. Ut omnes Romanorum Pontificum vel Apostolicae Sedis Litterae, in quibus generatim instituta Franciscalia laudantur, ornantur, defenduntur, etsi ad unius familiae Ministrum Generalem, moderatores ceteros, sodales datae sint, tamen ad Mini-

* *Legenda*, I, Cap. 15.

stros Generales, moderatores ceteros, sodales aliarum quoque familiarum datae intelligantur.

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari, vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et specialissima mentione dignis; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus, et derogatum esse declaramus.

Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, unionis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, in festo S. Francisci Assisiensis, die IV Octobris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

**Approbantur et confirmantur novae constitutiones ordinis
fratrum minorum S. Francisci Capuccinorum.**

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.—Vicarium Pastoris aeterni munus, divinae Providentiae nutu, quamquam nullo Nostro merito, gerentes, probe intelligimus Nostrum esse, cum domini-cum gregem universum diligenter veritatis gratiaeque nutrire pabulo, tum praecipuo fovere studio eam gregis electam partem, quae in Religiosorum Ordinibus consistit. Iamvero, ut decessoris Nostri Gregorii XVI verbis utamur, “ex multis religiosis Familiis, quae paterni Nostri animi merentur curam, inclytus profecto Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Ordo postulat

atque efflagitat, ut in illius commodum procurandum ac splendorem tuendum omnem Nostram operam conferamus; ex quo quam plurimi semper prodire viri, doctrina, religione, pietate, sanctitate, litteris vel maxime praestantes, et de catholica Ecclesia, deque hac Apostolica Sede tot sane nominibus optime meriti.”* Equidem hunc Ordinem, ut alius Decessor illustris ait, “dum in minoribus essemus, ea qua par erat veneratione prosequeremur; in hac vero sacrosancti Apostolatus specula constituti, maioribus apostolicae Nostrae charitatis benignitatisque testimoniis complecti gestimus, considerantes maxime, quanta et quam luculenta christianae pietatis et perfectionis exempla, cum sacrarum doctrinarum splendore atque aeterna animarum salute coniuncta, ab initio in catholica Ecclesia ita in dies proferant religiosissimi illius Ordinis alumni, ut nihil orthodoxos acatholicosque vicissim vehementius perstringat, et ad saniores mentes reducat, quam celeberrimi Instituti inita cum austerioris vitae sanctimonia ratio, et christianarum virtutum semita, prius per eosdem alumnos quam diutissime trita, deinde aliis exemplo et verbo indicata.”† Huius benevolentiae charitatisque Nostrae erga Franciscanae Capulatos profitendae datur nunc Nobis libentibus occasio, cum constitutiones Ordinis, iussu Nostro in generalibus comitiis accurate recognitas, easque novis Ecclesiae legibus institutisque atque his temporibus congruenter emendatas, dilectus filius Pacificus a Seiano, Minister generalis, Nobis exhibuit. Qua quidem in re id servari iussimus, quod Leo XIII fec. rec. edixerat: “Illud est munus pietatis huius matris (Ecclesiae) maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine charitatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.”‡ Confecto igitur, quod dilectis filiis mandavimus negotium, Nos et gaudemus Nobis et praeclaro Capulatorum Ordini gratulamur vehementer; praesertim quia hoc opere videmus opportune cautum, ut Assisiensis Patriarchae spiritum Sodales integrum custodiant, maximeque ad *rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes quibus ille ad miraculum eluxerat*§, animose ac severe imitandas excitentur: quae quidem huius Franciscani Instituti propria quaedam est et peculiaris laus. Ita Fratres Capulatos non uno successionis iure

* Litt. *In sublimi*, 16 Mart. 1838.

† Benedict. XIV, Litt. *Inclutum*, 2 Mart. 1743.

‡ Constit. *Misericors Dei Filius*.

§ Constit. *Felicitate quadam*.

legitimos S. Francisci heredes et filios, veros Fratres Franciscuales, proprii nominis Fratres Minores dicimus et habemus et ab omnibus haberi volumus, quales semper Romani Pontifices ipsos habuerunt. Neque enim quisquam in dubium vocaverit, Capulatorum Familiam usque ab initio fuisse et esse Fratrum Minorum Ordinem eodem prorsus iure ac geminas alias Franciscalium Familias; ipsiusque caput, non secus ac ceteros Fratrum Minorum summos antistites, vere dici et esse generalem Ministrum, eundemque pro suis fratribus successorem S. Francisci legitimum: quandoquidem constat, huius Familiae propaginem cum stirpe Seraphici Patris aptam omni tempore connexamque fuisse. Ergo, quod Urbanus VIII affirmavit, Minores Capulatos *ex vera et numquam intermissa S. Francisci linea originem trahentes, semper sine aliqua interruptione Seraphicae Regulae continuasse observantiam**, hoc sane de iis praedicari hodieque debet. Quare legitimum eorum Instituti disciplinae ius libenter Nos agnoscimus et ratum habemus. Optabile vero est, ut quam diximus esse propriam ipsorum notam, imitationem scilicet severiorem quamdam Francisci Patris, eam perpetuo incorruptam retineant: proptereaque perseverent, cum summa ergo Apostolicam hanc Sedem obedientia et fide, summum evangelicae paupertatis ac perfectionis cultum studiumque coniungere. Huc admodum spectare constitutiones rite recognitas et emendatas Ordinis cernimus: quarum quidem approbationem Nobismet ipsis reservavimus. Itaque, nonnullis venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, Nos, motu proprio et certa scientia, de Apostolicae potestatis plenitudine, harum vi litterarum, Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum constitutiones tum latino tum italico sermone perscriptas cum omnibus et singulis quae continent, in perpetuum approbamus et confirmamus, approbatasque et confirmatas declaramus, praecipientes universis et singulis ex ea Familia Fratribus, ut easdem habeant tamquam propria statuta, quibus in omnibus rebus obtemperare debeant.—Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse: sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes: contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis: quibus omnibus ex plenitudine

* Litt. *Salvatoris*, 28 Iun. 1627.

potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus, mandantes praesertim, ut ea, quae de electionibus in his constitutionibus capite octavo sancita sunt, inviolate servantur in omnibus Ordinibus Provinciis, sublatis quibuscumque privilegiis, sive personis sive Provinciis hac super re ab Apostolica Sede concessis.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII Septembris MCMIX, in festo Nativitatis Deiparae, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

ROMANA

De competentia Sacrae Congregationis Concilii super confraternitates et pias uniones post Constit. "Sapienti Consilio."

Proposito dubio, "utrum competentia super confraternitates a Constitutione *Sapienti Consilio* tributa sacrae Congregationi Concilii se extendat quoque ad confraternitates et pias uniones quae dependent ab Ordinibus et congregationibus religiosis, vel erectae sunt in eorum ecclesiis seu domibus; an potius haec reservata sit sacrae Congregationi de Religiosis";

Emi. Patres S. Congregationis Consistorialis, praehabito Consultoris voto, in generalibus comitiis diei 9 Decembris 1909 respondendum censuerunt: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Facta vero, die insequenti, de his relatione SSmo., Sanctitas sua resolutionem Emorum. Patrum ratam habuit et confirmavit.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*

L. ✠ S.

SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

ROMANA

De competentia Sacrae Congregationis de Propaganda fide super nonnullas societates missionum.

In generali conventu diei 9 Decembris 1909 propositum fuit resolvendum sequens dubium: "Utrum S. Congregatio de Propaganda Fide etiam post Constit. *Sapienti Consilio* suam iurisdictionem exercere debeat super societates, sive Lugdunensem pro

missionibus ad Afros, sive Parisiensem pro missionibus ad exterarum gentes, nec non super seminarium Mediolanense S. Caloceri seu Institutum Mediolanense pro exteris missionibus, denique super pontificium seminarium SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad exterarum missiones, praesertim quoad ea quae respiciunt eorum regulas, administrationem, atque opportunas concessionem ad sacram alumnorum ordinationem requisitas."

Et Emi. Patres S. Congregationis Consistorialis, votis duorum Consultorum aliisque perpensis, responderunt: *Affirmative in omnibus.*

Die vero 10 Decembris 1909, facta de his relatione SSmo., Sanctitas sua resolutionem Emorum. Patrum ratam habuit et confirmavit.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*
SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

**Circa abstinentiam a Carnibus in Pervigilio Annuntiationis
B.M.V. Occurrente in feriam V in Coena Domini.**

Ad S. Congregationem Concilii sequens circa abstinentiam propositum fuit dubium:

"Cum festum Annuntiationis B.M.V. occurrens anno proximo in feriam VI in Parasceve, transferatur etiam cum feriatiōne in feriam II post Dominicam in Albis tanquam in sedem propriam, quaeritur, *an sequenti anno, 1910, servanda sit lex abstinentiae a carnibus in pervigilio Annuntiationis B.M. occurrente in feriam V in Coena Domini, vel transferri debeat.*"

Eadem S. Congregatio, sub die 9 Iunii 1909, respondit: *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

L. ✠ S.

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
BASILIUS POMPILI, *Secretarius.*

BELLOVACEN.

LEGATORUM PIORUM

De onere certiorandi episcopum de legatis ad alias causas.

Die 7 Augusti 1909.

Episcopus Bellovacensis litteris diei 21 Martii 1909, inter alia, sequens dubium proposuit huic S. Congregationi dirimendum: *utrum sacerdotes vel laici possint, inscio Ordinario, legata ad alias*

causas recipere eorumque administrationem gerere ac respectiva onera implere.

Emi. Patres S. Congregationis Concilii, exquisito Consultoris voto reque sedulo perpensa, in plenis comitiis diei 7 Augusti 1909, respondendum censuerunt: *Omnes, sive sacerdotes sive laicos, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas, teneri de hoc quamprimum certiores reddere Episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorundem legatorum.*

Facta vero, die 9 Augusti insequenti, de his omnibus relatione SSmo., Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum adprobare dignata est.

L. ✠ S.

IULIUS GRAZIOLI, Subsecretarius.

BREDANEN.

ELEEMOSYNÆ SECUNDÆ MISSÆ

Indulgetur ad Septennium ut Sacerdotes Sacrum Iterantes Eleemosynam Secundæ Missæ Episcopo Bredanensi Relinquant ad Causas Pias.

Die 7 Augusti 1909.

Rescripto S. Congregationis de Propaganda Fide, 15 Octobris 1863, Ordinariis Missionum tributa est facultas indulgendi, ut sacerdotes sibi subditi Missam iterantes etiam pro secunda Missa eleemosynam percipere possint. Hac facultate Episcopus Bredanensis in Hollandia semper usus est in favorem parochorum, quibus facultas binandi necessaria esset, quique stipendio pro secunda Missa ad honestam sustentationem opus haberent. Cum autem dioecesis Bredanensis post constitutionem *Sapientis Consilii* non amplius subsit iurisdictioni S. C. de Propaganda, idem Episcopus die 26 Aprilis 1909 humiliter petiit, ut iam cessatae ex nova ordinatione facultatis prorogatio benigne concedatur, atque condonentur stipendia pro secunda Missa a nonnullis parochis bona fide hucusque percepta.

Indultum vero, de quo fit mentio, est sequentis tenoris: "A sacra Congregatione christiano nomini propagando non semel per Sacrorum Antistites in locis Missionum degentes quaesitum est, an duplex stipendium percipere liceat sacerdotibus, qui duas in eadem die Missas celebrare iustis de causis permittuntur. Ut igitur in eiusmodi re omnis dubitationi locus a Missionibus auferatur, visum est expedire eam promulgare regulam, quam constanter tenuit sacra Congregatio Emorum. Patrum Concilii Tridentini interpretum; videlicet ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur qui parochiali munere instructi ideo stipendium

pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur. Porro huiusmodi regula recentem obtinuit confirmationem a SSmo. D. N. Pio PP. IX in una *Cameracensi* die 25 Septembris 1858. Etsi vero sacri Consilii mens ea sit, ut norma praedicta omnibus locorum Ordinariis innotescat, ac generatim servetur in praxi, quo videlicet a ministerio sacerdotali quodlibet periculum aut species simoniae turpissime quaestus arceatur; cum tamen specialia sint in nonnullis Missionibus rerum ac personarum adiuncta, cumque difficultates non paucae oriri possent si regula de qua agitur nullam omnino exceptionem pateretur; SSmus. D. N. Papa benigne decernere dignatus est, ut Ordinariis Missionum facultas impertiatur, quemadmodum per praesentes litteras eisdem tribuitur, indulgendi ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant."

Consultor, rogatus de sua sententia, sequentia consideranda subiecit. Nulla videtur adesse difficultas pro concedenda secunda parte petitionis: siquidem hi parochi, ut refert Episcopus, ex inadvertentia processerunt; aliunde in casu non agitur de parochis praepositis duabus paroeciis, qui proinde secundam Missam pro populo etiam applicare tenentur, sed de parochis qui unam tantum Missam pro populo applicant, et pro hisce valere potest responsum datum a S. C. Concilii die 25 Septembris 1858 in *Cameracen.*—*Missae pro populo* ad VI dubium: "an et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum;" nempe: "celebrata unica Missa ab unoquoque, *affirmative*, facto verbo cum SSmo."

Verum longe alia res est quoad primae partis petitionem. Revera concessio facta Ordinariis Missionum fuit in via extraordinaria et per exceptionem, seu ex specialibus rerum ac personarum adiunctis. Id patet ex supra relatis litteris circularibus S. C. de Propaganda Fide. Ergo regula est quod pro aliis locis iuri communi obnoxiiis hae facultates non tribuantur, idque, ut ibidem observatur, ad arcendum a ministerio sacerdotali quodlibet periculum aut speciem simoniae turpissime quaestus. Iam vero dioecesis Bredanensis, ex constitutione *Sapientis Consilio*, ut locus Missionum amplius considerari nequit. Neque prodesset expendere, motiva factae concessionis seu adiuncta specialia etiam nunc persistere; dicta enim adiuncta taxative pro locis Missionum fuere admissa, et ex adverso nemo est qui non videat consecratoria, quae sequerentur ex concessione facienda Episcopo Bredanensi: omnes enim alii Episcopi in iisdem conditionibus positi, ad S. Sedem facile recurrerent pro eadem gratia obtinenda, et ita regula tantâ prudentiâ et cautelâ statuta penitus everteretur.

Animadvertendum praeterea, quod indultum S. C. de Propaganda Fide pro locis Missionum, si eius littera inspiciatur, non videtur attingere parochos binantes, qui primam Missam pro populo applicant, et aliam gratis celebrant, sed simplices sacerdotes binantes, qui petunt stipendium etiam pro secunda Missa, uti ex citatis litteris circularibus patet: "*etiam* pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint et valeant." Episcopus Bredanensis hac facultate usus est in favorem suorum parochorum binantium, relate ad stipendium pro secunda Missa. Nunc eam sibi prorogari petit ampliori quodam modo, non in favorem tantum parochorum, sed generice "in favorem sacerdotum suae dioecesis qui facultate binandi gaudent, et stipendio pro secunda Missa ad honestam sustentationem opus habent." Profecto, si non litteraliter, saltem analogice sub dicto indulto etiam parochi binantes relate ad stipendium quoad secundam Missam comprehendendi possunt, cum ratio paupertatis etiam pro ipsis in locis Missionum urgere possit. Attamen negari non potest, quod indultum pro simplicibus sacerdotibus binantibus est gravius, cum hi in hypothesis duplex percipiant stipendium, e contra vero parochi unicum tantum, quia primam Missam populo applicare debent. Dicta autem comprehensio nequaquam videtur posse produci ad parochos duabus paroeciis praepositos; hi enim utramque Missam pro populo applicare tenentur.

Item praefata extensio ad parochos binantes in locis Missionum videtur erui etiam posse, ratione contrariorum, ex prohibitione facta tum ipsis tum aliis simplicibus sacerdotibus de perceptione stipendii pro secunda Missa. De hac prohibitione sermo est primo in citatis litteris: "Ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur." Haec prohibitio secundo firmatur ex decisione causae supra citatae *Cameracen.*: nam, propositis dubiis: "II. an parochus, qui in una eademque paroecia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis omnino applicare teneatur in casu; III an vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant..., secundam et ipsi Missam populo gratis applicare teneantur in casu"; S. Congregatio respondit: "ad II. *Negative*, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa; ad III. *Negative*, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa." De origine huius prohibitionis conferri potest Many (*Praelect. de Missa, pag. 15*), qui refert, usque ad dimidium saeculi XIX auctores de hac prohibitionem siluisse: quin

imo addit, anno 1858, in pluribus Galliae dioecesebus sacerdotes binantes solitos fuisse percipere, licet bona fide, stipendium pro secunda Missa, uti videre est in folio citatae *Cameracen*. Verum, quidquid de hoc sit, nunc certa et generalis est regula, non permitti accipere eleemosynam vel stipendium sub quocumque praetextu pro secunda Missa.

Aliquando eleemosynae perceptio pro secunda Missa conditionate permittitur, ut nempe stipendium perceptum cedat in favorem alicuius pii operis, v. g. seminarii aut scholarum catholicarum, numquam vero de stipendio hoc frui potest ipse celebrans : tantum ex gravibus motivis locus est exceptioni pro locis Missionis. Ex hucusque dictis itaque liquidum est, quod preces Episcopi Bredanensis benigno favore recipi non possint, eo vel magis quod generali modo proponuntur, nullo speciali motivo munitae, et insuper magis ampliatæ, quatenus nempe facultas prius parochis concessa extendi petitur in posterum ad simplices sacerdotes binantes.

Neque latet singularis casus de Episcopo, qui obtinuit vivae vocis oraculo, die 6 Decembris 1886, a Leone XIII facultatem permittendi parochis pauperibus suae dioecesis perceptionem stipendii pro secunda Missa binata ad eorum sustentationem, et hoc absque temporis limite, seu durante toto sui episcopatus tempore. Quinam vero fuerit hic Episcopus, vel quae dioecesis tam singulari privilegio ditata, latet omnino : neque omnino datum fuit cognoscere specialia motiva, quae animum Pontificis moverunt ad tam singulare privilegium elargiendum. Cfr. Votum Consultoris S. C. Concilii in *Bononiën.*, 2 Nov. 1907. Hinc nihil ex eo argui potest favore Episcopi Bredanensis. Quin imo, si res intimius spectetur, citatus casus videtur potius refragari postulationi. Ex facto enim quod imposita est non revelatio nominis Episcopi concessionarii vel dioecesis, portendi licet, ideo Pontificem hoc voluisse, ne forte eveniret, ut Episcopi de hoc edocti pro simili concessione insisterent ad succurrendum inopiae parochorum suae dioecesis.

Id tamen non importat, quod sit prohibita quaecumque retributio, etiam ex titulo extrinseco, puta laboris, incommodi ex longo itinere pro secundae Missae celebratione, et alia huiusmodi. Hoc evidenter deducitur et firmatur ex resolutione edita a S. C. Concilii in causa *Treviren.*, die 23 Martii 1881. Sane Episcopus sequentia dubia proposuerat : " I. utrum parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binantes, obtenta facultate, dicunt Missam, et pro fundatoribus *primissariarum* (quae beneficia ob exiguitatem reddituum et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote) applicant, salarium ex fundo *primissariarum* pro peculiari labore percipere

possint ; II. utrum parochi qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant ”; sacra Congregatio propositis dubiis sequens responsum dedit, nempe : “ posse permitti, prudenti arbitrio Episcopi, aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.” Haec theoretice clara sunt : verum cum in praxi difficultates exoriri possint, ad diiudicandum quando huius modi retributiones induant naturam stipendii vel potius compensationis ex titulo extrinseco, res remittenda est prudenti arbitrio Episcopi, ad tramitem allatae decisionis.

Insuper animadvertendum, ex facta prohibitione perceptionis eleemosynae pro secunda Missa, non sequi quod ea non possit applicari pro satisfactione alicuius obligationis, puta ex voto, ex fidelitate et etiam ex iustitia. Prohibitio tantum locum habet quando ex eiusmodi applicatione, directe sive indirecte, aliquid percipitur quod rationem habeat stipendii. Sic, exempli gratia, plures exstant sacerdotum associationes, in quibus omnes obligantur, quoties unus ex his decedat, pro eo Missam applicare : si qui forte ex ipsis binandi privilegio fruuntur, possunt contractae obligationi, licet ex iustitia, satisfacere applicando secundam Missam : uti a S. C. Concilii resolutum fuit in causa *Vivarien.*, die 5 Martii 1887. E contra, si parochus impeditus, puta ex infirmitate, non potuit die dominica pro populo applicare, non potest, si habeat facultatem binandi, dominica sequenti supplere factae omissioni, applicando secundam Missam pro populo, et sic utramque ; id pariter decisum fuit in allegata causa. Ratio est, quia parochi pro hisce Missis, sicuti pro aliis oneribus pastoralibus, ad instar stipendii fructus ex proprio beneficio percipiunt.

Hisce omnibus perpensis, Emi. Patres S. C. Concilii, in plenario coetu habito die 7 Augusti 1909, respondendum censuerunt :

Ad mentem. Mens est : “ Praevia sanatione et condonatione a die 3 Novembris 1908, pro facultate ad septennium ut Sacrum iterantes applicent secundam Missam ad mentem Episcopi, qui eleemosynas accipiet ut eas eroget in causas pias, praesertim in favorem sacerdotum pauperum, non exclusis Sacrum iterantibus, quatenus subsidio indigeant.”

Facta autem die sequenti, 8 Augusti, de his relatione, SSmus. D. N. resolutionem Emorum. Patrum adprobare dignatus est.

L. ✠ S.

IULIUS GRAZIOLI, *Subsecretarius.*

CONGREGATION OF RELIGIOUS.

DECRETUM

Quo Religiosi Missionarii de "Mariannhill" in Specialem Congregationem Instituuntur.

Inter monasticae familiae filios, qui, avitae traditionis aemuli, "lumen ad revelationem gentium" in dissitis plagis verbo et exemplo diffundere student, haud ultimum sane locum tenent, nec minimam merentur laudem, illi Cistercienses reformati, qui, relicto coenobio de *Mariastern*, in Bosnia sito, duce Rev. Francisco Pfanner, in Africa meridionali, abbatiam de *Mariannhill*, anno 1882, condidere: indeque vastissimam regionem Natalensem, expanso veluti viginti stationum rete, complexi sunt. At difficultates non leves suscitavit haec ipsa diffusio, utpote quam cum strictiori monastica disciplina, qualis apud Cistercienses reformatos propria viget, vix sociabilem, experientia visa est ostendere. Quare, utrimque rogantibus, tum Rmo. P. Abbate generali laudati Ordinis, tum monachis de *Mariannhill*, ut peculiari deinceps ratione regerentur, S. Congregatio negotiis religiosorum Sodalium praeposita, adprobante SSmo. Domino nostro Pio divina providentia PP. X, sequentia decrevit:

I. Inter Ordinem Cisterciensium reformatum et Religiosos missionarios de *Mariannhill* (hoc nomine deinceps appellandos) absoluta sit divisio, ita tamen, ut, qui apud Cistercienses vota emiserunt solemniter, eadem servant, atque privilegiis personalibus, huiusmodi professioni adnexis, ad dies vitae fruuntur. Insuper Regulae norma, nunc temporis apud *Mariannhill* vicens, ab omnibus usu teneatur, nisi aliter praesenti decreto statuatur. Sacram liturgiam, de licentia Rmi. Abbatis generalis Ordinis Cisterciensium reformatum, iuxta ritum Cisterciensium missionarii exerceant, saltem usque ad Capitulum generale, elapso triennio celebrandum. In administrandis vero Sacramentis, praesertim in stationibus missionum, Rituali utantur romano.

II. Ecclesia *Mariannhill* erigatur in ecclesiam collegialem, cuius titularis, Praepositus nomine, sit caput communitatis Religiosorum, ab Ordinarii iurisdictione exemptae, gaudeatque, ut Praelatus, pontificalium usu, exclusis tamen Ordinum minorum collatione, et privilegiis specialibus eiusdem rationis.

III. Praepositum omnes Religiosi in Sacris constituti, votorum numero absolute maiori, ad diem vitae eligant, excepto primo, a Sede Apostolica ad nutum nominando. Sodales omnes, sive apud *Mariannhill* degentes, sive per missionum stationes dispersos, Praepositus paterne regat; omnes officiales communitatis atque stationum superiores, de Decanorum consilio, nominet; Capitulo

plenario praesit; stationes singulis trienniis ordinarie, extraordinarie vero pro opportunitate, vel visitet ipse, vel ab uno e Decanis visitandas curet.

IV. Reditus et fructus rei familiaris uua cum Cellerario administret, ea tamen lege, ut, praeter solas necessitates, de summa maiore mille libellis italicis, sive quadraginta sterlingis, motu proprio disponere non possit; sed indigeat consilio Decanorum, quorum voto adstringatur, si de summa agatur quinque millia libellarum excedente. Fundus autem instructus et quaecumque ad foundationem pertinent nullatenus alienentur, nisi de Capituli plenarii consensu, atque Sedis Apostolicae licentia.

V. Collegium universum Religiosorum missionariorum de *Mariannhill* duplici parte constet: altera sacerdotum atque ad sacerdotium adspirantium, altera conversorum. Omnes sodales vota emittant simplicia. Qui ad priorem partem pertinent, expleto novitiatus anno, vota emittant triennalia, dein perpetua. Conversi, duorum annorum emenso stadio, quorum saltem alter est apud *Mariannhill* transigendus, vota ad quinquennium, dein perpetua emittant. Novitiatus communis sit unicus, apud *Mariannhill* erectus. Ad vota temporalia admittet, voto decisivo, Praepositus cum Decanis, a quibus vota temporalia per dimissionem solvi possunt; perpetua vero nonnisi a Sede Apostolica. Officio integro quotidie in choro publice persolvendo non teneantur nisi sacerdotes degentes apud *Mariannhill*, qui illud ea decencia persolvendum curent, qualem ecclesiam collegialem huiusmodi decet.

VI. Praepositi consilium esto duplex: alterum minus, Decanis constans; alterum maius, omnes professos in Sacris constitutos complectens. Decanorum Consilium sex membra habeat: de iure Priorem et Cellerarium, a Praeposito nominandos; electione quatuor alios, a Praeposito duos, a plenario Capitulo duos, designandos. Qui Decani gaudeant voto consultivo, excepto casu superius expresso, quo ius habent emittendi votum decisivum. Capitulum generale, seu plenarium, quotannis saltem a Praeposito apud *Mariannhill* convocandum, omnibus coalescat professis, in Sacris constitutis. Si quis, ne intersit, impediatur, scripto sese excuset. In deliberationem adducantur, quae a Praeposito, de consilio Decanorum, tractanda videntur, vel quae de iure ecclesiastico ad Regularium capitulum spectant, uti admissio ad emittenda vota perpetua, alienatio fundorum, cooptatio Decanorum, et hisce similia.

VII. Studia apud *Mariannhill* instituantur philosophica et theologica, iuxta normas a Sede Apostolica sancitas.

Illmus. et Rmus. D. Gulielmus Miller, Episcopus Eumenensis,

et Vicarius Apostolicus regionis vulgo dictae de *Transvaal*, qui tanta benevolentia iam Missionariorum coetui praefuit, novo Instituto adsit Visitator Apostolicus. Cogat Missionariorum coetum, praesens decretum legat atque inlustret; Rmum. D. Gerardum Wolpert, primum Praepositum ad nutum Apostolicae Sedis nominet. Elapso triennio, Capitulum plenum iterum convocet, cuius erit novas conficere constitutiones, supradictis normis accommodatas, necnon regulas sacerdotibus, qui apud stationes degunt, opportunas sancire. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, in festo Purificationis B. M. V., anno 1909.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

URBIS ET ORBIS.

Benedictio officinae librariae et machinae typographicae.

Sacerdos, stans ad valvas, dicit :

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adiuuvando proseguere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

R̃. Amen.

Ingrediens, dicit :

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde, inchoata antiphona Asperges me etc., varias officinae partes aqua benedicta aspergit, usquedum perveniat ad aulam principalem eiusdem, ubi sistit et dicit :

Ÿ. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R̃. Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R̃. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, qui dixisti discipulis tuis : In quamcumque domum intraveritis, salutate eam, dicentes : Pax huic domui : veniat, quaesumus, pax illa super hanc domum et officinam ad libros imprimendos (evulgandos) praeparatam, et super omnes degentes in ea ; et cunctos, Domine, in ea laborantes ab omni calamitate animae et corporis eripere et liberare digneris ; reple scriptores, rectores et operarios spiritu scientiae, consilii et forti-

tudinis, et adimple eos spiritu timoris tui, ut mandata Ecclesiae fideliter custodientes, tibi digne et proximo suo salutariter valeant inservire. Benedic ergo, bone Iesu, qui es via, veritas et vita, hunc locum, et praesta, ut omnes illum inhabitantes, intercedente gloriosa et immaculata Virgine matre tua Maria, ad immarcescibilem gloriae coronam feliciter perveniant. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. R̃. Amen.

Deinde benedicit instrumenta et machinas, dicens :

OREMUS.

Domine Deus, unice fons scientiarum, qui hominum ingenium ita illuminare dignatus es, ut nova artificiosa instrumenta invenirent ad paginas typis scribendas; benedic, quaesumus, has machinas (hanc machinam), ut per libros ad utilitatem nostram prodeuntes nihil aliud te opitulante discamus, praeter scientiam tuam, quae vere ducit ad vitam. Per Christum Dominum nostrum. R̃. Amen.

Postea aqua benedicta instrumenta et machinas aspergit. Finita aspersione, dicit :

Ÿ. Dominus vobiscum.

R̃. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes in hac domo habitantes. Per Christum Dominum nostrum.

R̃. Amen.

Si benedicenda sit tantum officina libraria, omittitur secunda Oratio cum aspersione pro instrumentis et machinis. Quando autem benedicenda sint solummodo instrumenta vel machinae, praemissis versiculis: Adjuvatorium nostrum etc. et Dominus vobiscum etc., adhibetur tantum secunda Oratio cum aspersione.

DECRETUM.

Sodalitas, cui nomen *Unione Tipografico-Cattolica Libraria* et finis est progressus sive incrementum curare, tum morale tum ipsius artis atque industriae typographicae et librariae, una cum religionis studio et fraterna sodalium communione mutuaque ope praestanda, sapienter aeque rata est, Deum ac Dominum Iesum Officinae libris edendis aut venditandis propitium reddere atque invocare. Ita enim fiet, ut eiusmodi ars atque industria civili Societati in remedium cedat, ac tutamen contra omnigena errorum et inimicorum iacula: Ita fiet, ut spiritu scientiae, sapientiae ac timoris Domini repleantur Officinae tum praesides

et rectores, tum operarii; ne quidquam edendum in perniciem ac malum vertat, sed ad salutem humani generis atque utilitatem conferat. Itaque ad supernum auxilium sibi praecipue comparandum, eadem sodalitas de officinae librariae et machinamenti typographici Benedictione proprias aptasque ritui formulas adhibendas, ac postea Rituali Romano inserendas, sacrorum Rituum Congregationis examini, atque Apostolicae Sedis supremae sanctioni humillime subiecit.

Quare, ad iuris tramitem, quum Emus. et Rmus. Dnus. Cardinalis Sebastianus Martinelli eidem sacro Coetui Praefectus et Relator, in ordinariis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, eiusmodi Benedictionis ritusque formulas proposuerit; Emi. et Rmi. Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, re diligenter perpensa, rescribendum censuerunt: *Pro gratia*, die 4 Maii, 1909.

Demum, revisione rite peracta, hisce omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papae X ab infrascripto eodem Cardinali Praefecto relatis; Sanctitas Sua sententiam ipsius sacri Consilii ratam habuit, et ritum ac formulam Benedictionis officinae librariae et machinae typographicae, prouti huic praeiacet decreto, approbavit, ac Rituali Romano inseri iussit. Die 12, iisdem mense et anno.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.
PHILIPPUS Can. di FAVA, *Substitutus*.

ADDENDA

IN BREVIARIO ROMANO

Die 27 Ianuarii

IN FESTO S. IOANNIS CHRYSOSTOMI

Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris

Ad calcem lectionis VI, post verba dictasse videatur, addatur:

Hunc vero praeclarissimum universae Ecclesiae Doctorem Pius decimus Pontifex maximus coelestem oratorum sacrorum patronum declaravit atque constituit.

Dominica 1 Iulii

IN FESTO PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C.

In corpore lectionum VII et VIII deleantur divisionis signa, et ante textum lectionis VIII addatur citatio: Enarrat. in psalm. 95, n. 5.

Si hoc festum extra Dominicam transferatur, deficiente alia lectione IX, Officii utcumque simplicis, erit sequens

*Lectio IX.**Serm. 31, alias 344.*

Habuit ille sanguinem, unde nos redimeret; et ad hoc accepit sanguinem, ut esset quem pro nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te; si nolueris esse, non est datus pro te. Forte enim dicis: Habuit sanguinem Deus meus, quo me redimeret; sed iam, cum passus est, totum dedit. Quid illi remansit, quod det et pro me? Hoc est magnum, quia semel dedit, et pro omnibus dedit. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium. Quid ergo dubitas qui mori non vis, a secunda potius morte liberari? Qua liberaris, si vis tollere crucem tuam, et sequi Dominum; quia ille tulit suam, et quae-sivit servum.

Te Deum laudamus.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. Mariae V.

IN FESTO SANCTISSIMI NOMINIS MARIAE

Si hoc festum extra Dominicam recolatur, deficiente alia lectione IX, Officii utcumque simplicis, erit sequens

Lectio IX.

Beata, quae inter homines audire sola meruit prae omnibus: Invenisti gratiam. Quantam? Quantam superius dixerat: plenam. Et vere plenam, quae largo imbre totam funderet et infunderet creaturam: Invenisti enim gratiam apud Deum. Haec cum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam: stupet angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est quod remoratur angelus, hinc est quod virginem vocat de merito, de gratia compellat, vix causam prodit audienti, sane ut sensum promoveat, vix longa trepidatione componit.

Te Deum laudamus.

Dominica 3 Septembris.

IN FESTO SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Si hoc festum extra Dominicam reponatur, deficiente alia lectione IX, Officii utcumque simplicis, erit sequens

Lectio IX.

Ecce, inquit, filius tuus: ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, et inter matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam

domesticum testamentum; et hoc eius testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae; quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea calamus scribe, velociter scribens.

Te Deum laudamus.

Die 3 Decembris.

IN FËSTO S. FRANCISCI XAVERII CONFESSORIS

Ad calcem lectionis VI, post verba Sanctis adscripsit, addatur:

Pius autem decimus ipsum sodalitati et operi Propagandae Fidei coelestem patronum elegit atque constituit.

DECRETUM.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infra-scripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptas additiones, respectivis suis locis Breviarii Romani inserendas, suprema auctoritate Sua approbavit, Die 10 Novembris 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*
Philippus Can. DI FAVA, *Substitutus.*

L. ✠ S.

MONITUM.—*In festo sancti Paulini Episcopi et confessoris, sub finem lectionis VII, dicatur: QUIDQUID de suis donis, atque sub initium lectionis VIII dicatur in die MALO ab ira, et infra in die MALO liberabit.*

ADDENDA

IN MARTYROLOGIO ROMANO

Die 27 Ianuarii

Ad calcem elogii sancti Ioannis Chrysostomi, post verba conditum fuit, addatur:

Hunc vero praeclarissimum divini verbi praeconem Pius Papa decimus oratorum sacrorum coelestem patronum declaravit atque constituit.

Die 6 Martii

Primo loco legitur:

Sanctarum Perpetuae et Felicitatis martyrum, quae nonis Martii gloriosam martyrii coronam a Domino receperunt.

Die 7 Martii

Ad calcem elogii sanctarum Perpetuae et Felicitatis, post verba sub Severo principe, addatur:

Sanctarum vero Perpetuae et Felicitatis festum pridie huius diei recolitur.

Die 15 Martii

Ultimo loco legitur :

Vindobonae in Austria, sancti Clementis Mariae Hofbauer, sacerdotis professi congregationis sanctissimi Redemptoris, plurimis in Dei gloria et animarum salute promovenda ac dilatanda ipsa congregatione exantlatis laboribus insignis; quem virtutibus et miraculis clarum Pius decimus Pontifex maximus in Sanctorum canonem retulit.

Die 23 Martii

Ultimo loco legitur :

Barcinone in Hispania, sancti Iosephi Oriol presbyteri, ecclesiae S. Mariae Regum beneficiarii, omnigena virtute, ac praesertim corporis afflictatione, paupertatis cultu, atque in egenos et infirmos caritate celebris; quem in vita et post mortem miraculis gloriosum Pius Papa decimus Sanctorum numero accensuit.

Die 3 Decembris

Ad calcem elogii sancti Francisci Xaverii, post verba hac die celebratur, addatur :

Pius vero Papa decimus ipsum beatum virum sodalitati et operi Propagandae Fidei coelestem patronum elegit atque constituit.

DECRETUM.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X. referente infra-scripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascripta elogia, ita approbata, Martyrologio Romano suis locis respective inseri iussit. Die 10 Novembris 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.
Philippus Can. DI FAVA, *Substitutus*.

L. ✠ S.

PORTUS PRINCIPIS.

**Circa Congregationem Ecclesiae "Coemento Armato"
Constructae.**

A Rmo. Dno. Iuliano Conan, Archiepiscopo Portus Principis, sacrorum Rituum Congregationi nuper propositum fuit, pro opportuna solutione, sequens dubium: An ecclesia, constructa vel construenda ex materia quae *coementum armatum* nuncupatur, consecrari valeat, adhibita forma ac ritu Pontificalis Romani?

Et sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis litur-

gicae suffragio, ita respondendum censuit: *Affirmative*, dummodo duodecim crucium loca, et postes ianuae principalis, sint ex lapide.

Atque ita rescripsit, die 12 Novembris 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

Philippus Can. DI FAVA, *Substitutus*.

L. ✠ S.

TRIBUNAL OF THE ROTA.

CITATIO EDICTALIS.

S. Christophori de Habana—Nullitatis Matrimonii.

Romae, die 26 Novembris 1909.

Cum ad dominam Catharinam Laza, partem conventam in hac causa, mandatum citationis, mediante Curia episcopali de Habana, nec non archiepiscopali Curia Parisiensi, ab hoc sacro Tribunali missum fuerit, a relatione vero utriusque Curiae constet, mulierem praedictam domicilium in civitate Habana (Via Compostellae, n.º 131) non amplius servare, et locum commorationis Lutetiae Parisiorum reliquisse, neque pateat ubi nunc commoretur, idcirco eandem dominam Catharinam Laza per praesens edictum citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede tribunalis S. R. Rotae, die 10 Februarii an. 1910, hora undecima, ad videndum subscribi infrascriptum dubium, nec non destinari diem, in qua habebitur turnus rotalis pro tractatione causae.

Dubium: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Ordinarii locorum et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco dominae conventae, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione moneatur.

IOANNES PRIOR, *Ponens*.

SAC. TANCREDES TANI, *Notarius*.

L. ✠ S.

APOSTOLIC LETTER.

**Venerabili Thomae Ludovico Episcopo Namurcensium et Praesidi
Consilii permanentis Congressibus Eucharisticis parandis.**

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem,

Conventus haberi quotannis ad cultum sacrosanctae Eucharistiae provehendum, id quidem nedum efficacitatem horum coetuum imminuat, conducere immo arbitramur amplificandae utilitati rei. Nobis quidem procul dubio illud est, proferri amorem cultumque Sacramenti augusti, sicuti eiusdem dignitas postulat, non posse, nisi explorata antea, et pervulgata apud omnes beneficentissima erga Nos ac studiosissima dilectione Dei, quae sane in nullo splendidius benefacto elucet, quam in divini convivii Sacramento, consentaneum propterea rei esse conspiciamus, coire fideles in unum saepe, desiderio actos contemplandi mysterii, ceterosque exemplo ac sermone cohortandi ad rependendum caelestis Numinis amorem, et ad fidem praesentis Dei alte tenendam. Si enim fidei charitatisque Sacramentum putanda Eucharistia est, fidei etiam et charitatis isti sint coetus oportet. Quae quidem fides et charitas maxime omnium sunt, e christianibus virtutibus, aetati nostrae commendandae, quum ea misere nunc vertant tempora, quibus hinc intellectus, perinde ac sensus quivis, in apparentia fere inclinati inde vero unius amore sui unusquisque occupatur. Infirmior; igitur fidei et deferventi charitati medendum per Eucharistiam est, e qua, si fidei et charitati potissima quaerenda exempla sunt, oritur etiam abunde ad renovandos animos gratia. Harum porro praedicatio virtutum non solis debet contineri verbis, sed actionem postulat alacrem et variam, eamque ingenio temporum accommodatam. Haec tecum, Venerabilis Frater, communicare volumus, ut proximo in conventu eucharistico Tornacensi vestra huc industria contendat, atque iste percipiatur a coetu fructus, experrecta nempe et cum usu coniuncta fides et charitas hominum. Placet autem novo huic coetui peculiarem in modum benevolentiam Nostram testari, studiumque profiteri, quo ardemus, eiusdem exaugendae vis. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium S. R. E. Cardinalem Vannutelli, Episcopum Praenestinatorum et Praesidem ad honorem permanentis Consilii Eucharistici, ut nomine et auctoritate nostra conventui praesit, dele-

gamus, plenamque fovemus spem fore ut, quotquot in congressione aderunt, spiritus inde alacriores sumant ad ea, quae sunt conventui proposita, uberius assequenda. Testem vero paternae voluntatis Nostrae et divinorum auspicem munerum, tibi atque e coetu singulis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 17 Iulii anno 1906, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

Ad Antistitam Anneciensis domus a Visitatione, ceterasque religiosas foeminas eiusdem Ordinis universi, in proximis saecularibus solemnibus.

*Dilectae in Christo Filiae,
salutem et apostolicam benedictionem.*

Communis vobiscum laetitiae afferunt causam saecularia solemnia quae proximo mense Iunio, tercentesimo anno exeunte ab instituto Visitationis Ordine, opitulante Deo, estis acturae. Nam et Nobis incrementa familiae vestrae considerantibus licet cum Cypriano admirari, quam largiter floreat "Ecclesiae matris gloriosa foecunditas"; et vobis, quasi medio in itinere emensum hucusque spatium respicientibus copia datur colligendi vires ad reliquum cursum et ad metam assequendam, idest finem vocationis vestrae. Qui sit autem is finis, haud magis a legiferis parentibus Francisco Salesio et Ioanna Francisca, quam usu ipso et religiosae disciplinae observantia didicistis. Ea nempe sancti doctoris fuit mens, ut filiae Deo formarentur, quibus inesset "spiritus gratiae et precum"; quae Ipsum in spiritu et veritate adorarent; quae animi demissione suique despicientia Eius gloriae amplificandae studerent; quae quasi columbae in tacito nido delitescerent, terrenis omnibus abdicatis, et in caelestium rerum contemplatione defixae, sese Deo exhiberent hostias viventes. Est haec vobis a sancto episcopo Genevensi et veneranda eius alumna constituta lex, cuius quamdiu apud vos vigeat auctoritas, tamdiu poterit societas vestra salva consistere. Qua in re etsi minime dubitamus quin quod genus aetatis degendae sibi vestrum quaeque constituit, in eo velit constantissime permanere; nihilominus, quia magnus novitatis auctor est dies, haud inopportunitatem ducimus in memoriam redigere, quanti sodales religiosos intersit, instituti sui disciplinam sartam tectamque servare. Quid enim esse putemus praescriptas monachis regulas, nisi evangelicae perfectionis documenta, Ecclesia duce, in usum deducta? Quocirca praeclare gloriosus ille Decessor Noster affirmavit, se, si quem

invenisset coenobitam suae professionis retinentissimum, non dubitare vel vivum ad Beatorum Caelitum honores evehere. Nec enim christiana perfectio in rebus miris et extraordinariis patrandis, sed in communium officiorum tuitioe consistit, et in virtute nostra dimetienda Deus, ut habet S. Gregorius, "non respicit quantum, sed ex quanto." Nec est cur alia vota profitentium videatur vobis vita praestantior. Nam "divisiones gratiarum sunt; idem autem spiritus." Atque item: "in domo Patris mei mansiones multae sunt." Quo fit ut aliae Martham sectentur, aliae Mariam. Vos, quae optimam partem elegistis, hanc retinete, neve a sancto proposito dimoveri patiamini per speciem procurande alienae salutis, perperam reputantes, in qua versamur tempestate, non vitam contemplationi deditam, sed actuosam desiderari. Primum enim, quemadmodum Christi praecepta, ita etiam consilia, sunt omnium temporum; et qui haec aliquando inopportuna censeat, is quodammodo videtur dare manus victas, perpetuis obtrectatoribus claustralis, uti vocant, otii. Quin etiam, quo nequior est aetas, eo maior urget necessitas iram divinam assiduus precibus pleneque sui deditione placandi. An vero meliores illuxerant Salesio dies, qui ab inimicis catholici nominis conquisitus ad necem et asperrima quaeque perpressus, de illo tamen instituti genere cogitavit, quod vos profiteamini? Intelligebat enim vir sanctissimus, nulla re magis et propitium haberi Deum et iuvare proximos, quam sacrificio laudis diuturno et exemplo vitae intemeratae. Ipsa denique Viri sanctitas a quo leges accepistis, "sapientia, discretionem, suavitatem mirabiles," debet efficere, ut sibi quaeque dicta putet, quae Apostolus Timotheo: "Tu vero permane in iis quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris."—Interim, ut studio, quo remur unamquamque vestrum teneri, veteris disciplinae retinendae stimulus aliquis adiiciatur, facultatem facimus edendi denuo scripta singula sancti Doctoris Francisci Salesii, prout ab ipsius calamo prodierunt. Promptae autem voluntatis vestrae praemium esse volumus plenissimam peccatorum indulgentiam ab omnibus ac singulis Instituti a Visitatione sodalibus statis conditionibus lucrandam eo die, quem unaquaeque eiusdem Ordinis familia celebrandis hisce solemnibus destinaverit. Caelestium denique munerum auspex et benevolentiae Nostrae testis accedat apostolica benedictio, quam omnibus et singulis vobis, dilectae in Christo Filiae, peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 13 mensis Decembris anno 1909, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

Praeter indulgentias iam concessas, omnes fideles manu gestantes appositum Rosarium, rite benedictum, indulgentiam 50 dierum pro quolibet "Pater" et quolibet "Gloria" lucrari possunt, in recitatione Coronae Pretiosissimi Sanguinis.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decessor Noster recolendae memoriae Leo PP. XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum sub die 23 Septembris anno 1893 Sodalibus inscriptis in Confraternitatem a Pretiosissimo Sanguine, quum recitent Coronam ipsius Pretiosissimi Sanguinis, manu gestantes appositum rosarium rite benedictum, pro qualibet Dominica oratione, et qualibet prece a "Gloria Patri" nuncupata, partialem quinquaginta dierum indulgentiam, vel defunctis applicabilem, largitus est. Nunc autem cum dilecti filii sacerdotes Missionarii a Pretiosissimo Sanguine Nos enixis precibus flagitaverint, ut indulgentiam eandem ad universos ex utroque sexu fideles extendere de Apostolica benignitate velimus: Nos salutare ac frugiferum consilium esse rati, coelestium munerum erogatione, excitare gentes ad passionis Domini mysterium rite recolendum, votis his piis annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi per praesentes concedimus, ut singuli atque universi fideles ex utroque sexu, nunc et in posterum ubique terrarum existentes potiri queant praefata partiali Indulgentia adnexa recitationi Coronae Sanguinis Pretiosissimi dummodo serventur conditiones omnes quae additae sunt concessioni, quam recensuimus, per memoratum Rescriptum a Decessore Nostro Confraternitatis cognominis Sodalibus factae, et dummodo ipsae Coronae sint rite benedictae a potestatem habentibus, et iuxta formulam a Sacrorum Rituum Congregatione probatam. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Sed volumus ut praesentium Litterarum exemplar, sub poena nullitatis gratiae obtentae, ad supremam Congregationem S. Romanae et Universalis Inquisitionis de more exhibeatur; ac similiter ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 9 Decembris 1909, Pontificatus Nostri anno septimo.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

Die 13 Decembris 1909.—Praesentium Litterarum exemplar ad hanc Supremam S. Congregationem S. Romanae et Universalis Inquisitionis exhibitum fuit. In quorum fidem etc.

ALOISIUS Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

MOTU PROPRIO.

Instauratur Congregatio clericorum regularium vulgo Theatinorum.

Auspicato, per dilectum Filium Nostrum Iosephum S. R. E. Cardinalem Vives, Instituti Filiorum sacrae Familiae Protectorem, parata unione et incorporatione eiusdem Instituti Congregationi clericorum regularium, vulgo Theatinorum, solemniter declaramus, decernimus et dicimus, dilectos filios Nostros Bonaventuram Mullol, eiusque Consultores generales universosque eiusdem Instituti sodales, ab hac die, Octavae solemnitatis Immaculae Conceptionis Beatae Mariae Virginis sacra esse veros legitimosque filios S. Patris Caietani, veros legitimosque alumnos Congregationis clericorum regularium, vulgo Theatinorum, cum omnibus iuribus et privilegiis, eisdem Clericis regularibus a. S. Sede concessis et concedendis.

Volumus autem, ut praedictus dilectus filius Bonaventura Mullol eiusque subditi cum tota Clericorum regularium Congregatione, filiali affectu, cultus sacrae Familiae et scapularis coerulei Immaculae Conceptionis assidui promotores et perpetui zelatores ubique terrarum existant, servatis de iure servandis.

Praefatum autem Cardinalem, hactenus Instituti sacrae Familiae Protectorem, universae clericorum regularium Congregationi praeesse mandamus, facta eidem potestate, ut auctoritate Nostra, instaurationi et reformationi eiusdem Congregationis ad nutum Nostrum etiam in futurum providere possit, cum opportunis et necessariis facultatibus. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 15 Decembris, Octavae solemnitatis Immaculae Conceptionis B. M. V., anno 1909, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

SECRETARIATE OF STATE.

R. P. Alphonso Eschbach, Proc. G. li Congregationis Spiritus S. encomium tribuit de opere: "La vérité sur le fait de Lorette."

Revmo. Padre,

Il Santo Padre ha gradito ben volentieri l'omaggio del pregiato suo volume "La vérité sur le fait de Lorette" e ne La ringrazia di cuore. Sua Santità si è vivamente compiaciuto nel vedere i dotti studi di V. P. così utilmente consacrati alla difesa di una tradizione sommamente cara al cuore di ogni credente, ed in particolar modo ai cattolici italiani.

L'Augusto Pontefice fa voti che l'opera suddetta contribuisca potentemente a dissipare quelle ombre che una critica troppo severa ha tentato di diffondere intorno al nome del glorioso Santuario di Loreto, ed a mantenere sempre più, insieme alla pia credenza, l'affetto ed il culto dei fedeli per la gloriosa Regina del cielo.

Mentre partecipo, a V. P. l'Apostolica benedizione, che il Santo Padre le imparte con effusione di animo a testimonianza della speciale Sua benevolenza, mi è grato aggiungerle i personali miei ringraziamenti per l'altro esemplare a me cortesemente destinato, e me le professo con distinta stima di V. P.,

Affmo. nel Signore

Roma, 10 Dicembre 1909,

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ad R. P. Thomam a "Saint Etienne" O. C., ob editum primum volumen "La Santa Casa dans l'histoire."

Mon Rév. Père,

Le Saint-Père a agréé avec une particulière bienveillance l'hommage du premier volume de votre travail sur *La Santa Casa dans l'histoire*, revêtu de l'approbation de l'autorité ecclésiastique.

Sa Sainteté se plaît à louer le zèle avec lequel, alliant votre science et votre piété, vous vous efforcez, par des recherches approfondies, d'étudier les sources historiques, et d'apporter ainsi votre savante contribution à la défense de la pieuse et constante tradition, spécialement chère à la famille Franciscaine.

En faisant des vœux pour l'heureux achèvement de votre travail, le Saint-Père vous envoie de tout cœur la bénédiction apostolique.

Veillez, mon Rév. Père, recevoir en même temps mes remerciements pour l'exemplaire, que vous m'avez gracieusement

fait remettre et je profite de l'occasion pour vous offrir mes sentiments dévoués en N.-S.

Rome, le 13 Août 1909.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ad R.P. Benignum Gannon, moderatorem provincialem fratrum minorum in Hibernia, de novis aedibus et scholis in Corcagiensi urbe acquisitis.

Admodum Rev. Pater,

Beatissimi Patris nomine et mandato, hoc tibi libenter significare propero, Sanctitati Suae pergratum nuncium obvenisse, quod aedes et scholae ab istis Fratribus Minoribus acquisitae pro iuvenibus Ordinem professis et pro alumnis catholicis excipiendis, proximo mense Octobri solemniter aperientur. Summus autem Pontifex, dum vota promit, ut maximi optimique fructus ex iisdem scholis colligantur, hunc in finem tibi, confratribus, praeceptoribus et alumnis omnibus petitam apostolicam benedictionem peramanter impetit.

Magna cum existimatione sum et permaneo tibi addictissimus, Romae, 17 Septembris 1909.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

DECREES.

CONGREGATION OF HOLY OFFICE.

Circa dispensationem ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate.

Iam ex decreto supremae huius Congregationis, lato die 23 Iunii 1886, cuique confessario concessa fuit facultas absolvendi a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis damni vel infamiae, super quo confessoriorum conscientia oneratur, iniunctis de iure iniungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

Cum vero nuper eidem huic Congregationi preces oblatae sint, quibus petitur, *an liceat confessario in iisdem circumstantiis atque conditionibus dispensare ab irregularitate, quae ipsas censuras sequitur*, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales, in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, in congregatione habita feria IV, die 1 Septembris labentis anni 1909, decreverunt : *Publicetur decretum latum feria IV die 28 Martii 1906.*

Decretum vero feriae IV, diei 28 Martii 1906, ita se habuit :
 " Supplicandum Sanctissimo pro facultate dispensandi super
 irregularitate occulta quando occurrat in casibus comprehensis
 in decreto S. Officii dato die 23 Iunii 1886." Et insequenti feria
 V, die 29 Martii, Sanctissimus annuit pro gratia iuxta Emorum.
 Patrum suffragia.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 6 Septembris 1909.
 L. ✠ S. ALOISIUS CASTELLANO, *Notarius*.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

I.

DECRETUM

**Servandum ab omnibus locorum Ordinariis qui S. Congregationi
 de Propaganda Fide subiecti non sunt.**

A remotissima Ecclesiae aetate repetenda lex et consuetudo
 est, qua singuli Episcopi, statis temporibus, Urbem petant, ut
 sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina venerentur, suaeque
 statum dioecesis exponant Apostolicae Sedi: cuius rei illustria
 monumenta veteres Ecclesiae annales suppeditant.

Eiusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiae natura et con-
 stitutione nititur, atque a sacro Petri primatu necessario fluit,
 cui christiani gregis universi commissa custodia est, per divina
 illa praecipientis Domini verba : *pasce agnos, pasce oves*. In utroque
 autem munere, quum visitationis sacrorum Liminum, tum re-
 lationis de statu dioecesis, debitae Petro eiusque successori sub-
 missionis et reverentiae continetur officium.

Verum, quamvis unum et alterum huius legis caput tot antea
 saeculis vigerit, serius tamen hac de re certior invecta est dis-
 ciplina. Est enim Xysto V. tribuendum, quod is, Constitutione
 edita die 20 mensis Decembris 1585, cui initium *Romanus Pontifex*,
 congrua ratione determinaverit, quibus temporibus et qua lege
 visitanda sacra Limina essent et reddenda ratio Summo Pontifici
 de pastoralis officii implemento a Patriarchis, Primatibus,
 Archiepiscopis et Episcopis: quibus etiam prospexerunt en-
 cyclicae litterae sacrae Congregationis Concilii, datae die 16
 mensis Novembris 1673. Abbatibus autem *nullius dioecesis* cautum
 est per Constitutionem Benedicti XIV, datam die 23 mensis
 Novembris 1740, quae incipit *Quod sancta*.

Haec obtinuit ad nostros usque dies disciplina. Verum, effectis
 hodie multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam

Sedem commerciis, iam praesentis aevi conditionibus haud respondere visa sunt ea, quae in memoratis Constitutionibus decreta fuerunt circa visitationes ad sacra Limina ac dioecesium relationes ad Apostolicam Sedem.

Re mature agitata in coetu Emorum. Virorum Pontificio Iuri in unum corpus redigendo praepositorum, conclusa ab iisdem SSmi. D. N. Pii Papae X. iussu, ad hanc S. Congregationem Consistorialem delata sunt, eidemque commissum iudicium, utrum et quomodo eius coetus consilia publici iuris fieri atque in usum deduci possent, etiam ante promulgandum ipsum Codicem.

Nunc vero, omnibus diligenter perpensis, iisque inhaerens quae a memorato coetu PP. Cardinalium deliberata sunt, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SSmi. Domini nostri, Eoque adprobante, decernit quae sequuntur :

CAN. I.

Abrogata lege temporum, quibus hactenus visitanda fuerunt sacra Limina et relatio Sanctae Sedi exhibenda de statu dioecesis, omnes locorum Ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus incumbit, obligatione tenentur referendi singulis quinquenniis ad Summum Pontificem de statu sibi commissae dioecesis ad normam canonum infra positorum et novi *Ordinis* praesenti decreto adiecti.

CAN. II.

§ 1. Quinquennia sunt fixa et communia, incipientque a die 1 mensis Ianuarii anno 1911.

§ 2. In primo quinquennii anno relationem exhibebunt Ordinarii Italiae, et insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, aliarumque minorum adiacentium.

§ 3. In altero, Ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus.

§ 4. In tertio, Ordinarii imperii Austro Ungarici, Germanici, et reliquae Europae cum insulis adiacentibus.

§ 5. In quarto, Ordinarii totius Americae et insularum adiacentium.

§ 6. In quinto, Ordinarii Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 7. Et ita per vices continuas singulis, quae sequuntur, quinquenniis.

CAN. III.

§ 1. In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singula quae sita, quae in adiecto *Ordine* continentur, distincte responderi debet.

§ 2. In relationibus quae sequentur sufficit ut Ordinarii ad quaesita in singulis articulis contenta dicant, utrum novi aliquid habeatur, necne.

Adiicient vero quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata, quae S. Congregatio in sua responsione ad relationem significaverit.

§ 3. Relatio latina lingua est conficienda.

§ 4. Subsignanda autem erit, praeter quam ab Ordinario, ab uno vel altero ex *convisitatoribus*, qui de statu dioecesis magis consci sunt et de ea testificari possunt.

Ipsi vero circa ea quae ex relatione noverint, si publici iuris non sunt, gravi secreti lege adstringuntur.

CAN. IV.

§ 1. Omnibus et singulis pariter praecipitur ut, quo anno debent relationem exhibere, beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi ad Urbem accedant, et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Ordinariis, qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decenniis, Urbem petant.

§ 3. Huic obligationi Ordinarius, vel ipse per se, vel per Coadiutorem aut Auxiliarem Episcopum, si quem habeat, satisfacet; vel iustis de causis a S. Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eadem dioecesi stabilem commorationem teneat.

CAN. V.

Si annus exhibendae relationi adsignatus, ex toto vel ex parte, inciderit in primum biennium ab inito dioecesis regimine, fas erit Ordinario ab exhibenda relatione, et a visitatione sacrorum Liminum peragenda pro ea vice, abstinere.

CAN. VI.

§ 1. Proximo anno 1910 Ordinarii, qui relationis et visitationis obligatione tenentur, ex benigna SSmi. D. N. venia eximuntur.

§ 2. Annis autem 1911 et 1912 a relatione et visitatione abstinere licebit Ordinariis, de quibus in §§ 2 et 3 can. II, qui anno 1909 iuxta veterem temporum periodum legi satisfecerunt.

Qui vero de statu suae dioecesis referent, hi ad normam novi *Ordinis* a S. Sede statuti huic muneri satisfaciant.

CAN. VII.

Denique cum sacrorum Liminum visitatio et relatio dioecesana ad Apostolicam Sedem non sint confundendae cum lege de visitatione pastoralis dioecesis, idcirco vigere pergunt praescripta a Concilio Tridentino, sess. XXIV, cap. III *de reform.*,

his verbis expressa : *Propriam dioecesim (Episcopi) per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praeternittant.*

SSmus. autem D. N. Pius Papa X, his canonibus et adiecti *Ordinis* normis mature perpensis, iussit haec omnia promulgari et evulgari, mandavitque ut ab omnibus ad quos spectat integre serventur, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 31 mensis Decembris anno 1909.

C. Card. DE LAI, S. C. Consistorialis Secretarius.

L. ✕ S.

S. TECCHI, Adressor.

II.

Ordo Servandus in relatione de Statu Ecclesiarum.

NORMAE COMMUNES.

Prooemium Relationis.

1. Significetur nomen et cognomen, aetas et patria Ordinarii; eius institutum religiosum, si ad aliquod ipse pertinet: quando dioecesis regimen suscepit: et si Episcopus est, quando fuerit consecratus.

2. Iudicium aliquod generale praebeatur de conditione religiosa et morali dioecesis, et utrum aliquis ab ultimo quinquennio religionis progressus vel regressus habitus sit.

CAP. I.—*Generalia de statu materiali.*

3. Indicetur paucis et perspicuis verbis:

(a) origo dioecesis, eius titulus seu gradus hierarchicus cum privilegiis potioribus: sitne archiepiscopalis, quot et quas habeat suffraganeas sedes; si sit episcopalis, cui archiepiscopali suffragetur: si immediate subiecta, cui metropolitano debeat adhaerere pro synodo;

(b) extensio dioecesis, ditio civilis, caeli temperatio, lingua;

(c) locus residentiae Ordinarii cum indicationibus necessariis ut epistolae tuto mittantur:

(d) summa incolarum et praecipua oppida: quot inter incolas sint catholici; et si varii adsint ritus, quot catholici in singulis; et si adsint acatholici, in quot et quales sectas dividantur;

(e) numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminariorum;

(f) utrum et quot capitula canonicorum, alique sacerdotum coetus ad instar capitulorum sint in dioecesi;

(g) quot sint paroeciae vel quasi paroeciae, cum numero fidelium in iis quae maximae vel minimae sunt; in quot vicariatus foraneos aliasve circumscriptiones paroeciae dividantur; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis;

(h) utrum et quaenam instituta religiosa virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sive sacerdotum sive laicorum;

(i) utrum et quaenam instituta religiosa mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

CAP. II.—*De fide et de cultu divino.*

4. Utrum divinus cultus libere in dioecesi exerceatur: sin minus, unde obstacula proveniant, a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel acatholicorum (si adsint), vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda, vel sin minus imminuenda: et num adhibeatur.

5. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis seu paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

6. Utrum generatim ecclesiae et sacella publica satis instructa sint iis quae ad fabricam ac suppellectilem pertinent; et quaenam generatim cura habeatur ut eadem munda sint et decenter ornata.

7. Utrum in singulis ecclesiis inventarium omnium bonorum et suppellectilium habeatur, et quomodo custodiatur, ne morte rectoris aut alio quolibet eventu contingat ut aliquid subtrahatur aut disperdatur.

8. Utrum sint ecclesiae in quibus res vel suppellectiles habeantur materia, arte, antiquitate pretiosae, praesertim codices vel libri, picturae, sculpturae, opera musiva arte vel antiquitate insignia; quomodo custodiantur; sintne haec recensita in inventariis, et an de iis speciale inventarium penes Curiam servetur.

Cautumne sit ne quid etiam tenue, sed ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum, sine licentia S. Sedis et iudicio peritorum venundetur.

9. Utrum singulis diebus, mane et vespere horis opportunioribus, ecclesiae pateant fidelibus.

Utrum debita vigilantia custodiantur ne sacrilegiis, profanationibus aliisve damnis obnoxiae sint.

10. Utrum, dum sacra peraguntur, ita omnibus fidelibus pateant, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine vel rubore libere ingredi, ibique adstare valeat.

11. Utrum aliquando ecclesiae vel sacella adhibeantur ad

aliquem profanum usum, ad academicos coetus, musicos concentus, aliaque id genus.

12. Utrum in omnibus ecclesiis et sacellis in quibus SSma. Eucharistia asservari debet vel potest, conditiones a iure requisitae ad conservationem SSmi. Sacramenti accurate servantur : et an cura sit ut altare SSmi. Sacramenti cultu, munditie et ornatu emineat.

13. Utrum poenitentiae tribunalia collocata sint in patenti ecclesiae loco, et cratibus instructa iuxta canonicas leges.

14. Quomodo custodiantur sacrae reliquiae in ecclesiis et sacellis. Utrum ibidem adsint reliquiae sigillo vel documento authenticitatis destitutae, vel plane suspectae. Et an idcirco in Visitatione Ordinarius aliquid decreverit.

Utrum, quod sciatur, penes privatas personas reliquiae insignes servantur ; quo iure, et qua cum veneratione.

15. Utrum in cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus liturgicae leges servantur.

Irrepserintne singulares consuetudines, et quatenus : num hae S. Sedis auctoritate aut vetustissimo usu rite approbatae dici queant, aut saltem toleratae : et si tales non sint, quid fiat ut prudenter deleantur.

Speciatim vero utrum lingua et cantus liturgicus iuxta S. Sedis decreta adhibeantur.

16. Utrum graves errores contra fidem serpant inter dioecesis fideles. Adsintne e clero qui eisdem infecti sint. Quatenus huius mali fuerit vel adhuc sit causa. Quid fiat ut eidem malo occurratur.

17. Utrum consilium *vigilantiae* et officium *censorum* ad haec praecavenda institutum sit : quibus personis constet : et an diligenter munera sua ipsae adimpleant, et quo fructu.

CAP. III.—*De iis quae ad Ordinarium pertinent.*

18. Quibus bonis et redditibus mensa Ordinarii polleat. An et quali aere alieno gravetur.

Quomodo administratio geratur : utrum independentem ab auctoritate civili, necne ; an seorsim a ceteris dioecesis vel piorum operum bonis et proventibus, vel cumulate ; qua methodo et per quas personas.

19. Utrum adsit domus Ordinario dioecesis propria, vel privatam ipse conducere cogatur. In utroque casu num aedes ita instructae sint, ut Ordinarii dignitati congruant, et luxum non redolent.

20. Cum quibusnam personis Ordinarius habitet, et quatenus sit earum vitae ratio.

21. An, a quibus S. Sedis officiis, et quibusnam specialibus facultatibus et privilegiis ipse qua Ordinarius instructus sit.

22. Quomodo residentiae legi satisficiat.

23. Quoties consuescat in cathedrali templo vel alibi sacris functionibus interesse aut pontificalia peragere.

24. Qua frequentia sacris concionibus et pastoralibus litteris clerum ac populum instruat. Et quatenus sit impeditus a praedicando, an per alios opportune suppleat.

25. Quot et quales adsint in dioecesi casus reservati: et quibus Ordinarius committat facultatem ab eisdem absol vendi.

26. Qua frequentia sacramentum confirmationis admini-
stret; et utrum pro dioecesis conditione petitionibus fidelium satisfacere ipse per se valeat; et, si ipse non valeat, quomodo et per quos suppleat.

Utrum in huius sacramenti collatione canonicae regulae de aetate confirmandorum ac de patrinis serventur.

27. Utrum ipse per se vel per alium Episcopum sacras ordi-
nationes contulerit.

Et in hoc peragendo, dum studuit dioecesim locupletare idoneorum sacerdotum copia, utrum sartum tectum servaverit Tridentini Concilii praescriptum non promovendi qui non essent necessarii vel utiles ecclesiae pro qua assumuntur.

28. Utrum ipse per se, vel per Vicarium generalem aut per alios viros a se deputatos totam dioecesim ita visitaverit ut singulis annis vel saltem bienniis de statu singularum paroeciarum certam notitiam habere potuerit.

An visitando paroecias, praeter ea quae pertinent ad divinum cultum, populi mores, religiosam puerorum et adolescentium institutionem, legatorum satisfactionem, aliaque; visitationem quam vocant personalem cleri peregerit, singulos audiendo, ut cognoscat quae sit eorum vitae ratio, qui spiritus precum, quod studium procurandae proximorum salutis, aliaque.

29. Utrum curaverit ut Conciliorum et S. Sedis leges et praeceptiones in dioecesi notae fierent et ab omnibus serva-
rentur.

30. Utrum dioecesanam synodum congregaverit; et si nullam coegerit, an, quomodo et quam potestate suppleverit.

31. Si sit metropolitanus, an provinciale concilium, aut saltem collationes seu *conferentias* episcopales habuerit, et quoties.

Exemplar eorum quae in *conferentiis* communi consilio con-
clusa sunt ad S. Sedem (si adhuc factum non fuerit) trans-
mittat.

32. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate: an epis-

copalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit ut nunquam per servilitatem erga humanas potestates, vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico obvenierit.

CAP. IV.—*De Curia dioecesana.*

33. Utrum habeatur Vicarius generalis qui tum virtutis, ac doctrinae opinione tum gradus doctoralis auctoritate polleat : et quot aliis ministris constet dioecesana Curia.

34. Utrum et quot adsint examinatores et iudices synodales aut pro-synodales.

35. Utrum adsit tribunal ecclesiasticum cum suis ministris rite constitutum ; aut saltem possit constitui, si necesse sit.

36. Utrum Curia dioecesana aedes proprias convenienter instructas habeat cum tabulario, in quo pars secreta documentorum tuto ac seorsim ab aliis documentis custodiatur. An archivum ipsum sit bene ordinatum.

37. Quenam taxa in usu sit pro actis Curiae rependendis ; an et quando approbata ; et an conformis ceteris quae in provincia ecclesiastica aut regione videntur.

38. Utrum Ordinarius cognoscat querelas adesse ob Curiae taxas ; et an in re praesertim matrimoniali concubinitus, aut alia mala accidisse sciat ob earum gravitatem seu ob rigorem exactionis earumdem. Quomodo taxarum proventus erogentur.

39. Utrum ex multis, aut ex aliis titulis speciales alii proventus Curiae sint : et quomodo erogentur.

CAP. V.—*De clero generatim.*

40. Referatur generatim quinam sint cleri mores, qui cultus, ac doctrina, quod studium aeternae salutis proximorum, quae pietas : quanam erga suum Ordinarium Summumque Pontificem obedientia et reverentia : quanam inter sacerdotes concordia, coniunctio, caritas.

41. Utrum vestis talaris adhiberi possit et reapse adhibeatur a clero : et in quolibet casu an clerus habitu proprio et decenti induatur, nec sint hac in re scandala vel dicteria.

42. Utrum sacerdotes in missae celebratione praeparationem et gratiarum actionem debite peragant ; an serotinae visitationi SSmi. Sacramenti assueti sint : qua frequentia ad poenitentiae sacramentum accedere soleant.

43. Utrum ad spirituales exercitationes statis temporibus

omnes et singuli per vices conveniant, qua frequentia, et quibusnam in aedibus: an Ordinarius hac occasione salutaria monita sive in communi sive in particulari pro opportunitate clero praebere non omittat.

44. Utrum collationes seu conferentiae ecclesiasticae de quaestionibus moralibus, seu casibus conscientiae, itemque theologiae et liturgiae habeantur: qua frequentia, qua methodo, quo fructu.

45. Quae Ordinarii cura sit de iunioribus sacerdotibus, ut postquam sacerdotio initiati sunt, studia non deserant, et pietate adhuc proficiant.

46. Pro emeritis sacerdotibus infirmis et pauperibus an domus aliqua habeatur in qua recipiantur et debita caritate sustententur: an saltem redditus speciales constituti sint quibus eisdem subveniatur.

47. Utrum adsint sacerdotes, qui quamvis viribus et iuvenili aetate polleant, otiosi tamen vivant, adeo ut inutiles vel etiam noxii dioecesi sint: quatenam huius rei sit causa, et an et quomodo huic malo occurrì possit.

48. Utrum adsint de clero qui rebus politicis et factionibus civilibus immodice et indebite se immisceant, cum offensione aliorum et spiritualis ministerii detrimento: et quid factum sit, aut fieri possit ut intra iustos limites contineantur.

Et in dioecesibus ubi una vivunt catholici variorum rituum, aut diversae linguae, vel nationis, an idcirco adsint in clero contentiones et aemulationes: quid fiat ut extinguantur, et spiritus Christi in omnibus inducatur.

49. Utrum, quod Deus avertat, aliquis habeatur sacerdos qui vitam minus honestam agat, aut agere publice videatur; vel cui imputetur aliquod aliud crimen post ultimam relationem dioecesanam patratum.

Nullane habeatur, quam Ordinarius sciat aut suspicetur in suo clero, violatio legis de observandis et vitandis in satisfactione missarum manualium.

Caveantne sacerdotes nedum a libris, sed etiam a diariis irreligiosis vel impiis legendis, nisi gravis et legitima causa intercedat.

50. Quid factum sit tum ad salutarem lapsorum correctionem, tum ad scandalì (si adfuerit) reparationem.

Utrum et quoties suspensio *ex informata conscientia* in quinquennio irrogari debuerit; quo fructu; et quatenam sit regula quae in hoc adhibetur.

51. Utrum generatim clerus sive ex eleemosynis missarum, sive ex aliis ministerii spiritualis proventibus, aut ex beneficiis ecclesiasticis habeat quo honeste vivere possit.

CAP. VI.—*De capitulis.*

52. Utrum adsit cathedrale canonicorum capitulum; quot canonicis et dignitatibus constet; et an adsint theologi et poenitentiarii officia.

53. Quomodo canonicorum, officiorum et dignitatum provisio locum habeat; utrum libere iuxta commune ius, an alia aliqua speciali ratione.

54. Utrum et quali prae-benda singuli fruantur: et an haec distincte administretur; an potius vigeat regimen communis *massae*. In quolibet casu an specialis alia communis *massa* habeatur pro distributionibus quotidianis, pro missa conventuali, pro expensis fabricae et cultus.

55. Utrum, et a quo tempore capitulum suas habeat constitutiones legitime approbatas, et an eas servet.

56. Quale sit chorale servitium tam pro recitatione divini officii quam pro missae conventualis celebratione; quotidianumne iuxta commune ius, an potius intermissum: et quo indulto.

57. Utrum, et quot adsint canonici honorarii: an excedant numerum a sacris canonibus statutum.

58. Deficiente cathedrali capitulo, an habeatur consultorum collegium; quot personis constet; quibus aliis ministeriis iidem vacent; et an ita proximi sint civitati episcopali ut facile congregari possint.

59. Quanam canonici vel consultores existimatione gaudeant in dioecesi. Utrum ipsi concordēs inter se et cum Ordinario sint; an potius aliquid Ordinarius habeat, quod eorum de agendi ratione doleat.

60. An Ordinarius eos rite convocet, ut in negotiis maioris momenti consilium vel consensum iuxta sacros canones requirat.

61. Utrum, sede vacante, capitulum libere procedere possit ad vicarii capitularis electionem; an potius, sede vacante, alia sit consuetudo providendi dioecesis regimini, quanam sit, et quonam iure vigeat.

62. Si alia habeantur in dioecesi canonicorum capitula, dicatur quid de singulis obtineat quoad numerum, chorale servitium, prae-bendas et redditus capitulares, bonamquē existimationem.

CAP. VII.—*De paroeciis, earumque rectoribus.*

63. Utrum omnes paroeciae de suo proprio pastore sint provisae: an potius adsint quae ab aliquo viciniore parrocho vel ab aliquo canonico ad tempus regantur: quam ob causam: et an idcirco incommoda notabilia aut mala sequantur.

64. Utrum provisio paroeciarum fiat per concursum: et quomodo concursus ipse celebretur.

65. Utrum adsint paroeciarum seu animarum rectores ad nutum amovibiles.

66. Utrum, quibusnam sub conditionibus, et quo iure adsint paroeciae Ordinibus seu Congregationibus religiosis addictae.

67. Utrum habeantur paroeciae in quibus cura animarum habitualis penes capitula aliasve personas existat.

68. Utrum adsint paroeciae obnoxiae iuri patronatus, ecclesiastico, vel laico, sive familiari, sive populari, sive regio: quaenam praxis vigeat in earum provisione: an et quaenam incommoda hac de re acciderint.

69. Utrum emolumenta, quae occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis missarum solemniū, attestationum, publicationum a parochis percipi solent, recognita sint ab Ordinario, vel diuturno usu probata.

Et an sive ob gravitatem parochialium taxarum, sive ob rigorem exactionis earumdem, inconvenientia aliqua et querelae, praesertim in re matrimoniali et in funeribus, deploranda sint.

70. Utrum et qua dote certa parochi eorumque ecclesiae generatim honestentur: an potius ex solis stolae incertis et fidelium oblationibus vivere debeant.

Si bonis immobilibus parochus eiusque ecclesia fruatur, quomodo administratio geratur, et quomodo caveatur pro conservatione patrimonii sacri alterutrius, vel utriusque.

In quolibet casu an parochi habeant quo honeste sustententur et quo expensis occurrant pro animarum cura et pro parochialibus functionibus necessariis.

71. Utrum parochi domum canonicam habeant; et an ibi cum paracho eius adiutores una vivant. Et si ita non sit, an et quod studium habeatur ut hoc regimen inducatur.

72. Utrum, qua lege et qua observantia caveatur, ne quolibet sub praetextu, etiam ratione servitii, iuniores mulieres (etiam consanguineae, si cum paracho adiutores simul vivant) parochiales domus inhabitent aut frequentent: et an cura sit ne in parochialibus aedibus familiae consanguineorum parochi cum filiis et nepotibus degant.

73. Utrum libri parochiales adsint in singulis paroeciis, et ibi iuxta canonicas praescriptiones adnotentur quae pertinent ad baptismum, matrimonium, ac mortem fidelium.

Speciatim circa matrimonium, an novissima lex servetur qua iubetur de peracto matrimonio inscriptionem fieri in baptizatorum libro ad singulorum nomen.

An habeantur quoque libri confirmatorum et status animarum, itemque tabellae seu libri missarum fundatarum et manualium, iique diligenter redigantur ac servantur.

74. Utrum in singulis paroeciis tabularium aliquod adsit, illudque in duas partes, publicam et secretam, divisum, et utrumque naviter custoditum.

75. Utrum parochi alique animarum curatores debitam residentiam servant.

76. Utrum diebus festis missam pro populo applicent, sacrasque functiones ad diei festi sanctificationem proprias cum zelo et fructu celebrent : potissimum vero an evangelium explicant, et catechesim tam pueris quam adultis tradant, qua methodo, quo fructu.

An adsint hisce in rebus negligentes.

77. Utrum in audiendis confessionibus, sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum adsistentia semper praesto sint, nihilque inconveniens, vel nulla querela hac de re habeatur.

78. Utrum, nisi gravis et legitima causa in aliquo speciali casu obstet, baptismum administrent et matrimonio adsistant in ecclesia, servatis solemnitatibus a Rituali Romano praescriptis.

79. Quomodo se gerant erga fideles qui, sectis secretis notorie addicti, vel alia quavis de causa extra Ecclesiae sinum viventes, sacramenta in extremis deposcunt; et erga eos qui extra Ecclesiae sinum defuncti, christiano more sepeliri a consanguineis velint.

80. Quaenam sit consuetudo in admittendis pueris ad primam communionem : et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri qui sui confessarii et parentum iudicio discretionis sunt capaces a sacra mensa non prohibeantur, nec diu arceantur.

81. Utrum parochi pro viribus curent fideles suos in fide roborare, ad sacramentorum frequentiam, praesertim ad S. Communionem etiam quotidianam excitare, et in christianae vitae more et puritate continere. Et ad hunc finem, praeter consueta sui officii munera,

(a) an aliquoties in anno, diebus praesertim solemnioribus vel tempore adventus, quadragesimae vel mariani mensis, praeconem et confessarium extraordinarium advocent ;

(b) an identidem post aliquam annorum periodum sacras missiones in sua paroecia haberi curent ;

(c) an pias devotiones ab Ecclesia probatas, ut expositionem SSmi. Sacramenti, viam crucis, rosarium, mensem marianum, aliaque similia in sua ecclesia celebrent, et fidelibus commendent : et quaenam magis in usu sint in dioecesi ;

(d) an studeant pueros, puellas et maioris aetatis fideles alligere ut ad pias uniones, patronatus, sodalitates vel consociationes catholicas se adscribant ;

(e) an prudenter instituant vel saltem foveant opera socialia, qua Ecclesiae catholicae spiritu aluntur.

CAP. VIII. Art. I.—*De Seminario dioecesano.*

82. Paucis dicatur quae sit Seminarii fabrica, novane an vetus, quot alumnis continendis capax, an disciplinaribus et hygienicis regulis respondens, an a servitutibus libera, hortis et atriis ad recreationem instructa.

Si vero dioecesanum Seminarium non unicum sit, sed in *maius* et *minus*, vel in plura alia aedificia divisum, exponatur quae sit materialis singulorum conditio.

83. Quinam sint Seminarii vel Seminariorum reditus, an, et quali aere alieno graventur : quae pensio ab alumnis persolvatur : quomodo pauperibus subveniatur.

84. Dicatur quinam sit rector, qualis eius aetas, qualesque sint eius qualitates : quot alii eum in regimine adiuvent : et utrum hi, et quidem omnes, muneri commissio digni satisfaciant, et alumnos in disciplina et pietate instituant ; an potius aliquid animadvertendum sit.

Si vero Seminarium a congregatione aliqua religiosa regatur, indicetur quanam sit haec congregatio, quando, quibusnam conditionibus, et an ex S. Sedis venia curam pii instituti susceperit, et an praefatis conditionibus satisfaciat.

85. Utrum habeatur magister pietatis, vulgo *director spiritualis*, in Seminario degens et nullo alio officio implicatus ; et an, praeter ipsum, sufficiens copia aliorum confessoriorum detur.

86. Utrum adsint deputati pro disciplina et pro oeconomia a S. Concilio Tridentino praescripti : et an Ordinarius eorum consilium iuxta iuris praescripta requirat.

87. Utrum magistri in Seminario convivant, necne : et an quoad eorum idoneitatem, pietatem, agendi rationem (praesertim si Seminarium incolant) aliquid animadvertendum sit.

88. Quot sint actu Seminarii alumni : et an inter eos admittantur qui ad statum ecclesiasticum certe non aspirent.

An et quot externi alumni habeantur : qua de causa : et an fieri possit ut et ipsi quam primum Seminarium ingrediantur : interim quomodo vigilantur : an saltem cura sit ut ante sacram ordinationem per aliquod notabile tempus in Seminario degant.

An et quot alumni extra dioecesim instituantur, ubi et qua de causa.

Et vicissim an clerici alterius dioecesis in Seminarium dioe-

cesanum recepti sint, quot, quarum dioecesum, et quibusnam de causis.

89. Si unum sit Seminarium, et simul convivere debeant aetate iuniores cum maioribus, an debitae cautelae adhibeantur, ut seorsim hi ab illis et cum disciplina suae cuiusque aetatis propria instituantur.

90. Quomodo pietas et disciplina excolatur in Seminario: quanam sit sacramentorum frequentia: an, quoties in anno et quomodo spirituales exercitationes fiant.

91. Quot annis, qua lingua, qua methodo, quorum auctorum textibus theologiae et philosophiae studia absolvantur: quot et quanam disciplinae hisce accessoriae tradantur.

Quot annis et qua methodo humaniora studia perficiantur: et in his praeter linguas latinam, graecam et propriae nationis an et quanam aliae disciplinae tradantur.

An clerici in sacris caeremoniis et cantu liturgico instituantur.

92. An prohibeantur alumni a lectione librorum ac diariorum, quae quamvis in se innoxia, eos tamen a studiis suis distrahere possunt.

93. Utrum Ordinarius saepe Seminarium invisat et alumnos pro viribus ipsemet audiat, ut cognoscat quo spiritu educantur, quanam sit eorum pietas, quinam in studiis profectus.

94. Quae regulae servantur in promotione alumnorum ad ordines: quale scrutinium habeatur et quale examen, ut constet quinam pietate, scientia, vitae integritate aliisque requisitis sacra ordinatione digni et idonei censeantur: an spirituales exercitationes praemittantur: an interstitia servantur: quo titulo ordinentur.

95. Utrum ab ultimo quinquennio extraordinarium aliquid in Seminario acciderit sive bonum sive malum.

96. Utrum adsit rusticationis domus, et ibi alumni feriarum tempore adunentur. Ea si desit, an et quae spes sit ut comparetur, et ibi alumni saltem maxima ex parte temporis agant ferias.

Interim dum ad suos revertuntur, an parochi naviter de iis curam habeant, et Ordinarium certiore reddant de eorundem agendi ratione: quanam hac de re normae praescriptae sint in dioecesi.

97. Utrum cura sit ut maioris spei clerici, sive ante sive post susceptum sacrum presbyteratus ordinem, in aliqua pontificia studiorum universitate, sive Romae sive alibi, instituantur ut academicos gradus assequantur.

98. Si qui vero cum Ordinarii venia, vel eius mandato, publicas civiles studiorum universitates frequentant, an pro iis regulae a S. Sede statutae servantur, ut ipsi a perversione custo-

diantur, et a fide vel ab ecclesiasticae vitae institutis non deflectant.

99. Si clerici servitium militare obire cogantur, quae cautela adhibeantur ut ii in stipendiis honestam vitam agant prout ecclesiasticos decet; et a stipendiis dimissi sine aliorum periculo utiliter ad Seminarium regredi et ad sacros ordines post debitam ac maturam probationem tute promoveri queant.

100. Utrum firma sit regula non admittendi in Seminarium reiectos vel dimissos ab aliis Seminariis vel ab institutis religionis.

Art. II.—*De Seminario interdioecesano seu regionali.*

101. Si in dioecesi habeatur Seminarium quo alumni plurium dioecesum, vel totius alicuius regionis conveniant, et ipse loci Ordinarius huic Seminario praesideat, de eius statu fuse referat iuxta quaesita superius relata pro Seminario dioecesano.

Quod si huic Seminario ipse non praesit, indicet cuius immediatae directioni subsit, et exponat quid de eo fama ferat.

CAP. IX.—*De institutis religiosis virorum.*

102. Utrum vitam communem servant, vel habitent soli aut in domibus privatis cum saecularibus: quo habitu incedant: quo modo sustententur: quae sit eorum fama: utrum aliqui in maioribus ordinibus constituti adsint in dioecesi a suis Praepositis eiecti vel dimissi; et quaenam sit eorum agendi ratio.

103. Quibusnam muneribus obeundis se addicant in dioecesi: quo fructu, qua fama: an eorum hospitalia, orphanotrophia, scholae, etc. iuxta canonicas praescriptiones Ordinarii vigilantiae subsint.

Qui curam animarum in parochiis sibi addictis exercent, an in omnibus, quae ad istam curam spectant, ab Ordinario dependeant.

104. Si religiosi adsint quaestuant, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis servantur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

105. Utrum aliquod habeat Episcopus cum regularibus officulum in exercitio iurisdictionis sive suae, sive sibi a iure delegatae.

106. Si congregatio aliqua dioecesana adsit, dicatur in quem finem fuerit instituta, an fini suo respondeat, et quo fructu. An in alias dioeceses se diffuderit, et quo vinculo domus extradioecesanae cum dioecesanis nectantur.

CAP. X.—*De institutis religiosis mulierum.*

107. Utrum generatim ita religiose vivant ut fidelium ex-

emplo sint: an forte aliqui abusus irrepserint, praesertim post ultimam relationem et quinam.

Utrum in monasteriis monialium, Praelatis regularibus subiectis, omnia prout de iure procedant, an aliter; et hoc in casu quomodo provisum fuerit.

108. Utrum circa clausuram servantur leges canonicae.

109. Utrum monasteriorum redditus fideliter administrentur: an monialium dotes fuerint persolutae et investitae, et quomodo administrentur.

An ipsae quoque moniales exemptae Ordinario rationem reddant de bonorum administratione iuxta canonicas leges.

110. Utrum pro confessione monialium constitutiones et decreta apostolica servantur.

111. Qua *vitae activae* addictae sunt, quibus operibus incumbant, quo spiritu, qua fidelium utilitate et Ecclesiae aedificatione.

112. Si adsint quae infirmis in privatorum domiciliis inserviant, aut rem domesticam in hospitalibus aliisque virorum domibus gerant, quomodo caveatur ne quid inconveniens accadat: an cautela ipsae rite custodiantur; an aliquid hac in re deplorandum sit.

Si religiosae adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis servantur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

113. Si instituta mere dioecesana habeantur, an haec cohaerenter ad canonicas leges regantur, in quem finem fundata sint, quo fructu vivant, an etiam extra dioecesim diffusa sint, et an variae domus ab invicem independentes sint, an non.

CAP. XI.—*De populo generatim.*

114. Quinam in universum sint populi mores, et an specialia vitia in eo invalescant, et quaenam.

115. Utrum dominicis et festis diebus fideles generatim abstineant ab operibus servilibus, missam audiant, et hos dies, prout christianos decet, sanctificent.

Si inter varia dioecesis loca differentiae notabiles adsint, hae notentur.

116. Eodem modo referatur quae sit observantia legum abstinentiae et ieiunii, et Paschalis praecepti.

117. Pariter indicetur quae sit frequentia ad sacramentalem confessionem et ad S. Communionem in variis dioecesis locis pro diverso personarum sexu, conditione, aetate.

118. Utrum parentes solliciti generatim sint, ut recens nati saltem intra hebdomadam baptismo abluantur: an sint qui

nimum differant, aut forte negligent, vel prohibeant baptismum ministrari.

119. Utrum matrimonia mere civilia sive concubinatus habeantur, et qua frequentia. An alii speciales vigeant abusus contra sanctitatem matrimonii.

120. Utrum usus matrimoniorum mixtorum, ubi sunt acatholici, invaluerit, qua frequentia, et an ex legitima venia. An conditio de universa prole in catholica religione educanda servetur. Quatenam catholicae fidei detrimenta ex his matrimoniis proveniant. An ab huiusmodi contrahendis nuptiis parochi studeant fideles avertere.

121. Utrum parentes generatim curent filios suos non solummodo in sinu familiae sed etiam extra, et maxime in scholis, christianis moribus instituere.

122. Utrum fideles qui graviter decumbunt generatim extrema sacramenta deposcant.

An, quo numero et quibusnam de causis funera civilia contingant.

123. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium curent fideles ita agere, vel tales eligere, quo religioni et libertati Ecclesiae plene consulatur.

124. Utrum adsint in dioecesi sectae secretae, praesertim massonicae.

An socialismus aliaque societates ab Ecclesia damnatae in dioecesi radicem fixerint et propagentur.

An *spiritismi* praxis habeatur.

Quid fiat ut fideles ab his omnibus avertantur, et quo profectu.

CAP. XII.—*De iuventutis institutione et educatione.*

125. Referatur in primis ac generatim quae sit ratio institutionis et educationis filiorum in dioecesi iuxta usum legesque civiles.

Utrum contra sacrum Ecclesiae et parentum catholicorum ius opponantur christianae iuventutis educationi obstacula; et quid fiat ut haec amoveantur.

Utrum scholae distinctae iuxta sexum sint, an utrique sexui communes: quae mala inde sequantur: et quatenam remedia adhibeantur.

126. Si agatur de dioecesi in catholica natione constituta, dicatur utrum ibi scholae publicae primordiorum, vulgo *elementares*, bonae vel innoxiae generatim sint, et an ibidem per ecclesiasticos viros aut idoneos magistros christiana doctrina digne tradatur: an potius noxiae sint.

Et in hoc casu an scholae liberae habeantur: quomodo sus-

tententur: a quot alumnis frequententur: an Ordinarii vigilantiae et inspectioni subsint.

127. Si agatur de dioecesi ubi catholici cum acatholicis commixti sint, an catholici scholas proprias primordiorum habeant, et quinam sit earum status.

Et si scholas proprias non habeant, et frequentare cogantur scholas publicas mixtas, an saltem catholica fides ibi non offendatur, et catholicis alumnis iusta libertas relinquatur ut in fide per ecclesiasticos viros vel idoneos magistros instituantur.

128. Quod si pueri et puellae scholas publicas primordiorum adire cogantur, quae noxiae sint, quid fiat ut iuventus a perversione et corruptione immunis fiat.

129. Utrum scholae mediae vel superiores quae in dioecesi habentur vel ad quas dioecesani confluere solent, hostiles sint, vel non, catholicis veritatibus et doctrinis.

Et si sint hostiles, quid fiat ut adolescentes ab erroribus et vitiis praeserventur. An habeantur scholae mediae vel superiores catholicis propriae: et quinam sit earum status.

130. Utrum opera quae *post-scholaria* dicuntur, ut recreatoria, circuli, scholae catecheticae, oratoria serotina et festiva ad sanam christianae iuventutis institutionem et praeservationem in dioecesi habeantur, quaenam, et quo fructu.

CAP. XIII.—*De piis sodalitatibus aliisque religiosis consociationibus.*

131. Utrum adsint piae sodalitates aliaeque religiosas consociationes rite institutae, quot et cuius nominis: an habeantur eae quae a S. Sede potissimum commendatae sunt, ceu illae a SSmo. Sacramento, a Rosario, a christiana doctrina, aliaeque pro pueris et puellis in fide, pietate, morumque puritate excolendis.

132. Utrum erectae sint in ecclesiis paroecialibus et religiosorum vel habeantur etiam quae in propriis et distinctis ecclesiis existant.

An in ecclesiis monialium sodalitates virorum adsint, et qua facultate.

133. Utrum ab auctoritate ecclesiastica iuxta canonicae legis praescripta debeant: quem fructum afferant; an forte aliquod gignant incommodum.

134. Utrum adsint tertiarii in saeculo viventes, cuius ordinis, quo fructu: an saepe congregentur, et an sint exemplo fidelibus.

135. Utrum in aliqua pia sodalitate vel tertio ordine adsint, et in fratres seu sodales recipiantur, qui notorie addicti sint sectis ab Ecclesia damnatis, vel religioni adversi aut inhonestae vitae sint. Et quid fiat ut hoc malum avertatur.

CAP. XIV.—*De piis legatis et eleemosynarum collectionibus.*

136. Utrum habeantur in dioecesi pia legata missarum aliorumve religiosorum onerum, et an de iisdem Curia dioecessana indicem habeat cum recensione onerum et indicatione reddituum.

137. A quibus generatim administrentur, an fideliter et fructuose.

138. Utrum missis legatorum aliisque obligationibus intra praescriptum tempus regulariter satisfiat: et si hoc nequeat fieri, an redditus praesertim missarum fundatarum Ordinario tradantur: an adsint qui hac de re ad officium revocari mereantur, aut revocati iam sint, et quo fructu.

139. Utrum et quo fructu fiant in dioecesi piae collectiones eleemosynarum a S. Sede praescriptae vel commendatae pro communi Ecclesiae bono, ut, pro Fidei propagatione, pro sancta Infantia, pro redemptione captivorum, pro obolo S. Petri, pro Terra sancta.

140. Utrum fiant collectiones speciales pro ipsius dioecesis necessitatibus, ut, pro fidei conservatione, pro praeservatione ab erroribus et cleri pro sustentatione, si opus sit.

141. An et quatenus aliae collectiones eleemosynarum in dioecesi usuveniant.

Si religiosi vel religiosae quaeritantes habeantur, an tot sint numero ut nimium gravamen fidelibus afferri videatur.

CAP. XV.—*De operibus piis et socialibus.*

142. Utrum hospitalia, orphanotrophia, brephotrophia aliaque similia caritatis instituta in dioecesi fundata sint: et an dependant ab auctoritate ecclesiastica iuxta S. Concilii Tridentini praescripta. Et nisi dependant, referatur an in iis quae a materna Ecclesiae protectione et directione subtracta sunt, catholici spirituali adsistentia frui saltem libere possint.

143. Utrum adsint in dioecesi opera illa quae *socialia* dicuntur quibus dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut, asyli pro infantibus, patronatus pro iuvenibus utriusque sexus, circuli pro iuventute catholica, aut pro studiis peragendis, consociationes operariorum, agricolarum, mulierum in hunc vel alium pium finem vel mutuum subsidium, arcae nummariae, aliaque similia.

144. Utrum consociationes et opera haec socialia, et potissimum qui eis praesunt, debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam praestent, et in iis quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt, S. Sedis directioni et moderationi omnino subsint.

145. Cura ne sit ut hisce consociationibus et operibus praeficiantur qui non nomine tenus, sed corde et opere catholici sint. Et an caveatur, quatenus opus sit, ut qui hisce consociationibus et operibus adscripti sunt, aut beneficia et subsidia ab iis nanciscuntur, a vitiis recedant, in fidei doctrina instituantur, et christianam vitam ducant.

146. Utrum caveatur ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur sectis secretis adscripti, increduli, impi, vel religioni adversi, qui consociationes ipsas vel earum opera a recto fidei et iustitiae tramite deducere possint.

CAP. XVI.—*De editione et lectione librorum et diariorum.*

147. Utrum in dioecessi edantur libri, ephemerides, illustrationes, diaria obscena vel impia, vel utcumque religioni noxia; a quibus, et quali cum diffusionem et detrimento.

148. Utrum libri et diaria impia vel obscena aliarum civitatum dioecesim ingrediantur, ibique diffusa sint, et quanam potissimum sint.

149. Utrum strenue a catholicis agatur et praesertim a parochis et a sacerdotibus, ut libri et diaria obscena vel impia a dioecesi removeantur, adhibita etiam, si fieri potest, civilis auctoritatis opera.

An cleri et maxime confessoriorum cura sit ut libri et diaria obscena vel impia a catholicis familiis arceantur, et a fidelibus non legantur.

150. Utrum libris et diariis noxiis alia opponantur religiosa et honesta: quot sint, quomodo diffusa et quo fructu.

Datum Romae, die 31 mensis Decembris anno 1909.

C. Card. DE LAI, S. C. Consistorialis Secretarius.
S. TECCHI, Adressor.

**De sacerdotum polonorum admissione in clerum dioecesanum
Statuum Foederatorum Amer. Sept.**

Anno proxime elapso, Episcopus Superiorensis quaesivit ab hac S. C. Consistoriali utrum instructio data a S. C. de Propaganda Fide die 25 Februarii 1896 ad Revmos. Ordinarios Statuum Foederatorum Amer. Sept. post Constitutionem *Sapientis consilio* adhuc in suo vigore maneret necne.

Citata instructio ita se habet "nullus sacerdos, vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia dioecesi mediate migraverit, in clerum dioecesanum admittatur, nisi testimoniales litteras exhibeat huius S. C. quibus

de legitima discedendi a dioecesi facultate, de immunitate a censuris, necnon de bonis moribus praesentantis plane constet."

Propositum itaque fuit in S. C. hoc dubium solvendum, "utrum post Const. *Sapienti consilio* adhuc vigere dicenda sit instructio S. C. de Propaganda Fide diei 25 Februarii 1896 relate ad clericos polonos in Status foederatos Americae Septentrionalis migraturos."

Re autem mature perpensa Emi. PP. in generali conventu diei 9 Decembris 1909 respondendum censuerunt: "Post Const. *Sapienti consilio* standum decretis S. C. Concilii."

Insequenti autem die ab Emo. Secretario, facta SSmo. Dno. relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum ratam habuit et confirmavit.

Decreta autem de quibus mentio fit in resolutione superius relata haec sunt: decretum 14 Novembris 1904 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis: decreta 20 Iulii 1908 et 24 Novembris 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione; denique decretum 22 Decembris 1905 de seminariorum alumnis.

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Iterum inculcantur Regulae quibus Itatorum Sacerdotum migrationes in Americam continentur.

Ne quae salubriter in Domino constituta iam fuerunt annorum decursu memoria excidant, maxime cum, etiam in praesens, haud raro contingat, quod sacerdotes non pauci absque S. H. C. Concilii venia ex Italia praesertim in Americam se conferant, SSmus. Dnus. noster Pius PP. X decretum quod inscribitur: *De clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis*, ac eadem S. H. C., die 14 Novembris anno 1903 editum, vulgari iterum mandavit.

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Concilii, die 7 Septembris 1909.

L. ✠ S.

IULIUS GRAZIOLI, *Subsecretarius*.

DECRETUM

De Clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis.

Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum Patrum statuta et canonicas sanctiones (*tit. 22 lib. I Decret.*) ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitium esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis

earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur, iustum iudicium tute expediteque fieri saepe difficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subreppunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituentur, cum gravissima divinae maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina, S. Concilii Congregatio, de speciali mandato SSmi. D. N. Leonis XIII, circularibus litteris ad Italiae et Americae Ordinarios, die 27 mensis Iulii 1890 datis, legem tulit, qua Italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis contineret.

Huismodi regulae hae sunt:

“1. In futurum prohibentur omnino Italiae Episcopi et Ordinarii concedere suis presbyteris e clero saeculari litteras discessoriales, ad emigrandum in regiones Americae.

“2. Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et vere iustam afferente emigrationis causam; qui tamen, bonum testimonium habens intemeratae vitae, in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet, nunquam a se maculatum iri sacerdotalem dignitatem exercitatione vulgarium artium et negotiationum.

“3. Sed in huiusmodi casu, idem Italus Episcopus et Ordinarius omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis interventu, agat cum ipso Ordinario Americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptance, una cum promissione, eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis ad memoratam S. Congregationem Concilii referat. Quae si tamen assentiatur, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando cum Americano Antistite per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas emigrantis sacerdotis proprias ad impediendas fraudes circa subiecti identitatem. Ex ea dioecesi ad aliam in America idem sacerdos emigrare ne liceat, absque nova sacrae Congregationis licentia.

“4. Excluduntur in quavis hypothese presbyteri ritus orientalis.

“5. Quod si non agatur de emigratione, sed de alio Italiae sacerdote, qui ob suas peculiare honestas ac temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de cetero nihil obstat, eum muniat

in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua ipsae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis, expleto constituto tempore, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

“6. Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americas ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio.”

Hac lege, noxia plura remota et sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera art. 5 superius recensiti interpretatione salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratum. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam, et ad Insulas Philippinas.

Quare Emi. S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorundem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt, latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis Iulii 1890, sub numeris 1, 2, 3, 4 et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur. Facultas vero sub num. 5 concessa circumscribitur ad casum strictae et urgentis necessitatis ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana charitas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrenti ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum, et de re statim edocenda S. Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero, in posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius, ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur. Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis, et monito per epistolam Episcopo loci ad quem sacerdos proficiscitur.

Quo vero ad sacerdotes orientalis ritus, servantur dispositiones datae a S. C. de Propaganda Fide, litteris diei 12 Aprilis 1894.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philip-

pinas insulas, eaedem leges ac normae servantur ac pro Italis sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae aliarumque regionum sacerdotibus venia expetenda sit a S. Congregatione Concilii; pro Americae vero septentrionalis sacerdotibus, a delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad Insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica, iuxta regulas superius statutas: et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo. D. N. Pio PP. X. in audientia diei 17 Septembris p. p. ab infrascripto Cardinali Praefecto Sanctitas Sua decreta Emorum. Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Concilii, die 14 Novembris 1903.

† VINCENTIUS Card. Episcopus Praenestinus, *Praefectus*.
L. ✠ S. C. DE LAI, *Secretarius*.

CONGREGATION FOR RELIGIOUS COMMUNITIES.

De studiis requisitis ad admissionem ad SS. Ordines circa articulum sextum decreti "Auctis admodum" editi die IV Novembris MDCCCXCIII.

DECLARATIONES

In articulo sexto *Auctis admodum*, editi a sa. me. Leone XIII inter alia, haec statuuntur: "Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo."

Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae exhibita sunt, quae ad sequentia capita reduci possunt:

I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa?

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respec-

tive annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiac-natum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur ?

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere ?

IV. Utrum verba eiusdem decreti, *Auctis admodum* : "prae-misso tamen regulari aliorum studiorum curriculo" respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum litterarum, imo primariam etiam institutionem ?

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant ?

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta, valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines ?

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycaealium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis Seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam ?

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lycaealibus, et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut praefatae litterae licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis ?

Et sacra eadem Congregatio, de speciali mandato sanctissimi Domini nostri divina providentia Pii Papae X, respondet prout sequitur :

Ad I. *Negative* in omnibus ; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

Ad II. *Affirmative*, dummodo tamen complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

Ad III. *Affirmative*, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

Ad IV. Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit: neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a Moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

Ad V. *Negative* quoad studia philosophica seu lycaealia; *affirmative* quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: (a) decimum quintum aetatis annum excesserit; (b) statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale adscendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; (c) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto non expleto, recurrendum ad Sanctam Sedem.

Ad VI. *Negative*. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnus tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo: nisi res sit non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta: tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.

Ad VII. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad VIII. Superiores in litteris testimonialibus, expressis, verbis, sequentia declarare debent et testari: I^o quoad curriculum theologicum, candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque

annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2^o *quoad inferiora studia, eidem curriculo praemittenda*: (a) eundem candidatum, rite peractis primariae institutionis studiis, humaniorum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; (b) praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspiciato superavisse.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut salvis quae de integritate et duratione studiorum in praesenti documento dicuntur, sacra Congregatio, exquisito ab omnibus Moderatoribus generalibus elencho disciplinarum, quae singulis annis scholasticis seu academicis adsignatae sunt in respectiva religiosa Familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, Instructionem de studiis apud clericos Ordinum et Institutum religiosorum rite et integre peragendis praeparet, in plenario Emorum. Patrum eiusdem Congregationis coetu examinandam, et probante Summo Pontifice, publici iuris faciendam.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Romae, e Secretaria eiusdem sacrae Congregationis, die 7 Septembris 1909.

Fr. I. Card. VIVES, *Praefectus*.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

L. ✠ S.

Declaratio circa studia a religiosis peragenda.

Nonnulli Superiores Generales Ordinum et Institutorum huic Sacrae Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates, quas parit immediata executio recentiorum Declarationum circa studia, d. d. 7 Septembris 1909; sive quia alumni in propriis illorum Collegiis degentes, qui ad Novitiatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in Collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent; sive quia ipsae novitiorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, quum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem Declarationum undequaque instructos.

Ideoque supplices preces dederunt, ut, quousque iuxta placita huius Sacrae Congregationis res apprime ordinentur, praefatas Declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, cui haec omnia infrascriptus Cardinalis Praefectus retulit in Audientia diei 21 Decembris 1909, rem mature perpendere dignatus est aequa lance cum expositis difficultatibus bona librando, quae ex immediata executione dictarum Declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse, quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac Sacerdotes saeculares debent scientia pollere Sacerdotes Regulares, quorum consilia Fideles non minori sane fiducia expetere constat; scientia veris vocationibus nedum adimat, potius confert stabilitatem; quod si nonnullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Novitiatum discedere, melius est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, imo nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentati, vel prorsus vacuae per aliquod tempus novitiorum domus existant, quam si plenae Sodalibus non adaequate institutis; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium, integre summopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberius.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Sanctissimus Dominus Noster minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandum duxit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Romae, die 17 Decembris 1909.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

Dubia circa professionem religiosorum.

Ab hac Sacra Congregatione, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. Quidam Religiosus, dimissus, ab una Domo Ordinis, de consensu Superioris Generalis, in alia Domo eiusdem Ordinis ad Novitiatum admissus fuit ante Decretum d. d. 7 Septembris 1909, quod incipit *Ecclesia Christi*, sed post eiusdem Decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato Indulto Apostolico. Quaeritur, utrum valida sit professio, an vero sanatione indigeat.

II. Quidam Religiosus, dispensatus a votis emissis in alio Ordine, Congregatione, vel Instituto, ad Novitiatum in diverso Ordine admissus fuit ante publicationem supradicti Decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat Indulto Apostolico, an vero absque Indulto valeat professionem emitte.

Et Sacra eadem Congregatio respondendum censuit, prouti respondet :

Ad I. *Negative* ad primam partem ; *Affirmative* ad secundam.

Ad. II. *Affirmative* ad primam partem ; *Negative* ad secundam.

Atque ita rescipsit, die 4 Ianuarii 1910.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

Decretum D. D. 7 Sept. 1909 "de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis, ad mulierum quoque religiosas familias extenditur.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia die 4 Ianuarii 1910, infrascripto Cardinali Praefecto benigne concessa, decernere dignatus est, ut dispositiones Decreti Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 Septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosis Familiis non admittendis*, ad mulierum quoque Religiosas Familias in posterum extendantur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub poena nullitatis professionis, non excipiantur sive ad Novitiatum, sive ad emissionem votorum, postulantes :

1° quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsae fuerint ;

2° quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur, quacumque ratione dimissae fuerint ;

3° quae, sive ut professae, sive ut novitiae, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissae fuerint ; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint ;

4° quae iam admissae, sive ut professae, sive ut novitiae in unam provinciam alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissae, in eandem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 4 Ianuarii 1910.

Fr. J. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

Dubla de festis SS. Perpetuae et Felicitatis et Agnetis.

Fredericus Pustet, S. Sedis Apostolicae necnon Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, novas parans Missalis Romani editiones, eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter proposuit, nimirum :

I. Decreto diei 25 Augusti 1909 Festum SS. Perpetuae et Felicitatis Martyrum e simplici ritu ad duplicem minorem evectum, die sexto Martii assignatum cum Officio et Missa propriis atque ad universam Ecclesiam extensum est. Iamvero inter Postcommunionem, prouti hucusque multa iam per saecula commemorari solebat in Festo S. Thomae Aquinatis die 7 Martii et inter Postcommunionem prouti posita est in Missa *Me expectaverunt* de Communi Martyrum non Virginum illud interest discrimen, quamvis valde exiguum, quod in Postcommunione hucusque commemorari solita nomen SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis expresse recitetur, in illa vero de Communi non, cum desit littera N. Quaeritur quid sit eligendum ?

II. In Communionem Festi S. Agnetis secundo die 28 Ianuarii inter diversas Missalis Romani editiones antiquiores, recentiores et recentissimas aliud parvum extat discrimen. Nempe post illa verba: *quaerenti bonas margaritas, inventa* in quibusdam editionibus additum est verbum *autem*, in quibusdam deest. Quaeritur utrum in futuris editionibus Missalis Romani addendum sit verbum *autem*, vel non ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurate perpensa, ita rescribere rata est :

Ad I. In Missa *Me expectaverunt* si fuerint plures Martyres, sive Virgines sive non Virg.—*Postcommunio*—post verba *Martyribus tuis* addantur *N. et N.* uti in Orationibus praecedentibus.

Ad II. Stetur editioni Gradualis Romani nuperrime approbatae, typisque Vaticanis evulgatae, in qua verbum *autem* non habetur.

Atque ita rescripsit, die 3 Decembris 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PHILIPPUS Can. DI FAVA, *Substitutus*.

CURIEN.

De Offertorio in Missis cantatis.

Ab hodierno Rmo. Dno. Episcopo Curiensis Diocesis proposito dubio: "An sustineri possit consuetudo quae in multis Ecclesiis minoribus Curiensis dioeceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus,

celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur?"

Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit: *Negative* et servantur Rubricae et Decreta.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1909.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

PH. Can. DI FAVA, *Substitutus*.

CEPHALUDEN.

De quibusdam peculiaribus consuetudinibus in Officio, in Missa, aliisque sacris functionibus.

Hodiernus Rmus. Episcopus Dioecesis Cephaludensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

I. Utrum tolerari possit longaeva consuetudo adhibendi in expositione insignis Reliquiae S. Crucis D. N. I. C. nonnullos ritus qui servari debent coram SSmo. Sacramento solemniter exposito, scilicet genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a celebrante genuflexo et illam obtegendi velo violaceo si concio habeatur; vel potius standum sit decretis iam latis N. 2324 *Brixien.*, 15 Septembris 1736 et N. 2727 *Lucionen.*, 23 Maii 1835?

II. Et quatenus negative ad primam partem, an consuetudo illa servari possit saltem in Feria VI Parasceve, non obstante decreto N. 3201 *Montis Regalis*, 20 Martii 1864, ad VII?

III. In choro adest consuetudo recitandi flexis genibus quocunque anni tempore, Antiph. *Salve Regina* cum versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, post antiphonam finalem de tempore, expleta hora prima, vel, si chorus non interruptitur, expleta hora tertia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo etiam quando Antiphona finalis de tempore est *Salve Regina*, ita ut bis repetatur; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus etiam diebus Dominicis et tempore paschali?

IV. Utrum chorus genuflectere debeat quando celebrans in Missa solemniter vel in Vesperis incensat SSmm. Sacramentum solemniter expositum?

V. An pulsari possint organa cum canuntur lectiones matutini in Officio Defunctorum et in Missa pro Defunctis, quando chorus silet?

VI. Utrum in Missa solemniter *Benedictus* cani possit ante eleva-

tionem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episc. Lib. II, cap. VIII, 70-71?

VII. Utrum in benedictione quae datur cum Reliquiis Sanctorum genuflectendum sit in choro vel standum? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a Canonicis?

VIII. Missam solemnem in Cathedrali celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc? Standumne consuetudini, an decretis N. 2703 *Recineten.*, 16 Martii 1833 et N. 3937 *Urgellen.*, 11 Decembris 1896?

Et Sacra aedem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad. I. et II. Standum decretis.

Ad. III. Negative ad utrumque.

Ad. IV. Negative.

Ad. V. Negative ad primam partem; et Negative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum Lib. I, cap. XXVIII, N. 13.

Ad. VI. Standum Caeremoniali Episcoporum.

Ad. VII. Genuflectendum est ab omnibus.

Ad. VIII. Standum Decretis.

Atque ita rescripsit, die 16 Decembris 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

PH. Can. DI FAVA, *Substitutus.*

BRUNEN.

Dubia circa Ecclesiae et Altarium Consecrationem.

Rmus. Dnus. Paulus Huyn, Episcopus Brunensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

I. In consecratione Ecclesiae consecratum fuit Altare, cuius mensa habebat sex cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio et sextam supra lapidem quo clauditur sepulchrum reliquiarum. Signitae porro sunt cum aqua primae quinque cruces, at cum sacris oleis tantum primae quatuor et sexta, ommissa quinta. Quid in casu faciendum? Hinc quaeritur:

II. An signandae et ungendae sint primae quinque cruces, an primae quatuor et sexta?

III. An responsum huic quaestioni valeat etiam pro Altaribus portatilibus?

IV. An in Consecratione Altarium portatili Episcopus consecrans debeat ipse omnes cruces propria manu ex incenso formare et candelas imponere; an his in actionibus a sacerdotibus adiuvari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad. I. Orator seu consecrans in casu acquiescat.

Ad. II. *Affirmative* ad primam partem : *negative* ad secundam.

Ad. III. *Affirmative*.

Ad. IV. Episcopum consecrantem in praedictis actionibus posse adiuvari a sacerdotibus.

Atque ita rescripsit, die 14 Ianuarii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. Can. DI FAVA, *Substitutus*.

MANTUANA.

In Coena Domini S. Oleum in parte tantum nullumodo benedici debet.

Postulato Rmae. Curiae Episcopalis Mantuanae ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmissum sub die 24 Ianuarii 1910 circa consuetudinem antiquam etiam immemoriam benedicens Feria V in Coena Domini tantum partem Sacrorum Oleorum, eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit : Servetur Decretum n. 2883 *Patavina* 7 Decembris 1844 (1), ad 3, non obstante enunciata consuetudine.

Atque ita rescripsit, die 28 Ianuarii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. Can. DI FAVA, *Substitutus*.

SQUILLACEN.

In sacris functionibus, machina vulgo dicta Gramofono prohibetur.

R. D. Bellarminus Ruggiero, Archipresbyter Curatus Vallis-fioritae, Squillacensis Dioeceseos, de consensu sui Rmi. Episcopi Administratoris Apostolici, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime exposulavit ; nimirum :

An in Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, licet uti machina vulgo dicta *Gramofono* pro cantu, stricte liturgico gregoriano, partium variabilium Missae solemnis, hymnorum et aliorum canticorum ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, proposito dubio respondendum censuit : *Negative*.

Atque ita rescripsit, die 11 Februarii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. Can. DI FAVA, *Substitutus*.

ROMANA

Dubia quaedam circa missam votivam SS. Apostolorum Petri et Pauli, festa titularis et dedicationis ecclesiae Cathedralis, et lectiones I. Nocturni in festis S. Francisci Xaverii, S. Antonii Patavini et S. Aloisii Gonzagae, quando pro ipsis recurrendum sit ad commune confessorum.

Sacrorum Rituum Congregationi nuperrime proposita sunt, pro opportuna solutione, sequentia dubia; videlicet:

I. Utrum ad Missam votivam Officio votivo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli respondentem, in Vigilia Omnium Sanctorum sub die 30 vel 31 Octobris, tertia Oratio debeat esse *Concede nos famulos tuos* de Beata Maria Virgine; an potius *Deus, qui corda fidelium* de Spiritu Sancto, quae ad Missam ipsius Vigiliae uti secunda praescribitur?

II. Utrum Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedrallem, habendum sit tamquam Festum primarium, vel secundarium?

III. Utrum Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedrallem, sit aestimandum tamquam Festum primarium, an vero ceu Festum secundarium?

IV. Utrum in Festis Sanctorum Francisci Xaverii, Antonii Patavini, et Aloisii Gonzagae, si pro Lectionibus I Nocturni recurrendum sit ad Commune Confessorum, Lectiones sint sumendae e primo, an potius e secundo loco?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, in casu proposito.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, iuxta Decretum Generale n.º 3810, diei 27 Augusti 1893 ad I.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, iuxta Decretum Generale n.º 3863 *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae*, diei 9 Iulii 1895 ad II et III, ubi Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus e Clero propria aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus.

Ad IV. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Atque ita rescipsit, die 16 Februarii 1910.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.
PHILIPPUS Can. DI FAVA, *Substitutus*.

AURELIANEN.

Canonizationis B. Ioannae de Arc Virginis, Puellae Aurelianensis.

Inter solennes beatificationes, anno elapso 1909, in Patriarchali Basilica Vaticana peractas, e memoria hominum nunquam excidet illa, qua, Dominica in Albis, per Litteras Apostolicas in forma Brevis Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, Ven. Ioannae Arcensi Virgini, Puellae Aurelianensi, beatorum coelitus honores primo delati fuere. Non solum cives sed etiam exteri ac praecipue e natione gallica fere innumeri fideles omnesque Episcopi ad illam Basilicam convenerunt. Uno eodemque spiritu ac religione ducti, praefatam Virginem candore et fortitudine admirabilem devoto affectu venerantes, elevatis oculis extensisque manibus, uno veluti ore consalutarunt Beatam simul ingeminantes: "Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea." Ipsa templi decora luce coruscantis amplitudo et magnificentia, cultus et caeremoniarum ordo ac splendor, animorum effusio in laetitia et ardore, adstante mane Missae pontificali ab Episcopo Aurelianensi celebratae universo Coetu Sacrorum Rituum Congregationis una cum Capitulo et Clero vaticano, vespere autem in sacra functione coram Augustissimo Eucharistiae Sacramento publice exposito et ante imaginem, in excelsum super altari Cathedrae collocatam, Beatae Ioannae ipso Summo Pontifice Pio X praesente ac orante, sacrorum Purpuratorum corona circumdato; haec omnia ad maiorem sollemnitate et religionem valde concurrerunt. Supremi Pastoris omniumque adstantium Antistitum et fidelium atque ipsius gloriosae Virginis Beatae Ioannae commune votum, communis oratio ad Christum Deum, Regem regum et Dominum dominantium, pro Ecclesia et Patria. Quot vero et quanta susceperint incrementa cultus, pietas ac fiducia in novensilem Beatam plane liquet ex triduanis festivitatibus intra annum a beatificatione cum magna pompa, impenso studio, assidua frequentia atque ubere fructu spirituali hucusque celebratis in Galliae aliarumque regionum civitatibus ac dioecesibus, necnon a recentioribus petitionis Sacrae Rituum Congregationi porrectis, pro impetrando Festo cum Officio et Missa propriis nuper approbatis in honorem Beatae Ioannae ad exemplum et praesidium propositae. Insuper complures gratiae imo et prodigia Eius meritis et intercessione a Deo patrata feruntur, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem. Quapropter, instante Rmo. P. Xaverio Hertzog, Societatis Sancti Sulpitii Procuratore Generali et huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis Emorum. et Rmorum. S. R. E. Cardinalium Petri Hectoris Coullié, Archiepiscopi Lugdunensis et Viennensis,

et Ludovici Henrici Luçon, Archiepiscopi Rhemensis, necnon Rmi. Dni. Stanislai Touchet, Episcopi Aurelianensis, aliorumque Archiepiscoporum et Episcoporum Galliae, Emus. et Rmus. Dnus. Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitibus sub-signata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutendum proposuit: "An sit signanda Commissio re assumptionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?" Emi. ac Rmi. Patres Sacres tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi. Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus sedulo perpensis, rescribere rati sunt: "*Affirmative*, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit." Die 15 Februarii 1910.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem re assumptionis Causae Canonizationis Beatae Ioannae de Arc, Virginis, Puellae Aurelianensis, die 23, eisdem mense et anno.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.
PHILIPPUS Can. DI FAVA, *Substitutus*.

L. ✠ S.

CONGREGATION OF THE INDEX.

Damnatur varia Opera.

JOSEPH TURMEL. Histoire de la théologie positive, depuis l'origine jusqu'au Concile de Trente. Paris, Gabriel Beauchesne et Cie.

— Tertullien. Paris, Bloud et Cie.

— Saint Jérôme. Ibid.

ANGEL PULIDO FERNANDEZ. Españoles sin patria y la raza sefardí. Madrid, E. Teodoro, 1905.

LUIS GAMBARA. La sociología; manual para estudiantes de derecho, de filosofía y de bachillerato y de cultura general. Barcelona, casa editorial, 1909.

— Sociología criminal; manual para abogados, médicos forenses estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general. Ibid., 1909.

— Antropología criminal; especial para abogados, médicos estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general. Ibid. 1909.

— Psicología y antropología criminal; curso dado en el salón doctoral de la universidad de Barcelona. Ibid., 1909.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque

idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

IOSEPHUS TURMEL et FORTUNATUS RUSSO Decreto S. Congregationis, edito die 5 Iulii 1909, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudibiliter se subiecerunt.

Quibus Sanctissimo Domino Noster Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 9 Martii 1910.

L. ✠ S.

FRANCISCUS Card. SEGNA, *Praefectus*.
THOMAS ESSER, O. P., *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE SACRAMENTS. DECRETUM

Circa dispensationes ab impedimentis matrimonialibus concedendas regibus et regiae stirpis principibus.

Inter causas maiores Apostolicae Sedi speciali modo reservatas, dispensationes etiam illae recenseri sunt solitae, quae ad principum regiae stirpis matrimonia referuntur, exclusis ab eiusmodi utenda facultate aliis omnibus Ecclesiae Praepositis.

Verum, quandoquidem quae observantia et consuetudine nituntur, non omnia semper sic plane definita et perspicua esse soleant, ut nihil anceps relinquant; idcirco, ne in re tanti momenti ulla possit suboriri dubitatio, SSmus. D. N. huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum mandavit ut opportunum Decretum hac de re promulgaret.

Itaque Sacra haec Congregatio SSmi. D. N. Pii Papae X iussa faciens, de expresso Ipsius mandato atque Eiusdem auctoritate declarat, dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impediens, quae regibus ac regiae stirpis principibus erunt concedendae, Sedi Apostolicae speciali modo esse reservatas, ita ut ab huius potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti; eandemque potestatem in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus esse comprehensam.

Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Huius autem Decreti tenorem Sanctitas Sua in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die VI Martii MCMX audiuit et approbavit.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die VII mensis Martii anno MCMX.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.
PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

ENCYCLICAL LETTER,

Venerabilibus Fratribus Patriarchis Prælatibus Archiepiscopis
Episcopis Aliisque Locorum Ordinariis Pacem et Commu-
nionem Cum Apostolica Sede Habentibus.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Editæ sæpe Dei ore sententiæ et sacris expressæ litteris in hunc fere modum, iusti memoriam fore cum laudibus sempiternam eundemque loqui etiam defunctum,¹ diuturna Ecclesiæ opera et voce maxime comprobantur. Hæc namque sanctitatis parens etATRIX, iuvenili robore vicens ac Numinis afflatu semper acta *propter inhabitantem spiritum eius in nobis*,² quemadmodum iustorum sobolem nobilissimam ipsa una gignit, enutrit, ulnisque complectitur suis, ita materni amoris instinctu de ipsorum retinenda memoria atque honore instaurando se præbet apprime sollicitam. Ex ea recordatione superna quadam suavitate perfunditur et a mortalis huius peregrinationis miseriis contuendis abducitur, quod beatos illos caelicolas *gaudium suum et coronam* esse iam cernat; quod in ipsis eminentem agnoscat Sponsi caelestis imaginem; quod novo testimonio suis filiis antiqua dicta confirmet; *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*.³ Horum autem præclara facinora, non modo sunt ad commemorandum iucunda, sed etiam ad imitandum illustria, et magnus virtutis excitator est concentus ille sanctorum Paullinæ resonans voci: *imitatores mei estote sicut et ego Christi*.⁴

Ob hæc, Venerabiles Fratres, Nos, qui vixdum suscepto pontificatu maximo, propositum significavimus enitendi constanter ut "omnia instaurarentur in Christo"; datis primum encyclicis litteris⁵ impense curavimus ut Nobiscum omnes intuerentur in *apostolum et pontificem confessionis nostræ, .. in auctorem fidei et con-*

¹ Ps. CXI, 7; Prov. x, 7; Hebr. XI, 4.

² Rom. VIII, 11.

³ Rom. VIII, 28.

⁴ I Cor. IV, 16.

⁵ Litt. Encycl. "E supremi" die IV m. Octobr. MCMIII.

*summatores Iesum.*¹ At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud a nobis est exemplar propositum, quod quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra, Beatissima Virgo Augusta Dei Mater.² Varias denique nanci occasiones recolendae memoriae sanctorum caelitum, communi admirationi obiecimus fideles hosce servos ac dispensatores in domo Domini, et, prout suus cuique locus est, Eius amicos ac domesticos, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones,*³ ut illorum exemplis adducti, *iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.*⁴

Altissimum hoc divinae Providentiae consilium in tribus maxime viris perfectum fuisse docuimus, quos magnos pastores eosdemque doctores diversa quidem aetas tulit, sed aequae prope modum Ecclesiae calamitosa. Hi sunt Gregorius Magnus, Ioannes Chrysostomus et Augustanus Anselmus, quorum, saecularia solemnia celebrari cigit per hos annos. Binis praeterea Encyclicis Litteris datis iv Idus Martias anno mcmiv et xi Calend. Maias mcmix, doctrinae capita et christianae vitae praecepta, quotquot opportuna cadere in haec tempora visa sunt, e sanctorum exemplis monitisque decerpta, fusius evolvimus.

At quoniam persuasum Nobis est, ad impellendos homines, illustria Christi militum exempla longe magis valitura quam verba exquisitasque disceptationes,⁵ oblata feliciter opportunitate libentes utimur saluberrima instituta ab alio pastore sanctissimo accepta commendandi, quem huic aetati propiorem iisdemque paene iactatum fluctibus Deus excitavit, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, Mediolanensium Antistitem, ante annos ccc a sa. me. Paulo V in sanctorum album relatum, Carolum Borromeum. Nec id minus ad rem; siquidem, ut memorati Decessoris Nostri verba usurpemus: "Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro dispensationis suae opere statuit super Apostolicae petrae arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctae Romanae Ecclesiae Carolum, sacerdotem fidelem servum bonum, formam gregis, formam Pastorum. Qui videlicet

¹ Hebr. III, 1; XII, 2-3.

² Litt. Encycl. "*Ad diem illum,*" die 11 m. Februar. mcmiv.

³ Hebr. XI, 33.

⁴ Eph. IV, 11 seq.

⁵ Encycl. "*E Supremi.*"

multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando Ecclesiam, sacerdotibus et populo praeluceret quasi Abel in innocentia, quasi Enoch in munditia, quasi Iacob in laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti zelo, quique imitandum exhiberet inter affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pastorem sollicitudinem, libertatem Ambrosii, Paulini caritatem, ac demum videndum ac perspicendum ostenderet oculis nostris, manibus nostris contrectandum hominem, mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viventem spiritu, terrena calcantem, caelestia iugiter negotiantem et, sicut officio in angelum substitutum, ita etiam mente et opere vitam angelorum in terris aemulantem."¹

Haec Decessor ille Noster exactis quinque lustris ab obitu Caroli. Nunc vero, expleto anno tercentesimo ab impertitis eidem sacris honoribus, "merito repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione in insigni die solemnitatis nostrae, ... in qua ... Carolo S. R. E., cui, auctore Domino, praesidemus, Presbytero Cardinali sacris decernendis honoribus, unice Sponsae suae nova imponeretur corona, ornata omni lapide pretioso." Communis autem cum Decessore Nostro fiducia Nobis est, ex contemplatione gloriae sancti Viri, multoque magis ex eiusdem documentis et exemplis, debilitari posse impiorum proterviam et confundi omnes qui "gloriantur in simulacris errorum."² Itaque renovati Carolo honores, qui gregis ac pastorum huius aetatis exstitit forma, sacraeque disciplinae in melius corrigendae impiger fuit propugnator et auctor adversus novos homines, quibus, non fidei morumque restitutio proposita erat, sed potius deformatio atque restinctio, quum solacio ac documento erunt catholicis universis, tum iisdem stimulos addent, ut in opus, cui tam impense studemus, instaurationis rerum omnium in Christo, strenue conspirent.

Exploratum profecto vobis est, Venerabiles Fratres, perpetuo exagitata Ecclesiam deseri a Deo nunquam omni consolatione destitutam. Eam namque *Christus dilexit ... et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*³ Quin etiam, quo effusior licentia, quo acrior hostilis impetus, quo erroris insidiae callidiores afferre illi supremum videntur exitium, usque adeo, ut filios non paucos de gremio eius avulsos in vitiorum et impietatis gurgitem transversos agant, eo praesentiorum experitur tutelam Numinis.

¹ Ex Bulla "*Unigenitus*" an. MDCX, Cal. Nov.

² Ex eadem Bulla "*Unigenitus*."

³ Eph. v, 25 sqq.

Efficit enim Deus ut error ipse, velint nolint improbi, in triumphum cedat veritatis, cui custodiendae Ecclesia advigilat; corruptio in incrementum sanctitatis, cuius altrix ipsa est atque magistra; vexatio in mirabiliorem salutem ex inimicis nostris. Ita fit ut, quo tempore Ecclesia profanis oculis videtur saevioribus iactata fluctibus ac paene demersa, tunc nempe pulchrior, validior, purior emergat, maximarum emicans fulgore virtutum.

Sic Dei summa benignitas novis argumentis confirmat, Ecclesiam opus esse divinum; sive quod in causa suscipiendi doloris maxima, ob irrepentes in ipsa eius membra errores et noxas, ei det superandum discrimen; sive quod ratum efficiat Christi verbum: *Portae inferi non prevalebunt adversus eam*,¹ sive quod eventibus illud comprobet: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*,² sive denique quod arcanae virtutis testimonium perhibeat, qua promissus a Christo, maturo huius in caelum reditu, *alius Paraclitus* in ipsam iugiter effunditur, ipsam tuetur et in omni tribulatione solatur; spiritus, *qui cum ipsa maneat in aeternum; spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum, quia apud vos manebit et apud vos erit*.³ Hoc ex fonte vita et robor Ecclesia derivatur; hinc quod eadem, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum habet, manifestis notis instructa et "tamquam signum levatum in nationes," a quavis alia societate secernitur.⁴

Nec sane absque divinae potentiae prodigio fieri potest ut, diffuente licentia et passim deficientibus membris, Ecclesia, quatenus est corpus Christi mysticum, a doctrinae, legum finisque sui sanctitate nunquam desciscat; ex iisdem rerum causis pares consecutiones et utilitates derivet; ex complurium filiorum fide ac iustitia fructus capiat salutis uberrimos. Nec minus perspicuum haustae a Deo vitae habet indicium, quod in tam foeda pravarum opinionum colluvie, in tanto perduellium numero, in errorum facie adeo multiplici, constans et immutabilis perseveret, *columna et firmamentum veritatis*, in unius professione doctrinae, in eadem communione sacramentorum, in divina sui constitutione, in regimine, in disciplina morum. Idque eo plus habet admirationis, quod ipsa, non solum resistit malo, sed etiam *vincit in bono malum*, nec bene precari desinit amicis atque inimicis, de eo tota laborans idque assequi cupiens, ut et communitas hominum et seorsim singuli christianis institutis renoventur. Est enim hoc proprium eius munus in terris, cuius beneficia vel ipsi eius inimici sentiunt.

¹ MATTH. XVI, 18.

² MATTH. XXVIII, 20.

³ IOAN. XIV, 16 sqq.-26, 59: -XIV, 7 sqq.

⁴ Sessio III, c. 3.

Mirabilis hic Dei providentis influxus in instaurationis opus ab Ecclesia provectum luculenter apparet ea maxime aetate, quae ad bonorum solacium dedit Carolum Borromeum. In eo dominatu cupiditatum, omni fere perturbata et offusa cognitione veritatis, perpetua erat cum erroribus domicatio, hominumque societas in pessima quaeque ruens, gravem videbatur sibi conflare perniciem. Inter haec superbi ac rebelles homines conurgebant, *inimici Crucis Christi ... qui terrena sapiunt ... quorum Deus venter est.*¹ Hi non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum intendentes, omnia miscebant, latiore sibi aliisque muniebant licentiae viam, aut certe auctoritatem Ecclesiae ductumque defugientes, pro lubitu corruptissimi cuiusque principis populive, quasi imposito iugo, doctrinam eius, constitutionem, disciplinam in excidium petebant. Deinde, iniquorum imitati morem, ad quos pertinet comminatio: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum*², rebellium tumultum et illam fidei morumque cladem appellarunt instaurationem, sese autem disciplinae veteris restitutores. Re tamen vera corruptores exstiterunt, quod, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones maturarunt, quibus uno velut impetu facto, triplex illud, antea disiunctum, dimicationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper evaserat; hoc est, primae aetatis cruenta certamina; domesticam subinde pestem errorum; denique, per speciem sacrae libertatis vindicandae, eam vitiorum luem ac disciplinae eversionem, ad quam fortasse nec aetas media processerat.

Decipientium hominum turbae Deus opposuit veri nominis instauratores, eosque sanctissimos, qui aut cursum illum praecipitem retardarent ardoremque restinguerent, aut illata inde damna sarcirent. Quorum labor assiduus et multiplex in restituenda disciplina eo maiori solacio Ecclesiae fuit, quo graviore haec premebatur angustia, comprobavitque sententiam: *Fidelis Deus, qui ... faciet etiam cum tentatione proventum.*³ Iis in adiunctis laetitiis Ecclesiae cumulavit oblata divinitus Caroli Borromei singularis navitas vitaeque sanctitas.

Fuit autem in eius ministerio, Deo sic disponente, propria quaedam vis et efficientia, non solum ad infringendam audaciam factiosorum, sed etiam ad erudiendos Ecclesiae filios atque excitandos. Illorum namque et insanos cohibebat ausus, et inanes criminationes diluebat, eloquentia usus omnium potentissima, suae vitae et actionis exemplo; horum vero spem erigebat,

¹ *Philip.* III, 18, 19.

² *ISAÏ.* V, 20.

³ *I Cor.* X, 13.

alebat ardorem. Atque illud in ipso fuit plane mirabile, quod veri restauratoris dotes, quas in aliis disiunctas cernimus atque distinctas, ab iuvenili aetate in se omnes recepit in unum collectas, virtutem, consilium, doctrinam, auctoritatem, potentiam, alacritatem, effecitque ut in commissam sibi catholicae veritatis defensionem contra grassantes errores, quod idem erat Ecclesiae universae propositum, singulae conspirarent, intermortuam in multis ac paene restinctam excitans fidem, providis eam legibus institutisque communiens, collapsam disciplinam restituens, cleri populique mores ad christianae vitae rationem strenue revocans. Sic, dum partes instauratoris tuetur omnes, haud minus mature *servi boni et fidelis* fungitur muniis, ac deinde sacerdotis magni, *qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus*; plane dignus in quem cuiusvis generis homines tum e clero tum e populo, divites aequae ac inopes, tamquam in exemplar intueantur, cuius excellentiae summa in episcopi atque antistitis laude continetur, qua, Petri Apostoli dictis obtemperans, factus est *forma gregis ex animo*.¹ Nec minus movet admirationem quod Carolus, nondum exacto anno aetatis suae vicesimo, summos honores consecutus, magnis ac perarduis Ecclesiae negotiis tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, per contemplationem rerum divinarum, qua in sacro secessu animum renovaverat, in dies magis contenderet, eluceretque *spectaculum ... mundo et angelis et hominibus*.

Tum vere Dominus coepit, ut memorati Decessoris Pauli V verbis utamur, *mirabilia sua* in Carolo pandere; sapientiam, iustitiam, divini honoris et catholici provehendi nominis studium flagrantissimum, in primisque curam instaurandae Fidei Ecclesiaeque universae, quod opus in augusto illo Tridentino Consilio agitabatur. Cuius habitus laus ab eodem pontifice ab omnique posteritate sic tribuitur Carolo, quasi viro, qui, non ante illius exsequutor exstiterit fidelissimus, quam propugnator acerrimus. Nec enim sine multis eius vigiliis, angustiis, laboribus omne genus, res est ad exitum perducta.

Haec tamen omnia nihil erant aliud nisi praeparatio quaedam vitaeque tirocinium, quo et pietate animus et mens doctrina et labore corpus exercerentur, ita ut modestus iuvenis ac de se demisse sentiens instar esset argillae in manibus Domini eiusque in terris Vicarii. Hanc scilicet rationem ineundae viae novarum rerum fautores illi contemnebant eadem stultitia qua nostri, minime secum reputantes, mirabilia Dei ex umbra et silentio parentis animi pieque precantis in apricum proferri, in eaque exercitatione germen futuri adscensus, haud secus ac in semente spem colligendae messis, includi.

¹ I Petr. v, 3.

Nihilominus, quod paullo superius attigimus, auspicata tam faustis initiis vitae sanctitas et actio tum se maxime explicuit effuditque fructus uberrimos, quum, "urbano splendore et amplitudine relictis, bonus operarius in messem quam susceperat (Mediolanum), discedit, ubi partes suas in dies magis implendo, agrum illum, malitia temporum, vepribus turpiter deformem ac silvescentem, in eum restituit nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem, praeclarum exemplum redderet ecclesiasticae disciplinae."¹ Tam multa tamque praeclara is est consequutus conformando instaurationis opus ad normas a Concilio Tridentino paullo ante propositas.

Enimvero Ecclesia, probe intelligens, quam sint *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona*,² cum vitiis et erroribus dimicare nunquam destitit, *ut destruat corpus peccati et ultra non serviamus peccato*.³ Qua in contentione, quemadmodum ipsa sibi magistra est et impellitur gratia, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*; ita cogitandi agendique normam sumit a Doctore gentium, aiente: *Renovamini spiritu mentis vestrae*.⁴ *Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta*.⁵ Quam quidem se metam contigisse Ecclesiae filius atque instaurator non fictus existimat nunquam: ad eam tantummodo niti proficitur cum eodem apostolo; *quae retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu*.⁶

Inde consequitur ut et nos cum Christo in Ecclesia coniuncti *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus ... augmentum facit in aedificationem sui in charitate*,⁷ et Ecclesia Mater in dies magis efficiat ratum sacramentum divinae voluntatis, hoc est, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo*.⁸

Ad haec animum non intenderunt auctores illi redintegrandae suo marte fidei ac disciplinae, quorum conatibus restitit Borromeus; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Ecclesiae doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de ne-

¹ Bulla "Unigenitus."

² Gen. VIII, 21.

³ Rom. VI, 6.

⁴ Ephes. IV, 23.

⁵ Rom. XII, 2.

⁶ Philip. III, 13, 14.

⁷ Ephes. IV, 15, 16.

⁸ Ephes. I, 9, 10.

gotio valde laborent, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denuntiata per Nos fuerunt atque damnata. Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiae fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quae Caroli aetatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiae venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

Utriusque pestis origo eadem: *inimicus homo*, qui ad humanae gentis perniciem haud sane exsommis, *superseminavit zizaniam in medio tritici*;¹ idem abditum iter ac tenebricosum; eadem progressio, idem appulsus. Etenim, quemadmodum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatum partes aut popularium alteram adversus alteram concitabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessumdaret; sic recentior ista clades mutuum exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miserrimam luatque poenam iis irrogatam, qui non *regnum Dei et iustitiam eius* quaerunt, sed caducis his rebus fluxisque adhaerescunt. Atque illud etiam graviorem facit praesentem conflictationem, quod, quum superiorum temporum turbulenti homines e doctrinae divinitus revelatae thesauro certa quaedam et fixa plerumque retinerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem coniunctionem disrumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in praesens, formidolosum in posterum; non quod Ecclesiae incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime quae pestiferum impietatis afflatum aut impensius foveat aut ferunt patientius.

In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo dilatando socii et adiutores potentes accedunt interdum vel ipsi, qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent prae ceteris; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebris tam variis, quibus utrisque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinae, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum aevi placitis amice componi, plane intelligitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doc-

¹ MATTHE. XIII, 25.

trinae capita pervertendo, haec a Carolo saepe commendata meminerimus: "Prima et maxima Pastorum cura versari debet in iis quae ad fidem catholicam, quam S. Romana Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impossibile est placere Deo*, integre inviolateque servandam pertinent."¹ Et rursus: "In eo genere . . . nullum tantum studium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi possit."² Quapropter "haereticæ pravitatis fermento," quod nisi cohibeatur *totam massam corrumpit*, hoc est pravis opinionibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *modernismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinae et reputandum cum Carolo: "quam summum in haeresis crimine profligando studium et cura quam longe omnium diligentissima episcopi esse debeat."³

Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri commemorantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, poenas in eos antistites constitutas, quibus purgandae dioecesis ab "haereticæ pravitatis fermento" esset cura remissior. Nonnihil tamen iuverit ad ea quae inde concludit diligenter attendere. "Proinde, inquit, in ea perenni sollicitudine perpetuaque vigilia episcopus versari in primis debet, ut, non modo pestilentissimus ille haeresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepat, sed omnis plane suspicio ab eo quam longissime absit. Si vero fortasse, quod pro sua pietate et misericordia Christus Dominus avertat, irrepserit, in eo maxime elaboret omni ope, ut quam celerrime depellatur: quique ea labe infecti erunt, vel suspecti, cum illis agatur ad canonum sanctionumque pontificiarum praescriptum."⁴

Verum nec propulsari possunt errorum contagia nec praecaveri nisi in recta clari populi institutione pars curarum ponatur maxima. Nam *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*.⁵ Veri autem omnium auribus inculcandi necessitas nunc magis imponitur: quum per omnes reipublicae venas, atque etiam qua minime crederes, serpere cernimus malum virus; adeo ut ad omnes hodie pertineant adductae a Carolo causae hisce verbis: "Haereticis finitimi nisi in fidei fundamentis firmi fuerint ac stabiles, summopere verendum esset, ne forte ab eis in aliquam impietatis ac nefariae doctrinae fraudem facilius adducerentur."⁶ Nunc enim, expeditioribus itineribus, quemadmodum ceterarum rerum, ita etiam errorum sunt aucta com-

¹ Conc. Prov. I, sub initium.

² Conc. Prov. V, Pars I.

³ Ibid.

⁴ Ibid.

⁵ Rom. x, 17.

⁶ Conc. Prov. V, Pars I.

mercia, proiectisque ad licentiam cupiditatibus, in prava societate versamur, ubi *non est veritas . . . et non est scientia Dei*,¹ *in terra quae desolata est . . . quia nullus est qui recogitet corde*.² Quamobrem Nos, ut Caroli verba usurpemus: "multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes ac singuli Christi fideles in fidei christianae rudimentorum institutione erudirentur;"³ eademque de re, tamquam de negotio gravissimo scripsimus Encyclicas Litteras.⁴ Etsi vero nolumus et illa Nobis aptare, quibus inexplibili desiderio flagrans Borromeus queritur, "parum huc usque profecisse tanta in re"; nihilominus eadem, qua ipse, "negotii periculique magnitudine adducti," addere stimulos velimus omnibus, ut, Caroli similitudinem arripientes, pro suo quisque munere aut viribus, in christianae restorationis opus conspirent. Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio pastor ille sanctissimus eosdem constanter monuerit ut liberis, domesticis, famulis addiscendae christianae doctrinae, non solum copiam facerent, sed etiam onus imponerent. Clericis pariter memoria ne excidat, in fidei rudimentis tradendis a se operam dandam esse curioni; huic vero studendum, ut eiusmodi scholae suppetant plures, christifidelium numero ac necessitati pares et magistrorum probitate commendabiles, quibus adiutores addiscantur honesti viri aut mulieres, prout Mediolanensis ipse praescribit antistes.⁵

Christianae huius institutionis aucta necessitas, quum ex reliquo nostrorum temporum morumque decursu eminet, tum vero potissimum ex publicis discendi ludis, omnis religionis expertibus, ubi sanctissima quaeque rideri voluptatis loco fere ducitur, aequae pronis ad impietatem et magistrorum labiis et auribus auditorum. Scholam dicimus, quam *neutram*, seu *laicam* per summam iniuriam appellant, quum non sit aliud nisi tenebricosae sectae dominatus praepotens. Novum hoc praeposterae libertatis iugum magna quidem voce et bonis lateribus denuntiastis vos, Venerabiles Fratres, praesertim in locis ubi audacius proculcata sunt iura religionis ac familiae et oppressa naturae vox imperantis ut adolescentium candori fideique parcat. Cui calamitati ab iis illatae, qui, quam ab aliis obedientiam exigunt, eandem supremo rerum Domino recusant, quantum in Nobis est medendum rati, auctores fuimus ut scholae religionis opportune per urbes instituerentur. Quod opus quamquam hactenus, adnitentibus vobis, satis bene prospereque pro-

¹ Os. IV, I.

² IEREM XII, II.

³ Conc. Prov. V, Pars I.

⁴ Encycl. "*Acerbo nimis*," die xxv m. Aprilis MDCCCcv.

⁵ Conc. Prov. V, Pars I.

cessit, nihilominus magnopere expetendum est ut in dies latius proferatur, hoc est ut eiusmodi magisteria et pateant ubique complura et praeceptoribus abundant doctrinae laude vitaeque integritate commendatis.

Cum hac primordiorum saluberrima disciplina valde coniunctum est officium sacri oratoris, in quo memoratae virtutes multo magis requiruntur. Itaque Caroli studia et consilia provincialibus in Synodis ac dioecesanis eo potissimum fuere conversa ut concionatores fingerentur, qui in ministerio verbi versari sancte atque utiliter possent. Quod idem, ac forte gravius, quae modo sunt tempora postulare a nobis videntur, quum tot hominum nutet fides, nec desint qui, captandae gloriolae cupidine, ingenio aetatis indulgeant, *adulterantes verbum Dei*, vitaeque cibum subducentes fidelibus.

Quamobrem summa vigilantia cavendum nobis est, Venerabiles Fratres, ne per vanos homines ac leves vento pascatur grex; sed ut vitali alimento roboretur per ministros verbi, ad quos illa pertinent: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: reconciliamini Deo,¹ per ministros et legatos non ambulantes in astutis, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes semetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo,² operarios inconfusibiles tractantes verbum veritatis.³* Nec minus usui nobis erunt normae illae sanctissimae maximeque frugiferae, quas mediolanensis antistes, Paullinis verbis expressas, commendare solebat fidelibus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.⁴*

Ita sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio,⁵ non solum ad fidei conservationem ac tutelam adducet, sed etiam ad virtutum proposita mire animos inflammabit; quia *fides sine operibus mortua est,⁶ et non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.⁷*

Atque hac etiam in re cernere licet, utriusque instaurationis quam sit ratio dissimilis. Nam qui falsam propugnant, ii stultorum imitati inconstantiam, praecipiti cursu solent ad extrema decurrere, sive fidem sic efferentes, ut ab ea recte agendi necessitatem seiungant, sive in sola natura excellentiam omnem virtutis collocantes, remotis fidei ac divinae gratiae praesidiis.

¹ II Cor. v, 20.

² II Cor. iv, 2.

³ II Tim. ii, 15.

⁴ I Thess. ii, 13.

⁵ Hebr. iv, 12.

⁶ Iacob. ii, 26.

⁷ Rom. ii, 13.

Quo fit ut, quae a naturali honestate ducuntur officia nihil sint aliud nisi simulacra virtutis, nec diuturna illa quidem, nec ad salutem satis idonea. Horum igitur actio, non ad restaurationem disciplinae, sed ad fidei morumque eversionem est comparata.

Contra qui ad Caroli exemplum, veritatis amici minimeque fallaces, salutari rerum conversioni student, hi extrema devitant, neque certos excedunt fines, quos ultra nequit instauratio ulla consistere. Etenim Ecclesiae eiusque Capiti Christo firmissime adhaerentes, non modo inde robur vitae interioris hauriunt, sed exterioris etiam actionis metiuntur modum, ut sanandae hominum societatis opus tuto aggrediantur. Est autem proprium divinae huius missionis, in eos perpetuo transmissae qui Christi legatione functuri essent, *docere omnes gentes*, non solum ea quae ad credendum, sed etiam quae ad agendum pertinerent, hoc est, uti Christus edixit: *servare omnia quaecumque mandavi vobis.*¹ Ipse enim est *via, veritas et vita*,² qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant.*³ Quia vero officia illa retineri omnia duce tantum natura est difficillimum, quin etiam multo positum superius quam ut humanae vires ipsae per se consequi possint; idcirco Ecclesia magisterio suo adiunctum habet christianae regimen societatis eiusque ad omnem sanctitatem instituendae munus, dum per eos qui pro suo quisque statu et officio sese illi ministros adiutoresve praebent, apta et necessaria salutis instrumenta suppeditat. Quod plane intelligentes verae instaurationis auctores, non ii surculos, praeservandae radices gratia, coercent, hoc est, non fidem a vitae sanctitate seiungunt, sed utramque alunt foventque halitu caritatis, quae *est vinculum perfectionis.*⁴ Idem, dicto audientes Apostolo, *depositum custodiunt*,⁵ non ut gentibus notitiam eius occulant lumenque subducant, sed quo deductos ex eo fonte veritatis ac vitae saluberrimos rivos latius recludent. In eaque copia doctrinam ad usum adiungunt, illa utentes ad praecripiendam *circumventionem erroris*, hoc ad praecepta in mores actionemque vitae deducenda. Quamobrem instrumenta omnia ad finem vel apta vel necessaria comparant, quum ad extirpationem peccati, tum *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.*⁶ Huc sane spectant Patrum et Conciliorum statuta canones, leges; huc adiumenta illa doctrinae, regiminis, beneficentiae omne

¹ MATTH. XXVIII, 18, 20.

² IOAN. XIV, 6.

³ IOAN. X, 10.

⁴ Coloss. III, 14.

⁵ I Tim. VI, 20.

⁶ Eph. IV, 12.

genus; huc denique disciplina et actio Ecclesiae universa. Hos fidei virtutisque magistros intentis oculis animoque intuetur verus Ecclesiae filius, cui sua ipsius emendatio proposita est atque aliorum. His auctoribus, quos crebro memorat, in instauranda Ecclesiae disciplina nititur Borromeus; ut quum scribit: "Nos veterem sanctorum Patrum sacrorumque Conciliorum consuetudinem et auctoritatem, in primis oecumenicae Synodi Tridentinae secuti, de iis ipsis multa superioribus nostris Conciliis Provincialibus constituimus." Idem ad consilia publicae corruptelae coercendae adductum se profitetur "et sacrorum canonum iure et sacrosanctis sanctionibus, et Concilii in primis Tridentini decretis."¹

His non contentus, quo sibi melius caveret ne forte ab ea norma unquam discederet, a se statuta in Synodis provincialibus ita fere concludit: "Omnia et singula quae a nobis in hac provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus obedientia et reverentia, auctoritati ac iudicio Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et magistrae, semper emendanda et corrigenda subicimus."² Quam quidem voluntatem ostendit eo propensioem, quo in dies magis ad actuosae vitae perfectionem grassabatur; nec solum quamdiu cathedram Petri occupavit patruus, sed etiam sedentibus, qui ei successerunt, Pio V et Gregorio XIII, quibus quemadmodum strenue suffragatus est ad pontificatum, sic in rebus maximis validum se socium adiunxit eorumque expectationi cumulate respondit.

Potissimum vero ipsorum voluntati est obsequutus instruendis rebus ad propositum sibi finem idoneis, hoc est ad sacrae disciplinae instauracionem. Qua in re prorsus ab illorum ingenio, qui speciem studii fervidioris imponunt contumaciae suae. Itaque, incipiens *iudicium a domo Dei*,³ primum omnium cleri disciplinae ad certas leges conformandae animum adiecit; cuius rei causa sacri ordinis alumnorum Seminaria excitavit, sacerdotum congregationes, quois nomen *oblatis*, instituit, religiosas familias tum veteres tum recentiores adscivit, concilia coegit, quaesitis undique praesidiis coeptum opus munivit auxitque. Mox emendandis populi moribus haud remissioem admovit manum, sibi dictum reputans quod olim prophetae: *Ecce constitui te hodie . . . ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipēs, et aedifices et plantes*.⁴ Quare bonus pastor ecclesias provinciae ipse per se nec sine magno labore lustrans, arrepta similitudine divini Magistri, *pertransiit benefaciendo et sanando gregis vulnera*; quae

¹ Conc. Prov. V, Pars I.

² Conc. Prov. VI sub finem.

³ I Petr. IV, 17.

⁴ IER, I, 10.

passim deprehenderet incommoda, sive ex inscitia sive ex neglectu legum profecta, tollere atque eradere summa ope contendit; opinionum pravitati et exundanti coeno libidinum quasi aggerem obiecit a se apertos puerilis institutionis ludos et epheborum convictus; auctas, quas in Urbe primum excitatas noverat, consociationes Mariales; reclusa orbitati adolescentium hospitia; mulierculis periclitantibus, viduis, aliisque, tum viris tum feminis, egenis aut morbo seniove confectis, patefacta perfugia; pauperum tutelam ab impotentia dominorum, ab iniquo fœnore, ab exportatione puerorum, aliaque id genus quamplurima. Haec autem sic praestitit, ut ab eorum consuetudine toto caelo adhorreret, qui, in renovanda suo marte christiana republica, omnia cuncta agitantque vanissimo strepitu, divinae vocis immemores: *non in commotione Dominus.*¹

Hac nempe altera nota, prout vos experiendo didicistis, Venerabiles Fratres, veri nominis instauratores distinguuntur a fictis, quod illi *quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi*,² pronisque auribus excipientes insidiosa dicta ad Magistrum divinum olim conversa: *manifesta teipsum mundo*,³ superbas iterant voces: *Faciamus et ipsi nobis nomen.* Cuius temeritatis causa, quod etiam nunc fieri saepe dolemus, *cecidervnt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium.*⁴

Contra qui societati hominum ad meliora deducendae sincero animo studet, is *non propriam gloriam quaerit, sed gloriam eius qui misit eum*; ⁵ seque ad Christi exemplum conformans, *non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; non erit tristis neque turbulentus*,⁶ sed *mitis et humilis corde.*⁷ Hic et probatus Deo erit et salutis fructus consequetur amplissimos.

In eo quoque secernuntur alter ab altero, quod ille, humanis tantum innixus viribus *confidit in homine et ponit carnem brachium suum*; ⁸ hic vero fiduciam omnem in Deo collocat; ab Ipso et a supernis opibus vim omnem et robur exspectat, iterans Apostoli verba: *Omnia possum in eo qui me confortat.*⁹

Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quaerit Ecclesia ad communem salutem, in primisque precandi studium, sacrificium, sacramenta, quae fiunt *quasi fons*

¹ III Reg. XIX, II.

² Philip. II, 21.

³ IOAN. VII, 4.

⁴ I MACHAB. V, 57, 67.

⁵ IOAN. VII, 18.

⁶ ISAI. XLII, 2 sq.—MATTH. XII, 19.

⁷ MATTH. XI, 29.

⁸ IER. XVII, 5.

⁹ Philip. IV, 13.

*aquae salientis in vitam aeternam.*¹ Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instaurationis opus contendunt, nunquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbulentos facere, ut christianus grex inde arceatur. Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum assecclae, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa paenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restingui.

Ita plane se gessit Borromeus, cuius inter cetera hoc scriptum legimus: "Quo maior et uberius est sacramentorum fructus quam ut eius vis explicari facile possit, eo diligentius et intima animi pietate et externo cultu ac veneratione tractanda ac percipienda sunt."² Illa quoque memoratu dignissima quibus curiones aliosque sacros concionatores vehementer hortatur, ut caelestis alimenti crebram gustationem in pristinam consuetudinem revocarent; quod idem Nos egimus decreto, cui initium: *Tridentina Synodus*. "Ad saluberrimum illum, ait sanctus Antistes, sacrae Eucharistiae frequenter sumendae usum, parochi . . . et concionatores item quam saepissime populum cohortentur, nascentis Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Patrum vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi romani doctrina, et sententia denique Tridentinae Synodi, quae optaret quidem fideles, in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare."³ Qua vero mente, quo animo adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis: "Populus, cum ad frequentem SSmi. Sacramenti sumendi usum excitetur, tum etiam commonefiat, quam periculosum exitiosumque sit ad sacram divini illius cibi mensam indigne accedere."⁴ Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime haec tempora nutantis fidei et languescitis caritatis, ne forte ex frequentiore usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.*⁵

Ex iis fontibus dives gratiae vena manabit, unde succum trahant et alantur humanae quoque ac naturales industriae. Nec

¹ IOAN. IV, 14.

² Conc. Prov. I, Pars II.

³ Conc. Prov. III, Pars I.

⁴ Conc. Prov. IV, Pars II.

⁵ I Cor. XI, 28.

enim actio christiani viri quae usui sunt et adiumento vitae despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiae ac naturae profecta; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitae finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conferet ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto : *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.*¹

Ordinatus et sapiens hic rerum usus tantum abest ut inferioris ordinis, idest societatis civilis bono adversetur, ut potius huius commoda maxime provehat; nec id inani verborum iactatione, qui mos est factiosorum hominum, sed re ipsa et summa contentione, usque ad bonorum, virium, vitaeque iacturam. Cuius exempla fortitudinis prae ceteris exhibent sacrorum antistites complures, qui, rebus Ecclesiae afflictis, Caroli ardorem aemulati, divini Magistri ratas efficiunt voces : *Bonus pastor animam suam dat pro ovis suis.*² Hi quidem, non gloriae cupidine, aut studio partium, aut privati alicuius commodi causa, ad se devovendos pro communi salute trahuntur, sed caritate illa quae *nunquam excidit*. Hac flamma, quae profanos oculos latet, incensus Borromeus, quum ob praestitam lue correptis operam se in mortis discrimen coniecisset, nihilominus praesentibus occurrisset malis non contentus, de futuris etiam sollicitum se sic ostendit : “Omni rationi plane consentaneum est, ut, quemadmodum parens optimus, qui filios unice diligit, cum in praesenti tum in futuro eis prospicit ac parat quae sunt ad vitae cultum necessaria; ita nos paternae charitatis officio adducti, omni prae cautione fidelibus provinciae nostrae in hoc Concilio provinciali quinto consulamus provideamusque deinceps quae experiendo cognovimus, pestilentiae tempore, salutaria esse adiumenta.”³

Eadem haec providentis animi studia et consilia, Venerabiles Fratres, per eam quam saepe commendavimus, catholicam actionem, in rem usumque deducuntur. In partem vero ministerii huius amplissimi, quod officia omnia misericordiae, sempiterno donanda regno complectitur,⁴ selecti etiam e populo advocantur viri. Qui, ubi semel id oneris in se receperint, parati et instructi esse debent ad se suaeque omnia plane devovenda pro optima causa, ad obsistendum invidiae, obtreptioni et infenso quoque multorum animo, qui malefactis beneficia repensant, ad laborandum *sicut bonus miles Christi*,⁵ et currendum *per*

¹ LUC. XII, 31.—MATTH. VI, 33.

² IOAN. X, 11.

³ CONC. PROV. V, Pars II

⁴ MATTH. XXV, 34 sq.

⁵ II Tim. II, 3.

*patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum.*¹ Acerbum sane luctae genus, sed ad bonum civitatis apprime conducens, etiamsi plenam victoriam remoretur dies.

In his etiam, quae modo dicta sunt, illustria Caroli exempla intueri licet, atque inde sumere quae pro sua quisque conditione imitetur et quibus animum erigat. Etenim quem et singularis virtus et mira solertia et effusa caritas adeo spectabilem effecerunt, nec ipse tamen alienam sibi sensit hanc legem: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*² Itaque quod asperioris vitae sectaretur genus, quod recta semper et honesta retineret, quod incorruptus legum iustitiaeque vindex exsisteret, hoc ipso primorum in se invidiam collegit; reipublicae gerendae peritorum vaftris artibus est obiectus; magistratus habuit infensos; in optimatum, cleri populique suspicionem venit; flagitiosorum denique hominum capitale odium sibi conflagavit, ad necem usque petitus. Quibus omnibus, quamvis miti esset suavique indole, invicto animo restitit.

Nec modo nihil cessit in iis quae fidei ac moribus exitio forent, sed ne postulationes quidem excepit adversas disciplinae aut fideli populo graves, etiamsi allatas, ut creditur, a rege potentissimo et ceteroquin catholico. Idemque memor verbi Christi: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,*³ atque apostolorum vocis: *obedire oportet Deo magis quam hominibus,*⁴ non de causa tantum religionis optime meruit, verum etiam de ipsa societate civili, quam insanientis prudentiae poenas luentem, commotisque suapte manu seditionum fluctibus paene submersam abduxit certissimae morti.

Eadem sane laus et gratia debebitur catholicis huius temporis viris eorumque strenuis ducibus episcopis, quibus in utrisque nullae officiorum partes, quae civium sunt, desiderari poterunt unquam, sive agatur de servanda fide ac reverentia *dominis etiam dyscolis* iusta praecipientibus, sive de ipsorum iniquis imperiis detrectandis, aequae remota tum procaci licentia delabentium in seditiones ac turbas, tum servili abiectioe excipientium quasi sacras leges impia statuta pessimorum hominum, qui mentito libertatis nomine iura omnia pervertentes, durissimam imponunt servitutem.

Haec nempe in conspectu terrarum orbis et in media luce praesentis humanitatis geruntur penes quandam potissimum

¹ *Hebr.* XII, 1, 2.

² *II. Tim.* III, 12.

³ *MATTH.* XXII, 21.

⁴ *Act.* V, 29.

gentem, ubi principem sibi sedem constituisse videtur *potestas tenebrarum*. Quo praepotenti sub dominatu iura omnia filiorum Ecclesiae miserrime proculcantur, extincto penitus in reipublicae rectoribus omni sensu magnanimitatis, urbanitatis ac fidei, quibus virtutibus eorum patres, christiano titulo insignes, tamdiu inclaruerunt. Adeo liquet, concepto semel in Deum et in Ecclesiam odio, retro sublapsa referri omnia, et ad antiquae libertatis ferociam, seu verius ad crudelissimum iugum, per unam Christi Familiam eiusque invectam disciplinam depulsum cervicibus, fieri cursum praecipitem. Aut, quod idem significavit Carolus, adeo est "certum atque exploratum, nulla alia re Deum gravius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quam haerensum labe provocari; nihilque rursus ad provinciarum regnorumque interitum maiores vires habere, quam teterrimam illam pestem."¹ Quamquam multo etiam funestior existimanda est hodierna conspiratio ad christianas gentes ab Ecclesiae sinu avellendas. In summa enim dissensione sententiarum ac voluntatum, quae propria nota est aberrantium a vero, in una re inimici consentiunt, hoc est in pertinaci iustitiae ac veritatis oppugnatione; cuius utriusque quia custos est ac vindex Ecclesia, in hanc unam confertis ordinibus impetum faciunt. Cumque se neutris in partibus esse, aut etiam causam pacis fovere dictitent, mellitis quidem verbis, at non dissimulatis consiliis, nihil aliud revera agunt, nisi ut insidias locent, addentes damno ludibrium, fraudem violentiae. Novo igitur certaminis genere per hos dies christianum impetitur nomen; belli moles conflatur longe periculosior ac pugnae antea pugnatae, ex quibus tam amplam collegit gloriam Borromeus.

Inde exempla nobis omnibus ac documenta sumentes, pro rebus maximis, quibus et privata et publica salus continetur, pro fide ac religione, pro sanctitate publici iuris, alacri erectoque animo dimicabimus, dolenda quidem necessitate compulsi, sed suavi simul freti fiducia, omnipotentem Deum tam gloriosa in acie militantibus victoriam deproperaturum. Cui fiduciae robur addit Caroliani operis producta ad hanc usque aetatem vis et potentia, sive ad intemperantiam ingeniorum compescendam, sive ad obfirmandum animum in proposito sancto instaurandi omnia in Christo.

Licet nunc, Venerabiles Fratres, iisdem verbis dicendo finem imponere, quibus pluries memoratus Decessor Noster Paulus V Litteras absolvit decernentes Carolo supremos honores: "Aequum est igitur dare nos gloriam et honorem et benedictionem viventi in saecula saeculorum, qui benedixit conservum

¹ Conc. Prov. V, Pars I.

nostrum in omni benedictione spiritali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum illum dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad divinam clementiam ore et opere supplicantes, ut Carolus Ecclesiae quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis et exemplo, adsit patrocinio et in tempore iracundiae fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum."¹

Accedat his votis cumuletque communem spem Apostolicae benedictionis auspiciis, quam vobis, Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero populoque peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxvi mensis Maii, anno MDCCCcx, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

APOSTOLIC CONSTITUTION DE SUBURBICARIIS DIOECESIBUS.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicae Romanorum Pontificum sollicitudinis, vel ab ipsis Ecclesiae primordiis, praecipua pars fuit ut christiani populi salus efficaci et constanti ministerio illorum esset commendata, de quibus scriptum est: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Inter hos principem sane locum obtinent qui, e numero Patrum Cardinalium, sedes occupant Urbi propiores, quibus proinde nomen inditum est Suburbicariis.

Hi Antistites et amplitudine dignitatis et excellentia doctrinae, non minus quam ceteris virtutibus, praesertim liberalitate, munificentia, studio provehendae fidelium salutis, quantum splendoris et opis in loca contulerint ipsorum iurisdictioni subiecta, ad haec usque tempora historiae monumenta testantur. Verum recentius rerum hominumque adiuncta longe immutata, ipsorum regimen effecerunt in dies difficilior. Hinc enimvero memoratae dioeceses graviore in necessitate versantur et impensiores curam vigilantiamque desiderant. Nam qui anteactis tempori-

¹ Bulla "*Unigenitus*."

bus suburbani populi, colendis agris plerique dediti, quietam vitam tutamque ducebant, hodie, multiplicatis commerciis, expeditioribus itineribus, auctoque proinde numero confluentium hominum, in quotidianum vocantur Fidei morumque discrimen. Ex altera vero parte obeunda Cardinalibus in Urbe negotia adeo sunt multiplicata, ut eorum paene mole obruantur, praesertim ob tot tantasque quibus Ecclesia nunc premitur necessitates. Quo fit ut suppetendis auxiliis et impendendis curis, quibus, commissae iisdem dioeceses in praesenti rerum conditione maxime indigent, ac praestandae operae in negotiis quae apud Apostolicam Sedem pertractantur, ingravescente praesertim aetate, tempus et vires interdum non sufficiant. His de causis Apostolicae Sedi opportunum et necessarium visum est suburbicariis dioecesibus eorumque regimini aliquam temperationem afferre, qua Cardinales Episcopi Suburbicarii, sarcta tectaque eorum dignitate in dioecesibus sibi commissis, per efficacius Suffraganeorum ministerium suppetias haberent, atque ita et pastoralis sollicitudo ipsis fieret aliquanto levior et suarum dioecesium spiritualibus necessitatibus melius consuleretur.

Quare omnia matura deliberatione complexi, adhibitisque in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, quos inter Suburbicariis, firmo manente iure constituto de optione et nominatione Patrum Cardinalium ad suburbicarias dioeceses, vi praesentium Litterarum constituimus ac praecipimus ut circa Episcopos Cardinales Suburbicarios eorumque Suffraganeos legum capita, quae infra scripta sunt, perpetuo inviolateque serventur.

I. Cardinalis, ad Sedem suburbicariam promotus, ipse verus est Episcopus dioecesis, cuius possessionem inibit eadem ratione qua ceteri episcopi residentiam habentes.

II. Disciplina quae huc usque vixit ut Emis. Episcopis Sabinesi et Veliterno adiutor daretur suffraganeus Episcopus, ad omnes extenditur Cardinales Suburbicarios, quibus idcirco singulis suus erit in posterum suffraganeus Episcopus cum sede titulari.

III. Suffraganeus a Summo Pontifice nominabitur et sui officii possessionem capiet, litteras nominationis exhibendo Episcopo Cardinali.

IV. Cardinalis Suffraganeo adtribuat et vi praesentis Constitutionis irrevocabiliter adtribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria ita ut uni Suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac Episcopo residenti, quae hisce litteris contraria non sint.

V. Suffraganeus dioecesim gubernat nomine et vice Cardinalis.

VI. Cardinali vita functo vel renuntiante vel ad aliam dioe-

cesim translato, Suffraganei iurisdictio non cessat, sed ipse dioecesim tunc regit nomine Sanctae Sedis ad instar Administratoris Apostolici.

VII. Ipse debet quotannis de statu dioecesis etiam oeconomico ad Cardinalem referre.

VIII. Ubi fieri poterit pars aedium episcopalium a Sancta Sede destinabitur Suffraganeo et Curiae.

IX. Ad unum Cardinalem pertinent solemnes oleorum benedictiones et pontificalia in festis anni maioribus, prout in *Caere-
moniali episcoporum* descripta sunt; nisi forte Cardinalis ipse velit ea Suffraganeo committere.

X. Cardinalis debet Missam, sicuti ceteri episcopi residentes, pro populo applicare.

XI. Insigne tantum Cardinalis domui episcopali, cathedrali aedi, aliisque templis, piisve de more locis et actis Curiae apponatur.

XII. Solium in dioecesi et nomen in canone Cardinali uni competit.

XIII. Cardinalis, etiam absens, facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum.

XIV. Uni Cardinali, quo tempore in dioecesi commoratur, ius est pontificalia in eadem peragendi aut permittendi.

XV. Beneficia Capitulorum sive cathedralium sive collegialium et beneficia parochialia Sanctae Sedi non reservata, nequeunt a Suffraganeo, servatis servandis, conferri absque Episcopi Cardinalis consensu.

XVI. Cardinalis ius est vigilandi dioecesim, et, si opportunum duxerit, etiam lustrandi, ne quid fides aut ecclesiastica disciplina detrimenti patiatur.

XVII. Potest in sua dioecesi Cardinalis matrimoniis assistere et reliqua sacramenta ministrare omnia. Candidati tamen ad tonsuram et ad ordines doctrinae periculo subiiciantur et probentur a Suffraganeo; cui ceterum non licet ordines conferre, aut conferendos alii committere absque venia Cardinalis.

XVIII. Synodus haberi nequit sine consensu Cardinalis; eiusque nomine convocanda est. Synodi autem decreta antequam promulgentur, Cardinali cognoscenda deferantur, eiusque nomine promulgari debent.

XIX. Beneficia etiam parochialia in dioecesi ne uniantur, dividantur, dismembrentur, inaudito Cardinali.

XX. Idem Cardinalis audiri debet, antequam Seminarii rector, professores, oeconomus nominentur.

XXI. Vita functo Suffraganeo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, Cardinalis per vicarium dioecesis administrationi, providebit, donec a Sancta Sede nominetur successor.

XXII. Vita functo Cardinali eadem debentur iusta funebria quae Cardinali Episcopo residenti.

Igitur quaecumque his Litteris decreta, declarata, sancita sunt ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, eaque rata, valida, firma in omnes partes esse ac fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis. Cardinales autem qui modo Suburbicariis dioecesibus praesunt, eas regere pergant, ut ante, nisi velint ac petant praesenti Constitutioni se accommodare.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo decimo, die 15 Aprilis, Pontificatus Nostri anno septimo.

A. Card. AGLIARDI,
S.R.E. Cancellarius.

C. Card. DE LAI,
S.C. Consistorialis Sec.

Loco ✠ Plumbi.

Visa,

M. RIGGI C.A., Not.

Reg. in Canc. Ap. N. 556.

MOTU PROPRIO

De Concessionibus Indulgentiarum a Suprema S. Congregatione S. Officii Recognoscendis.

Cum per Apostolicas Nostras Litteras *de Romana Curia* quae incipiunt "*Sapienti Consilio*," III Kal. Jul. an. MDCCCXVIII datas, *universam rem de indulgentiis*, ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earumdem publicatione et impressione, uni Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad praecavendas dubitationes quascumque quae ex concessionibus hac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earumdem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Auctoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus ac decernimus:

1.º Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supra-dicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2.º Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus;

3.º Concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus

supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit ;

4.^o Quoad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint ;

5.^o Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earundem dictae Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.



DECREES.



CONGREGATION OF THE CONSISTORY

DECRETUM

De Secreto Servando in Designandis ad Sedes Episcopales in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis.

Recta ecclesiasticae disciplinae ratio postulat, ut nomina eorum qui ad provisionem sedium episcopalium in *Foederatis Statibus Americae Septentrionalis* a cleri consiliis, iuxta leges ibi vigentes, S. Sedi proponuntur, secreta omnino servantur. Hoc exigit decus ecclesiasticae electionis et gravitas negotii, reverentia erga supremum Romani Pontificis iudicium quod invocatur, ipsaque iustitia candidatis debita. Nam cum horum nomina, ut saepe accidit, patefiunt, hoc ipso publicae discussioni exhibentur, quae pro varia hominum ac diariorum acceptione aliquando aequa est, saepius iniusta et iniqua. Quod, cum honori candidati, et aliquando absque facili plenaque reparatione, detrahit, tum etiam sereno S. Sedis iudicio et iustae electionis libertati impedimentum affert. Unde fit ut optimi plures ne in candidatorum album referantur totis viribus refragentur, non solum ob

iustissimum tanti officii timorem, sed etiam ne in vulgi ore versentur et in varias vituperationes incurrant.

Quae considerantes aliquot Rmi. huius regionis Praesules alique etiam praeclarissimi viri, S. Sedem pro opportuno remedio rogaverunt.

SSmus. autem D. N. Pius PP. X ut in re tanti momenti cognosceret quae iusta quae opportuna statui possent, omnes et singulos *Statuum Foederatorum* Americae Antistites audiri iussit.

Modo vero, de consulto Emorum. Patrum S. C. Consistorialis, iuxta vota ferme concordia omnium illius regionis Antistitum, ea quae sequuntur statuit, et ut ab omnibus ad quos spectat adamussim serventur mandavit :

1. Convenientibus dioecesanis consultoribus et parochis qui ius habent suffragium ferendi pro prima candidatorum propositione, vulgo *terna*, ab initio sessionis omnes et singuli coram Praesule praesidente iusiurandum dabunt de secreto servando circa nomina quae in discussionem veniunt, et circa ea quae ex maiore suffragiorum numero probata manent, ut Episcoporum iudicio subiiciantur.

2. Si quis consultor, quod Deus avertat, iuramento desit, praeter alias poenas quibus obnoxius evadere potest, statim a consultoris officio removendus erit : si parochus, poena erit perpetua privatio iuris ad suffragium ferendum.

3. Episcopi idem secretum servare *sub gravi* obligantur : et ab initio sessionis in qua de candidatorum scrutinio agitur, Praeses de hac obligatione eos opportune admonebit.

4. Ad idem secretum *sub gravi* tenentur Apostolicae Delegationis administri, iuxta iuramentum quod ab iisdem praestari solet ; et ii quoque ad quos forte Apostolicus Delegatus se dirigit ut opportunas notitias de candidatis habeat : qua de re sive verbis, sive litteris aliquem interpellat, ipse tenetur de gravi hac obligatione interpellatum docere.

5. Exemplar huius decreti in singulis curiis episcopalibus servetur, ut omni tempore singulis ad quos spectat norma et regula sit.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 30 Martii 1910.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
S. TECCHI, *Adessor*.

De Competentia Concedendi Facultatem Celebrandi tres Missas Nativitatis Domini in Sacellis Publicis et Ecclesiis.

Proposito dubio "utrum post Constit. *Sapienti Consilio* spectet ad S. Congr. de disciplina Sacramentorum concedere facultatem legendi tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis publicis et Ecclesiis, quae ad hoc privilegio apostolico indigent, cum distributione SSmae. Eucharistiae; an potius hoc tribuendum sit Sacrorum Rituum Congregationi" Emi. Patres sacrae Congregationi Consistoriali praepositi, re mature considerata, respondendum censuerunt: "Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

In audientia autem infrascripto Card. Secretario die 11 Martii 1910 concessa, SSmus. D. N. resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Die 14 Martii 1910.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

CONGREGATION OF THE SACRAMENTS.

Dubiorum Circa Decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 12 Martii 1910, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia nimirum:

I. Quid intelligendum sit nomine "regionis," seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII decr. "*Ne temere*."

II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parochi regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parochi nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur: (a) Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII; (b) Quilibet vicus in secundo casu possitne tamquam "regio" haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant.

III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in "regionem," de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat.

IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII et VIII.

V. Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur : (a) Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2, sit accipienda *sensu relativo*, i.e., quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto*, seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi-domicilium habent ; (b) Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae ; (c) Utrum nomine vagorum, de quibus art V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum.

VI. Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia, matrimoniis adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo praesertim in maioribus paroeciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quaeritur in casu : (a) An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida ; (b) Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia connubiis praestanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione ; (c) Utrum tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur.

VII. Utrum per art. I decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vicens, et ad Americam Latinam extensum, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica a *notario* subscripta.

VIII.—Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum adsistentiae matrimonii.

IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam

Ordinariorum, nimirum : 1.^o Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2, adnotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse ; 2.^o Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum ; 3.^o quorundam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt : Utrum responsum S. C. C. diei 27 Iulii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito proposito ; et, *quatenus affirmative*, postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis : 4.^o Episcopi Mangalorensis qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adstitit, quando parochus sit absens.

Et Emi. Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt :

R. Ad 1.^{um} Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

Ad 2.^{um} Provisum in primo.

Ad 3.^{um} Affirmative.

Ad 4.^{um} Quoad qualitates testium a decreto "*Ne temere*" nihil esse immutatum.

Quoad 5.^{um} Ad *a* et *b*. Provisum per responsum ad quintum datum a S. C. Concilii die 28 Martii 1908.

Ad *c* : Nomine vagorum de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis.

Quoad 6.^{um} Ad *a* : acquiescant, facto verbo cum SSmo. ; ad *b* : serventur de iure servanda ; ad *c* : quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam Archiepiscopus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti "*Ne temere*" et praescriptum Ritualis Romani.

Ad 7.^{um} Affirmative.

Ad 8.^{um} Affirmative.

Quoad 9.^{um} Ad 1.^{um} Non expedire et ad mentem. Mens, est ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis Sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero

aliisque animarum curae praepositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvare posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legum observandi, ea non obligantur.

Ad 2.^{um} Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

Ad 3.^{um} Quoad 1.^{um} Negative; quoad 2.^{um} Provisum in primo.

Ad 4.^{um} Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi.

Die autem 13 eiusdem mensis et anni SS^{mus}. Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, supra relatas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est.

L. ✕ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.
PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

Praesumptione de Morte.

Post cladem ultro citroque Messanae fretum die 28 Decembris 1908 a terraemotu editam, Emus. Archiepiscopus Catanensis primus instructionem petiit a S. Sede pro statuenda libertate eorum profugorum qui, nefarie in concubinato viventes, terrore percussi, suae salutis animae consulere satagebant.

Et Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, sub die 18 Ianuarii a. 1909, praelaudato Emo. Archiepiscopo litteras dedit cum instructionibus pro urgentioribus casibus, id est: "In sostituzione della solita fede di stato libero o di assenza d'ogni altro impedimento, qualora trattasi di persone le quali pretendono di non aver mai contratto altro matrimonio, basterà deferir loro, con le cautele in uso, il giuramento suppletorio. Circa la stessa fede di stato libero, in caso d'avvenuta morte del primo coniuge, è necessario di aver presente, mancando i soliti certificati, l'Istruzione del S. Ufficio del 1868, se trattasi di morte anteriore al recente disastro: occorre poi di soprassedere se trattasi di morte che si suppone avvenuta nello stesso disastro in mancanza di prove evidenti."

Progressu temporis, Vicariatus Urbis Cancellarius eidem S. C. quoddam mortis testimonium a civili potestate depromptum subiecit, quaerens ab ea quinam tribuendus esset valor huiusmodi testimoniiis.

Antequam responderetur, haec eadem S. C. scripsit, sub die 17 Novembris an p. e., ad Archiepiscopos Messanensem et Rheginensem, ut informationes mitterent sequentes, scilicet : utrum in ipsa Curia status animarum iterum fuerit stabilitus; quamnam fidem testimonia mortis a civili potestate deprompta mereantur; denique ut alias transmittere velint informationes ad exarandam Instructionem in proposito utiles opportunasque.

Praefatis litteris ita respondit, die 26 eiusdem mensis, Archiepiscopus Messanensis : " Finora non è stato possibile compilare lo stato delle anime, poichè si attende all'ordinamento delle parrocchie, impianto delle baracche, Chiese Parrocchiali e case canoniche.

" Sarà questa in seguito la prima occupazione.

" Quanto poi ai defunti nel disastro ho prestato solo fiducia alla costatazione della morte per mezzo o della ricognizione del cadavere o delle testimonianze di persone degne di fede che attestano il decesso.

" E non essendo tranquillo del mezzo delle pubblicazioni che pratica l'Ufficiale dello Stato Civile, ero anch' io sul punto di scrivere a cotesta Sacra Congregazione per aver istruzione come regolarsi quando nè l' uno, nè l' altro mezzo concorrono e non si ha nel contempo notizia delle persone, quivi dimoranti all' epoca del disastro.

" Laonde supplico la S. V. Illma. ad implorarmi sul riguardo le opportune norme, essendovi in corso varî casi per celebrazione di matrimoni, e mi interessa togliere alcune coppie dal concubinato."

Respondit sub die 30 ipsius Novembris Vicarius Capitularis Rheginensis : " Di risposta alla nota di V. S. Illma. debbo dirle che ancora non fu possibile di ricostituire in tutte le parrocchie dell'Archidiocesi lo stato delle anime dopo il terremoto. In molte riesce difficilissimo il ricostituirlo, tanto più che nessuno ha sede fissa, nè fu ancora completato il numero delle baracche da costruirsi.

" Anche a conoscere il numero dei morti è opera difficile, perchè le famiglie sono disperse e molti sono profughi in paesi ignoti. In questa Curia per i matrimoni dei vedovi si chiede ordinariamente il certificato di morte dal Parroco, il quale, ove non conosca il morto, per farlo deve prima redigere un atto notorio sulla deposizione di quattro testimoni fededegni.

“ Per gli atti di morte dello Stato Civile, non li riconosciamo validi se non sono confermati dal Parroco dopo le pratiche di rito.”

In thesi generali huiusmodi testimoniorum civilis potestatis receptio ad statum libertatis comprobandum periculis est obnoxia, at exceptiones faciendae sunt pro qualitatibus personarum: id quod investigationem ex parte ecclesiasticae auctoritatis importat ad decernendum utrum persona de qua obitus asseritur, fuerit proba et coniugem familiamque amore fuerit prosecuta, et ita porro.

Verum investigatio eo magis urgenda esset quia possunt dari testes, quorum probatio praeferenda est legis praesumptioni, uti in Curia Rheginensi iam peragitur.

Caeterum S. C. Sancti Officii, ut exemplum iuris afferatur, infaustam post pugnam de Adua, hoc pro viduarum statu libertatis dedit responsum: “ Dummodo agatur de viris, qui certo adstiterunt pugnae de Adua et peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat, an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus, et valida praesumptione obitus, Ordinarius permittere poterit transitum ad alias nuptias.” Ex quo apparet opportunas investigationes esse prius faciendas et quatenus hae evadant sine effectum, perpendendae sunt speciales casus circumstantiae una simul cum valida mortis praesumptione. Et inter circumstantias perpensas in citata responsione S. O. erant accensendi illiciti amores viduarum ad nuptias convolare cupientium.

Aliud exemplum reperitur in responsione eiusdem S. C. Sancti Officii, sub die 27 Aprilis an. 1887. En species: “ Victoria N. matrimonium contraxit cum Iosepho N. qui an. 1870 ad bellum profectus, in proelio ad civitatem S. Quintini, die 19 Ian. an. 1871 commisso, disparuit, ut constabat ex litteris Ministri qui militiae praeerat, nec ex eo tempore ulla fama de eo audita fuit, ita ut tribunal civile sententiam pronuntiaverit de eius obitu. Addendum quod Iosephum pactum inivit cum septem ex eius sociis ut post praelium convenirent ad eundem locum, solusque e conventu abfuit.” Et S. C. censuit: “ Dummodo ex authenticis documentis ex testibus fide dignis saltem summarie et extraiudicialiter constet non solum de his quae ab Episcopo exponuntur, sed insuper Iosephum N. sincero animo persecutum fuisse uxorem et liberos neque ullam adfuisse causam qua eos desereret, permitti posse oratrici ut matrimonium ineat cum Ludovico N.”

Tandem abs re forsitan non erit aliam S. O. responsionem, die 28 Iunii 1865 datam, prae oculis habere. Quaerebatur a

Vic. Ap. Pondichery : " Utrum provisiones legis civilis de absentibus coniugibus, locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possint, ac consequenter utrum derelicti coniuges, perfectis et impletis istis provisionibus, aliud matrimonium contrahere valeant."

Resp. : " Iuxta expositum, negative, et expendendos esse casus particulares ab ipso Vic. Ap. iuxta Instructionem quae eidem communicetur."

Haec Instructio quae incipiebat *Ingentes bellorum clades* subrogata fuit recentiori Instr. C. S. Off. an. 1868, a qua tota haec regitur quaestio.

Emi. Patres S. Congregationis de disciplina Sacramentorum in plenariis comitiis habitis die 12 Martii 1910 proposito dubio : "*An et quomodo providendum*" respondendum censuerunt :

R. *Expendendos esse ab Ordinario casus particulares iuxta Instructionem "Matrimonii vinculo" a S. C. Sancti Officii. datam anno 1868.*

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

L. ✠ S.

Instructio Supremae Sacrae Congregationis

AD PROBANDUM OBITUM ALCUIUS CONIUGIS, AN. 1868.

Matrimonii vinculo duos tantummodo "Christo ita docente, copulari, et coniungi posse, alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et posteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est."

Verum ad secundas, et posteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus, de secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti Cap. *In praesentia, De sponsalibus et matrimoniis*. Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias, 21 Augusti 1670* a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi. Vicarii Urbis et coeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur NN. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius Coniugis obitu haberi semper posset ; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis : *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint, et sufficientes*) sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, ita ut in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percipiens, simulque perpendens in dissitis praesertim Missionum locis, Ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiores edere Instructionem in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque :

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripit, solam coniugis absentiam atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobendam*, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit, idem ait Pontifex, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem Sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet : exaratum scilicet ex registis paroeciae vel xeno-

dichii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordēs quoad locum, et causam obitus aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius deposito aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contigit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu proprio vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt

quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex gr.* :

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset ; pie, religioseque viveret ; uxoremque diligeret ; nullam sese occultandi causam haberet ; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et coniunctis ; quae tunc eius aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic potuerunt :

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat ; utrum alicui pugnae interfuerit ; utrum ab hostibus fuerit captus ; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, *etc.*

Si negotiationis causa iter suscepit inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda : num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus : utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae *etc., etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit ; quinam fuerint itineris socii ; quo se contulerit ; quod nomen navis quam conscendit ; quis eiusdem navis gubernator ; an naufragium fecerit ; an societas quae navis cautionem forsitan dedit, pretium eius solverit ; aliaeque circumstantiae si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum : quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae : an eam acceperint a maiori et saniore parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant ; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori, ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet ; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum, et iurisprudentum suffragiis, denique suum iudicium

pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstat quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certum desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

CONGREGATION FOR RELIGIOUS COMMUNITIES.

EX AUDIENTIA SSMI.

diei 5 Aprilis 1910.

Declarationes circa Decretum "Ecclesia Christi," Editum die 7 Septembris 1909 "de quibusdam Postulantibus in Religiosas Familias non admittendis."

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 Septembris 1909 *De quibusdam Postulantibus in Religiosas Familias non admittendis*, ab hac Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium prae-posita, sequentium dubiorum solutio expetita fuit:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis.

II. An ii, qui in aliqua Familia Religiosa primam tantum professionem emisierant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

III. An valide et licite ad Novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *aequivalenter*, id est, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emisierunt, sed, peracto tempore, eandem sponte non renovarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: (a) opportunas, secretas iuratasque informationes ex-

quirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo*, circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; (b) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosi moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse, neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

Ad IV. Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. J. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

EX AUDIENTIA SSMI.

diei 5 Aprilis, 1910.

Declaratio et Extensio Decreti "Quum Minoris" die 15 Iunii 1909 editi.

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et quum decretum Sacrae Congregationis de Religiosis d. d. 15 Iunii 1909, quo nonnullae praescribuntur clausulae, Rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporanae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emisissent; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iura-

mentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum, ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit :

Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. Fr. J. C. Card. VIVES, *Praefectus*.
D. L. JANSSENS, O. S. B., *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

Monitum

AD EDITORES LIBRORUM LITURGICORUM.

I. In rubricis Generalibus Breviarii Romani tit. IX, n. 6, post Festum Nativitatis B. M. V. inseri debet *Septem Dolorum, Dominica tertia Septembris*.

II. In parte hyemali Breviarii Romani in Festo S. Thomae Aquinatis, die 7 Martii, ubi legitur : "*Lectio IX, de Homilia, etc.*," substituantur verba : "*In Quadragesima, lectio IX, de Homilia et comm. Feriae.*"

III. In Rubrica Breviarii et Diurnalis quae invenitur die 16 Septembris in Festo Ss. Cornelii et Cypriani Mm. et quae incipit : "Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani occurrerit Dominica, etc. . . ." et concluditur in *I Vesp. et Laud. tantum*, verba *I Vesp. et* deleantur.

IV. In Missali Romano, tum in Festo Ss. VII Fundatorum, tum in Missa *Intret* de Communi plurim. Mart. 1 loco, ad Graduale legendum ; "*in generationem et generationem*," "*prouti* legitur in textu S. Scripturae, Eccl. 44, 14.

V. In Rituali Romano, Benedictio novae Campanae, qua ad usum Ecclesiae, sive Sacelli, inserviat, adprobata per Decretum S. R. C. 22 Ianuarii 1908, ponatur inter benedictiones reservatas in appendice, ante benedictionem simplicem novae Campanae quae tamen ad usum Ecclesiae non inservit, nuper reformatam.

VI. Item in Rituali Romano, Benedictio Officinae Librariae et Machinae Typographicae nuper adprobata Decreto 12 Maii 1909, inseratur inter benedictiones non reservatas, in appendice, ante benedictionem Domus Scholaris noviter erectae.

Decretum.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infra-scripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, superscriptas variationes Breviario, Missali ac Rituali Romano respective inserendas decrevit. Die 9 Martii, 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, S. R. C. *Praefectus*.
L. ✠ S. PH. Can. DI FAVA, *Substitutus*.

**Dubia circa quasdam Consuetudines in Ecclesia Cathedrali
Asturicensi Vigentes.**

R. D. Antonius Fernandez Nistal, hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Asturicensis, de sui Rmi. Dni. Episcopi mandato, Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur proposuit dubia; nimirum:

I. A priscis iam inde temporibus viget in Ecclesia Cathedrali Asturicensi consuetudo solemniter benedicendi Fontem Baptismalem in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes; sed cum nulla sit in ea Parochia nec Parochus proprium habens territorium, absoluta Fontis benedictione, effunditur aqua in piscinam.

II. In Dominicis aliisque Festis solemnioribus Ceroferarii, dum canitur Evangelium a Diacono, non se sistunt a lateribus Subdiaconi, sed a lateribus Clerici, qui in cornu Epistolae et versus ipsum Subdiaconum sustinet Crucem Processionalem.

III. Ex immemorabili consuetudine Canonicus hebdomadarius manet omnibus diebus ad Vesperas, Festis solemnioribus exceptis, in habitu choralis usque ad Canticum *Magnificat*, quo inchoato, medius inter duos Beneficiatos discedit in Sacrarium et, assumpto ibi Pluviali, revertitur in chorum, cantat Orationem vel Orationes Officii, et, quin dimittat Pluviale, facit Officium ad Completorium usque ad primum versum primi Psalmi, quo incepto, iterum discedit in Sacrarium et, deposito Pluviali, revertitur in chorum, ut absolvat Completorium.

Quaeritur: An predictae consuetudines sint continuandae, vel saltem tolerandae?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. II. et III. prouti exponitur, *negative*.

Atque ita rescripsit, die 16 Martii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.
L. ✠ S. PHILIPPUS Can. DI FAVA, *Substitutus*.

De Quibusdam in Ordine Praedicatorum Consuetudinibus.

R. D. Emmanuel Vassallo, Magister Caeremoniarum Dioeceseos Melitensis, de consensu Rmi. sui Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur dubia exposuit; scilicet:

I. An Fratres Ordinis Praedicatorum teneantur genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis assistit ad sacras functiones?

II. An decretum S. R. C. n. 3874 *Meliten*, 30 Novembris 1895, vi cuius iidem Fratres Ordinis Praedicatorum possunt in processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, habeat locum etiam in processionibus in quibus intervenit Episcopus dioecesanus?

III. An liceat Praelatis Regularibus privilegium habentibus, uti palmatoria, quando celebrant coram Episcopo dioecesano?

IV. An cui tenentur ad processiones Litaniarum S. Marci videlicet et Rogationum, possint, processione peracta, relinquere Ecclesiam; vel debeant expectare donec celebrans preces post Litanias dicendas concludat?

Et Sacra eadem Congregatio, audita informatione Rmi. P. Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum, et exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurato examine pensis, quaestionibus propositis ita respondendum censuit:

Ad I. Quum in ritu Ordinis Praedicatorum ministri et clerus inferior non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent, neque ad Episcopum dioecesanum in casu genuflectere debent.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, dummodo tamen Episcopus non assistat throno.

Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et consuetudinem contrariam esse eliminandam.

Atque ita rescipit, die 9 Aprilis 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, S. R. C. *Praefectus*.

L ✠ S.

PH. Can. DI FAVA, *Substitutus*.

THE BIBLICAL COMMISSION.

DE AUCTORIBUS ET DE TEMPORE COMPOSITIONIS PSALMORUM.

I. Utrum appellationes *Psalmi David*, *Hymni David*, *Liber psalmorum David*, *Psalterium Davidicum*, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et

Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat ?

Resp. Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum ; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse ?

Resp. Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari ?

Resp. Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt ; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda ?

Resp. Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes* ; ps. XV *Conserva me, Domine* ; ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea* ; ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates* ; ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus* ; ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo* ?

Resp. Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompetas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti ; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus*, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui

indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit?

Resp. Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii, 1910, in audientia utrique Rmo. Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, 1 Maii, 1910.

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.

Consultores ab actis.

ROMAN DOCUMENTS

AND

DECREES.

Edited by Rev. D. DUNFORD.

VOL. V .

(JULY, 1910—JUNE, 1911.)

R. & T. WASHBOURNE, LTD.,

1, 2, AND 4, PATERNOSTER Row, LONDON.

248, Buchanan Street, Glasgow.

74, Bridge Street, Manchester.

BENZIGER BROS., New York, Cincinnati, Chicago.

INDEX.

A.

PAGE

Abbesses and Prioresses. The Priests to be present at election of ..	63
Abbesses. Their term of office ..	61
Absolutions for the dead. Questions on the ..	164
Abstinence and Fasting. Questions concerning the laws of ..	77, 151
Abstinence law relaxed in Scotland ..	97
Age of children for admitting to first Communion ..	54
Alms in parishes. Decree on the collection of ..	154
Altars. Wooden and metallic fittings are prohibited on ..	64
America and England bound by the "Maxima Cura" ..	107
Apostolic Letters 67, 68, 69, 97, 98, 99, 138	
"Auctis admodum." Interpretation of the Decree ..	60

B.

Baptised but non-practising Catholics. The marriage of ..	144
Benediction of the Blessed Sacrament. Questions on the ..	160
Benefice. Removal from ..	43
Benefices not to be taken possession of before the anti-Modernist oath is subscribed to ..	107
Biblical Commission. Decisions of the ..	165
Biblical Institute. Letter to the Superiors of, on the course of studies ..	142
Blessing. The form for Papal, after a sermon ..	158
Books. A Decree on liturgical ..	158
Books condemned ..	146, 147
Books containing Gregorian chant. On the publication of ..	120
Bourne (Archbishop). Letter to, on the Catholic Missionary Society ..	122
Bull of excommunication affecting a pseudo-Bishop and two English Priests ..	100
Bulls. New formulæ for, to be observed in the Apostolic Chancery ..	71

C.

PAGE

Canada. "Romanos Pontifices" extended to ..	155
Catholic Missionary Society. Letter to Archbishop Bourne on the ..	122
Chancery (Apostolic). New formulæ for Bulls to be used in ..	71
Chant—	
On the publication of books containing Gregorian ..	120
On the use of the organ with Gregorian ..	
On the Vatican edition and its reproduction ..	119
Children. On the age for admitting, to first Communion ..	54
Choir attendance in Rome ..	84
Collect and Mass for the Ordinary when a diocese is raised to an Archbishopric ..	121
Collect or Mass for anniversary of election or translation of a Bishop ..	65
Congo. A new Vicariate Apostolic in the ..	156
Consistory. Decrees of the Congregation of the ..	43, 53, 86, 87, 89, 91, 105-107, 155, 156
Conversion of England. Sulpician privileges extended to all English-speaking countries ..	98
Council. Decrees of the Congregation of the ..	72, 77, 84, 151, 154, 155
"Cum per Apostolicas"—	
As to the interpretation of the Motu Proprio ..	40
Solutions to questions on the Motu Proprio ..	41

D.

Death of a husband. On presuming the ..	109
Diocese raised to an Archbishopric. Mass and Collect for the Ordinary ..	121
Dispensing from matrimonial impediments "in periculo mortis" ..	60
Doctors in Sacred Scripture. Oath to be taken by ..	1
Duties of a parish priest ..	72

E.

PAGE

Election of Abbesses and Prioresses. Priests to be present at	63
Election or translation of a Bishop. The Mass or Collect for anniversary of	65
Encyclical	133
England and America both bound by the "Maxima Cura"	107
Episcopal nominations. Decree on the secrecy to be observed in ..	156
Excommunication of a pseudo-Bishop and two English Priests	100
Exposition of the Blessed Sacrament. Questions on the	160
Expulsion from Religious Communities. Rules to be observed in ..	147

F.

Faculty for dispensing from matrimonial impediments "in periculo mortis"	60
Fasting and abstinence. Questions concerning the laws of	77, 151
Feasts. Position and translation of First Communion. On the age for admitting children to	165
	54

G.

Gibraltar made a diocese directly subject to the Holy See	69
---	----

H.

Holy Hour. (The Archsodality of) extended to the Universal Church	138
Holy Office. Decrees of the Congregation of the	40, 41, 42, 101, 102, 103, 104, 144, 145
Holy Office (<i>Index</i>). Decrees of the Congregation of the	146, 147
Holy Oils. Questions on the	162
Husband. On presuming the death of a	109

I.

PAGE

Impediment (Freedom from) as a preliminary to marriage	108
Impediments (Matrimonial). Dispensing from, "in periculo mortis" ..	60
Index. Books placed on the ..41, 104, 14	
Indulgence (Portiuncula). Decree on Indulgences. The times for visiting churches for gaining	145
Interpretation of Ecclesiastical laws	108
	106

K.

Kilima-Njaro made a Vicariate Apostolic	
---	--

L.

Laws (Ecclesiastical). The Interpretation of	106
Laws for the repression of Modernism	2
Laws of fasting and abstinence. Questions concerning the	77, 111
Lay Brothers. Regulations for ..	151
"Le Sillon." Letter to the Archbishop and Bishops of France on Letter from the Secretary of State ..	21
Letter to the Archbishop and Bishops of France on "Le Sillon"	21
Letters	139
Leopold (King of Bavaria) Letter to, on his ninetieth birthday	139
Lisbon (The Patriarch of) Letter to, on the joint letter of the Portuguese Hierarchy	140
Liturgical books. A Decree on	158

M.

Marriage. Cases of nullity of 92, 123, 167	
Marriage of Catholics who have never acted as Catholics	144
Marriage. The freedom from impediment as a preliminary to	108
Marriages. Questions on	162
Mass and Collect for the Ordinary when the diocese is raised to an Archbishopric	121

	PAGE
Mass or Collect to be used on anniversary of election or translation of a Bishop	65
Mass. The parochial	66
Matrimonial Impediments. Dispensing from, "in periculo mortis" ..	60
Matthew (St.). Decisions on the Gospel of	165
"Maxima Cura" applies to both England and America	107
"Maxima Cura." Solutions to questions on the Decree	87
"Maxima Cura." The Decree	43
Medal as substitute for scapular ..	102, 108
Metallic and wooden fittings are forbidden on altars	64
Modernism. Laws for the repression of	2
Motu Proprio	1, 21

N.

Newspapers in Seminaries. Congregational declaration on	89
Nominations to Episcopal Sees to be secret	53
Norfolk (Duke of), Letter to, on the completion of church at Norwich ..	99
Norwich. Letter to Duke of Norfolk on completion of church at ..	99
Novices. The studies of	61
Nullity of marriage. Cases of ..	92, 123, 167

O.

Oath (Anti-Modernist) must be subscribed to before taking possession of benefices	107
Oath prescribed by Motu Proprio "Sacrorum Antistitum." Solutions to questions on	89
Oath to be taken before ordination. Decree on the	155
Oath to be taken by Doctors in Sacred Scripture	1
Obedying the Ordinary. The obligation of	72
Office (Divine). Questions on the ..	162
Ordinary. The obligation of obeying the	72
Organ. The use of, with Gregorian chant	168

P.

	PAGE
Papal Blessing. The form for, after a sermon	158
Papal Blessing. Priest substitute is allowed to impart, to Tertiaries ..	101
Parish Priest. The duties of	72
Parochial Mass	66
Portiuncula indulgence. A Decree on	145
Portugal. Encyclical on the state of the Church in	133
Portuguese Bishops. Letter to, on their joint letter	140
Priest substitute is allowed to impart Papal Blessing to Tertiaries ..	101
Priests to be present at election of Prioresses and Abbesses	63
Prioresses and Abbesses. The Priests to be present at election of ..	63
Privileges of Sulpician Society for the conversion of England extended to all English-speaking countries ..	98
Processions. Questions on	162
Propagation of the Faith. Decrees of the Congregation of the ..	156, 157

Q.

"Quam Singulari." The Decree ..	54
---------------------------------	----

R.

Regulations for Lay Brothers	111
Regulations to be observed in Rome as to presence in choir	84
Religious Communities. Decrees of the Congregation for 60, 61, 63, 111, ..	147
Removal of Priests from their offices and benefices	43
Rites. Decrees of the Congregation of 64, 65, 66, 119, 120, 131, 153, 160, 162, 164, 165	
"Romanos Pontifices" extended to Canada	155
Rome. Regulations to be observed as to presence in choir in	84
Rota. The Holy Roman	92, 123, 167
Rules to be observed in expelling from Religious Communities ..	147

S.

Sacraments. Decrees of the Congregation of the	54, 60, 108, 109
Sacred Scripture. Oath to be taken by Doctors in	1

	PAGE
"Sacrorum Antistitum"—	
Solutions to questions on Motu Proprio	86, 105
Solutions to questions on oath prescribed by Motu Proprio ..	89
Scapular. Concerning the medal as a substitute for	102, 103
Scotland. Law of abstinence relaxed in	97
Secrecy in Episcopal nominations. Decree on the	156
Secrecy to be observed in nomination to Episcopal Sees	53
Seminaries. Congregational declaration on newspapers in	89
Studies. Decree on the course of, and the oath to be taken before ordination	155
Studies. Letter to the Superiors of the Biblical Institute on the course of	142
Studies of novices	61
Superiors (Perpetual). Their term of office	61

T.

Tertiaries. A Priest substitute is allowed to impart the Papal Blessing	101
Times for visiting churches to gain Indulgences	103
Translation or election of a Bishop. The Mass or Collect for the anniversary of	65

U.

PAGE

Upper Congo. Boundaries of Vicariate Apostolic changed in ..	157
--	-----

V.

Vatican edition and its reproduction	119
Vicariate Apostolic. (A new) in the Congo	156
Vicariate Apostolic in Upper Congo. Boundaries of, changed	157
Visit to church to gain Indulgences. The times for	103

W.

Wooden and metallic fittings are prohibited on altars	64
Wurthemberg (King of), Letter on the silver jubilee of his marriage ..	140

MOTU PROPRIO

**De iureiurando conceptis verbis dando ab iis
qui doctores in Sacra Scriptura sunt renuntiandi.**

Illibatae custodiendae Religionis Nostrae doctrinae animum intendentes, plura superioribus annis providenda ac sancienda curavimus quorum virtute, Decessoris Nostri fel. rec. exempla secuti, tum debitum responsis Sacri Consilii de Re Biblica obsequium firmavimus, tum proprium huiusmodi colendis studiis, aetate hac nostra quam quae maxime gravibus, Institutum condidimus. Quoniam vero non id tantummodo Cordi Nobis est alumnos, ad magisterium contententes, praesidiis disciplinae consentaneis ita instruere ut scientiam de Re Biblica perfecte calleant et progressionem finitimarum doctrinarum in Sacros libros defendendos apte derivent, sed etiam ut, magisterium assequuti, haustam disciplinam fideliter tradant, scientiamque in discipulorum mentibus sine ulla devii sensus suspicione inserant, idcirco formulam praeterea iurisiurandi praescribendam putavimus, quam candidati ad lauream, antequam Doctoris titulo in Sacra Scriptura donentur, recitare atque emittere teneantur. Itaque, tum doctrinae Sacrae, tum Magistrorum alumnorumque, tum denique Ecclesiae ipsius securiori bono prospecturi, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, decernimus, volumus, praecipimus, ut, qui in Sacra Scriptura Doctores sint renuntiandi, iuramenti formulam in hunc, qui sequitur, modum emittant :

“ Ego N. N. omni qua par est reverentia me subiicio et sincero animo adhaereo omnibus decisionibus, declarationibus et praescriptionibus Apostolicae Sedis seu Romanorum Pontificum de Sacris Scripturis deque recta earumdem explanandarum ratione, praesertim vero Leonis XIII Litteris encyclicis *Providentissimus Deus* die XVIII Novembris anno MDCCCXCIII datis, nec non Pii X Motu proprio *Praestantia Scripturae Sacrae* dato die XVIII Novembris anno MDCCCXVII, eiusque Apostolicis Litteris *Vineae electae*, datis die VII Maii anno MDCCCXCIX, quibus edicitur ‘ universos

omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisque sententias has tales impugnent'; quare spondeo me 'principia et decreta per Sedem Apostolicam et pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda' uti 'supremam studiorum normam et regulam' fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nec unquam me sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque eadem esse impugnaturum. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia."

Quod vero, documento hoc Nostro, Motu proprio edito, statutum est, id ratum firmumque esse iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxix Iunii mcmx, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

Quo Quaedam Statuuntur Leges Ad Modernismi Periculum Propulsandum.

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis*¹, consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecissem. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios, cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffuente per agri Domini partem, unde laetiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summâque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad

¹ Dat. d. viii Septembr. mcmvii.

Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus dixit: *Confirma fratres tuos*. Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa :

“Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aequae et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

“I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur.—Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi*¹. Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio*, sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine*².

“Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime.—Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur*³.—Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magi-

¹ LEO XIII, Encycl. “*Aeterni Patris*.”

² *De Ente et Essentia*, proëm.

³ LEO XIII, Litt. ap., x Dec. MDCCCLXXXIX.

sterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aequè omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato ab historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda : id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despiciere videantur.

“ De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit : *In rerum etiam naturalium consideratione strenue adlaboretis : quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt*¹. Id tamen nullo sacrorum studiorum damno ; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis monuit : *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint : quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt ; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignius est, splendore pristinae dignitatis deleta, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur*². Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari volumus.

“ II. His omnibus praeceptionibus tum Nostri tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur ; eo si iam funguntur, removeantur : item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando : item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student : item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur.—Hoc in negotio, Venerabiles Frates, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia ; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitate.

“ Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor : superbos et contumaces animos odit Deus !—

¹ Alloc., “ *Pergratus Nobis* ” ad scientiar. cultores, VII Martii MDCCCLXXX.

² Alloc., ut supra.

Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto.—Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus.—Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus.—Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehantque, si in lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne edantur prohibere.—Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur; non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant.—Nec secus iudicandum est de quorundam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroque non malae mentis, sed qui theologiae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquirunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

“Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter contedite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat: adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac munerum*¹ praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii

¹ xxv Ian. MDCCCXCVII.

implevisse autemet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur.—Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi.—Et quoniam de his sermo incidit, vigilant Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant.—Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo xxvi: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

“IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant.—Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest: in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis xli et xlii memoratae Constitutionis praevis subsunt examini. Censor sententiam scripto

dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen proponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine.—In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituuntur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa, prout supra diximus, approbationis formula adiectoque nomine censoris.—Extraordinariis tantum in adiunctis ac perquam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitteri poterit.—Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit.—Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur.—Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit.—Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

“His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant*. Qua si qui venia perniciose utantur, eâ, moniti primum, priventur.—Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur, datamque potestatem, si oportet retractent. Idipsum ut religiosorum moderatores praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant.—Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, integre attenteque perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id in sequenti folio vel libello corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

“V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student.—Sacerdotum conventus Episcopi in posterum

haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat.—Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus.—Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum*¹.

“VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constanterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi², ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores, sic illi, iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpent aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis conciliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extinguere possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod perius est in dies confirmetur et crescat.*—Tale igitur consilium, quod a vigilantia dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint decreverint, ea arcani lege custodiunt. Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigant vigilant; pro cleri iuventutaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant.—Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque*

¹ Litt. Encycl. “Nobilissima,” VIII Febr. MDCCCLXXXIV.

² Act. Consess. Epp. Umbriae, Novembri MDCCCXLIX, tit. II, art. 6.

*id genus multa*¹. Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. —Libros ne negligant, in quibus piaae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus.—De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto anno MDCCCXCVI a sacro Concilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.*—Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Concilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis triginta, edicebat: *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam*². Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum.—Illud demum Concilio vigilantiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

“VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesium Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio

¹ Instruct. S. C. NN. EE. EE., XXVII Ian. MCMII.

² Decr. II Maii MDCCCLXXVII.

quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumni in iungimus."

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiariter quaedam adiicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur.— In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utrâque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniiciant alumni, introspeciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; recte sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causâ, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptive frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta: Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus

initiaudos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: "Providendum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet.... Sint probi et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis totius forma iustitiae."

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir*¹; utque docet Apostolus: *Qui... non permanet in doctrina Christi, Deum non habet*². Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*³; si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae propius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*⁴. Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consecrandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accadat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones,

¹ Prov. XII, 8.² II Ioan. 9.³ Tit. 1, 9.⁴ Rom. XII, 3.

Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive *theses*; deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, suo Antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Beneficarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

IURISIURANDI FORMULA.

“Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum,

etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eâque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto; certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

“Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris “*Pascendi*” et in Decreto “*Lamentabili*” continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant.—Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse.—Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegetur.—Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur.—Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribingenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque reve-

lati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretandi solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari.—In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successionē*¹; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata*².

1882

“Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc.”

DE SACRA PRAEDICATIONE.

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidia, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine verum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die xxxi mensis Iulii anno MDCCCXCIV et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

1.^o “Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundant. Istae enim si in catholicae doctrinae praekonibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymbalum tinniens*³: neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac

¹ IREN., 4, c. 26.

² Praeser. c. 28.

³ I Cor. XIII, 1.

virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitae eorundem ratione: ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat: verum ea sit praedita gravitate ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*¹. Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei*².— At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluent, quique ingenua quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptui obiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*³."

2°. "Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Praedicate evangelium...*⁴ *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*⁵. Ad quae verba apte S. Thomas: *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare*⁶. Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant*⁷. Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, haec scripsit: *Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient; peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflament quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant*⁸. Ex quibus omnibus perspicuum fit symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacra-

¹ I Cor. IV, 1.

² Comm. in Matth. v.

³ Os. IV, 6.

⁴ Marc, XVI, 15.

⁵ Matth. XXVIII, 20.

⁶ Loc. cit.

⁷ Sess. V, cap. 2, *De Reform.*

⁸ Litt. Enc. IX Nov, MDCCCXVI.

menta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari."

3°. "Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea; *quae sua sunt quaerentes non quae Iesu Christi*¹, eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod *CONFERENTIAM* dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: *De corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae*². Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*³, commentatur: *in corde suo, non in mente sua.*"

4°. "Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat propius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiae*, quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu

¹ Philip. II, 21.

² Matth. xv, 19.

³ Psal. XIII, 1.

vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur."

5.^o "Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi*, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam¹. At vero forma hodierna dicendi saepe numero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*². Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis*³. Idem contra freti persuasibilibus humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis:—"Haec propria et singularis Scripturarum

¹ Loc. cit.² Thren. IV, 4.³ I. Cor. II, 4.

virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebebat dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa*¹. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improprieque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eandemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus*². Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit³, atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmant⁴.

“En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e fonte hauriunt aquae vivae, sed abusu haud sane ferendo, se ad humanae sapientiae cisternas dissipatas convertunt, et seposita doctrinâ divinitus inspirata, vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguas aut valde periculosas.—“Alterum offensionis caput iniciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, quae audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum⁵.”—Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut

¹ I. Thess. I, 5.

² Hebr. IV, 12.

³ De Doctr. christ. IV, 6, 7.

⁴ Litt. encycl. de Studiis Script. Sacr., XVIII Nov. MDCCCXIII.

⁵ Card BAUSA, Archiep. Florentin., ad iuniores clericos, 1892.

auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque templa referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur; contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint*¹. Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatus exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius invectam*, postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iisdem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur, sed non convertebantur*²."

"Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusos cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio extirpandos curent. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt³—*Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur*,—in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis impense caveant Ordinarii ne unquam iisdem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint*⁴ hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumni obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint,

¹ *Ad Nepotian.*² *Ex Aug. in Matth. xix, 25.*³ Sess. V, c. 2, *De reform.*⁴ Conc. Trid., Sess. V, c. 2, *De reform.*

eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare."

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observantur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium*, sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta; renovandae, quasi esset senio confecta; augendae, aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc Proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 1 mensis Septembris, anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

LETTER.

LETTRE AUX ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES FRANÇAIS.

À NOS BIENAIMÉS FILS

PIERRE HECTOR COULLIÉ, CARDINAL PRÊTRE DE LA S. E. R.
ARCHEVÊQUE DE LYON,

LOUIS HENRI LUÇON, CARDINAL PRÊTRE DE LA S. E. R.
ARCHEVÊQUE DE REIMS,

PAULIN PIERRE ANDRIEU, CARDINAL PRÊTRE DE LA S. E. R.
ARCHEVÊQUE DE BORDEAUX,

ET À TOUS NOS AUTRES VÉNÉRABLES FRÈRES

LES ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES FRANÇAIS

PIE X PAPE

VÉNÉRABLES FRÈRES SALUT ET BÉNÉDICTION APOSTOLIQUE

Notre charge apostolique nous fait un devoir de veiller à la pureté de la foi et à l'intégrité de la discipline catholique, de préserver les fidèles des dangers de l'erreur et du mal, surtout quand l'erreur et le mal leur sont présentés dans un langage entraînant, qui, voilant le vague des idées et l'équivoque des expressions sous l'ardeur du sentiment et la sonorité des mots, peut enflammer les cœurs pour des causes séduisantes mais funestes. Telles ont été naguère les doctrines des prétendus philosophes du dix-huitième siècle, celles de la Révolution et du libéralisme tant de fois condamnées; telles sont encore aujourd'hui les théories du *Sillon*, qui, sous leurs apparences brillantes et généreuses, manquent trop souvent de clarté, de logique et de vérité, et, sous ce rapport, ne relèvent pas du génie catholique et français.

Nous avons hésité longtemps, Vénérables Frères, à dire publiquement et solennellement notre pensée sur le *Sillon*. Il a

fallu que vos préoccupations vinssent s'ajouter aux nôtres pour nous décider à le faire. Car nous aimons la vaillante jeunesse enrôlée sous le drapeau du *Sillon*, et nous la croyons digne, à bien des égards, d'éloge et d'admiration. Nous aimons ses chefs, en qui nous nous plaisons à reconnaître des âmes élevées, supérieures aux passions vulgaires et animées du plus noble enthousiasme pour le bien. Vous les avez vus, Vénérables Frères, pénétrés d'un sentiment très vif de la fraternité humaine, aller au devant de ceux qui travaillent et qui souffrent pour les relever, soutenus dans leur dévouement par leur amour pour Jésus-Christ et la pratique exemplaire de la religion.

C'était au lendemain de la mémorable Encyclique de notre prédécesseur d'heureuse mémoire, Léon XIII, sur la condition des ouvriers. L'Eglise, par la bouche de son chef suprême, avait déversé sur les humbles et les petits toutes les tendresses de son cœur maternel, et semblait appeler de ses vœux des champions toujours plus nombreux de la restauration de l'ordre et de la justice dans notre société troublée. Les fondateurs du *Sillon* ne venaient-ils pas, au moment opportun, mettre à son service des troupes jeunes et croyantes pour la réalisation de ses désirs et de ses espérances ? Et, de fait, le *Sillon* éleva parmi les classes ouvrières l'étendard de Jésus-Christ, le signe du salut pour les individus et les nations, alimentant son activité sociale aux sources de la grâce, imposant le respect de la religion aux milieux les moins favorables, habituant les ignorants et les impies à entendre parler de Dieu, et souvent, dans des conférences contradictoires, en face d'un auditoire hostile, surgissant éveillé par une question ou un sarcasme, pour crier hautement et fièrement sa foi. C'étaient les beaux temps du *Sillon* ; c'est son beau côté, qui explique les encouragements et les approbations que ne lui ont pas ménagés l'Episcopat et le Saint-Siège, tant que cette ferveur religieuse a pu voiler le vrai caractère du mouvement sillonniste.

Car, il faut le dire, Vénérables Frères, nos espérances ont été, en grande partie, trompées. Un jour vint où le *Sillon* accusa, pour les yeux clairvoyants, des tendances inquiétantes. Le *Sillon* s'égarait. Pouvait-il en être autrement ? Ses fondateurs, jeunes, enthousiastes et pleins de confiance en eux-mêmes, n'étaient pas suffisamment armés de science historique, de saine philosophie et de forte théologie pour affronter sans péril les difficiles problèmes sociaux vers lesquels ils étaient entraînés par leur activité et leur cœur, et pour se prémunir, sur le terrain de la doctrine et de l'obéissance, contre les infiltrations libérales et protestantes.

Les conseils ne leur ont pas manqué ; les admonestations vinrent après les conseils ; mais nous avons eu la douleur de voir

et les avis et les reproches glisser sur leurs âmes fuyantes et demeurer sans résultat. Les choses en sont venues à ce point que nous trahirions notre devoir, si nous gardions plus longtemps le silence. Nous devons la vérité à nos chers enfants du *Sillon* qu'une ardeur généreuse a emportés dans une voie aussi fausse que dangereuse. Nous la devons à un grand nombre de séminaristes et de prêtres que le *Sillon* a soustraits, sinon à l'autorité, au moins à la direction et à l'influence de leurs évêques ; nous la devons enfin à l'Eglise, où le *Sillon* sème la division et dont il compromet les intérêts.

En premier lieu il convient de relever sévèrement la prétention du *Sillon* d'échapper à la direction de l'autorité ecclésiastique. Les chefs du *Sillon*, en effet, allèguent qu'ils évoluent sur un terrain qui n'est pas celui de l'Eglise ; qu'ils ne poursuivent que des intérêts de l'ordre temporel et non de l'ordre spirituel ; que le Silloniste est tout simplement un catholique voué à la cause des classes laborieuses, aux œuvres démocratiques, et puisant dans les pratiques de sa foi l'énergie de son dévouement ; que ni plus ni moins que les artisans, les laboureurs, les économistes et les politiciens catholiques, il demeure soumis aux règles de la morale communes à tous, sans relever, ni plus ni moins qu'eux, d'une façon spéciale, de l'autorité ecclésiastique.

La réponse à ces subterfuges n'est que trop facile. A qui fera-t-on croire en effet que les Sillonistes catholiques, que les prêtres et les séminaristes enrôlés dans leurs rangs n'ont en vue, dans leur activité sociale, que les intérêts temporels des classes ouvrières ? Ce serait, pensons-nous, leur faire injure que de le soutenir. La vérité est que les chefs du *Sillon* se proclament des idéalistes irréductibles, qu'ils prétendent relever les classes laborieuses en relevant d'abord la conscience humaine, qu'ils ont une doctrine sociale et des principes philosophiques et religieux pour reconstruire la société sur un plan nouveau, qu'ils ont une conception spéciale de la dignité humaine, de la liberté, de la justice et de la fraternité, et que, pour justifier leurs rêves sociaux, ils en appellent à l'Evangile interprété à leur manière, et, ce qui est plus grave encore, à un Christ défiguré et diminué. De plus, ces idées ils les enseignent dans leurs cercles d'études, ils les inculquent à leurs camarades ; ils les font passer dans leurs œuvres. Ils sont donc vraiment professeurs de morale sociale, civique et religieuse ; et, quelques modifications qu'ils puissent introduire dans l'organisation du mouvement silloniste, nous avons le droit de dire que le but du *Sillon*, son caractère, son action ressortissent au domaine moral, qui est le domaine propre de l'Eglise, et, qu'en conséquence, les Sillonistes se font illusion lorsqu'ils croient évoluer sur un terrain aux confins duquel ex-

pirent les droits du pouvoir doctrinal et directif de l'autorité ecclésiastique.

Si leurs doctrines étaient exemptes d'erreur, c'eût déjà été un manquement très grave à la discipline catholique, que de se soustraire obstinément à la direction de ceux qui ont reçu du Ciel la mission de guider les individus et les sociétés dans le droit chemin de la vérité et du bien. Mais le mal est plus profond, nous l'avons déjà dit : le *Sillon*, emporté par un amour mal entendu des faibles, a glissé dans l'erreur.

En effet, le *Sillon* se propose le relèvement et la régénération des classes ouvrières. Or sur cette matière les principes de la doctrine catholique sont fixés, et l'histoire de la civilisation chrétienne est là pour en attester la bienfaisante fécondité. Notre prédécesseur, d'heureuse mémoire, les a rappelés dans des pages magistrales, que les catholiques occupés de questions sociales doivent étudier et toujours garder sous les yeux. Il a enseigné notamment que la démocratie chrétienne doit "maintenir la diversité des classes qui est assurément le propre de la cité bien constituée, et vouloir pour la société humaine la forme et le caractère que Dieu, son auteur, lui a imprimés"¹. Il a flétri "une certaine démocratie qui va jusqu'à ce degré de perversité que d'attribuer dans la société la souveraineté au peuple et à poursuivre la suppression et le nivellement des classes." En même temps, Léon XIII imposait aux catholiques un programme d'action, le seul programme capable de replacer et de maintenir la société sur ses bases chrétiennes séculaires. Or, qu'ont fait les chefs du *Sillon* ? Non seulement ils ont adopté un programme et un enseignement différents de celui de Léon XIII (ce qui serait déjà singulièrement audacieux de la part de laïques se posant ainsi, concurremment avec le Souverain Pontife, en directeurs de l'activité sociale dans l'Eglise) ; mais ils ont ouvertement rejeté le programme tracé par Léon XIII et en ont adopté un diamétralement opposé ; de plus ils repoussent la doctrine rappelée par Léon XIII sur les principes essentiels de la société, placent l'autorité dans le peuple ou la suppriment à peu près, et prennent comme idéal à réaliser le nivellement des classes. Ils vont donc, au rebours de la doctrine catholique, vers un idéal condamné.

Nous savons bien qu'ils se flattent de relever la dignité humaine et la condition trop méprisée des classes laborieuses, de rendre justes et parfaites les lois du travail et les relations entre le capital et les salariés, enfin de faire régner sur terre une

¹ "Dispare tueatur ordines, sane proprios bene constitutae civitatis ; eam demum humano convictui velit formam atque indolem esse, qualem Deus auctor indidit." (Encyclique "*Graves de communi* ").

meilleure justice et plus de charité, et, par des mouvements sociaux profonds et féconds, de promouvoir dans l'humanité un progrès inattendu. Et certes nous ne blâmons pas ces efforts qui seraient, de tous points, excellents, si les Sillonistes n'oubliaient pas que le progrès d'un être consiste à fortifier ses facultés naturelles par des énergies nouvelles et à faciliter le jeu de leur activité dans le cadre et conformément aux lois de sa constitution, et qu'au contraire, en blessant ses organes essentiels, en brisant le cadre de leur activité, on pousse l'être non pas vers le progrès, mais vers la mort. C'est cependant ce qu'ils veulent faire de la société humaine ; c'est leur rêve de changer ses bases naturelles et traditionnelles, et de promettre une cité future édifiée sur d'autres principes, qu'ils osent déclarer plus féconds, plus bien-faisants que les principes sur lesquels repose la cité chrétienne actuelle.

Non, Vénérables Frères,—il faut le rappeler énergiquement dans ces temps d'anarchie sociale et intellectuelle où chacun se pose en docteur et en législateur,—on ne bâtera pas la cité autrement que Dieu ne l'a bâtie ; on n'édifiera pas la société, si l'Eglise n'en jette les bases et ne dirige les travaux ; non, la civilisation n'est plus à inventer, ni la cité nouvelle à bâtir dans les nuées. Elle a été, elle est ; c'est la civilisation chrétienne, c'est la cité catholique. Il ne s'agit que de l'instaurer et la restaurer sans cesse sur ses fondements naturels et divins contre les attaques toujours renaissantes de l'utopie malsaine, de la révolte et de l'impiété : *omnia instaurare in Christo*.

Et pour qu'on ne nous accuse pas de juger trop sommairement et avec une rigueur non justifiée les théories sociales du Sillon nous voulons en rappeler les points essentiels.

Le Sillon a le noble souci de la dignité humaine. Mais cette dignité, il la comprend à la manière de certains philosophes dont l'Eglise est loin d'avoir à se louer. Le premier élément de cette dignité est la liberté, entendue en ce sens que, sauf en matière de religion, chaque homme est autonome. De ce principe fondamental il tire les conclusions suivantes : Aujourd'hui le peuple est en tutelle sous une autorité distincte de lui, il doit s'en affranchir : *émancipation politique*. Il est sous la dépendance de patrons qui, détenant ses instruments de travail, l'exploitent, l'oppriment et l'abaissent ; il doit secouer leur jong : *émancipation économique*. Il est dominé enfin par une caste appelée dirigeante, à qui son développement intellectuel assure une prépondérance indue dans la direction des affaires ; il doit se soustraire à sa domination : *émancipation intellectuelle*. Le nivellement des conditions à ce triple point de vue établira parmi les hommes l'égalité, et cette égalité est la vraie justice humaine. Une organisation politique

et sociale fondée sur cette double base, la liberté et l'égalité (auxquelles viendra bientôt s'ajouter la fraternité), voilà ce qu'ils appellent Démocratie.

Néanmoins la liberté et l'égalité n'en constituent que le côté pour ainsi dire négatif. Ce qui fait proprement et positivement la Démocratie, c'est la participation la plus grande possible de chacun au gouvernement de la chose publique. Et cela comprend un triple élément, politique, économique et moral.

D'abord en politique, le *Sillon* n'abolit pas l'autorité ; il l'estime, au contraire, nécessaire ; mais il veut la partager, ou, pour mieux dire, la multiplier de telle façon que chaque citoyen deviendra une sorte de roi. L'autorité, il est vrai, émane de Dieu, mais elle réside primordialement dans le peuple et s'en dégage par voie d'élection ou, mieux encore, de sélection, sans pour cela quitter le peuple et devenir indépendante de lui ; elle sera extérieure, mais en apparence seulement ; en réalité elle sera intérieure, parce que ce sera une autorité consentie.

Proportions gardées, il en sera de même dans l'ordre économique. Soustrait à une classe particulière, le patronat sera si bien multiplié que chaque ouvrier deviendra une sorte de patron. La forme appelée à réaliser cet idéal économique n'est point, affirme-t-on, celle du socialisme ; c'est un système de coopératives suffisamment multipliées pour provoquer une concurrence féconde et pour sauvegarder l'indépendance des ouvriers qui ne seront enchaînés à aucune d'entre elles.

Voici maintenant l'élément capital, l'élément moral. Comme l'autorité, on l'a vu, est très réduite, il faut une autre force pour la suppléer et pour opposer une réaction permanente à l'égoïsme individuel. Ce nouveau principe, cette force, c'est l'amour de l'intérêt professionnel et de l'intérêt public, c'est-à-dire de la fin même de la profession et de la société. Imaginez une société où dans l'âme d'un chacun, avec l'amour inné du bien individuel et du bien familial, règnerait l'amour du bien professionnel et du bien public ; où dans la conscience d'un chacun ces amours se subordonneraient de telle façon que le bien supérieur primât toujours le bien inférieur, cette société-là ne pourrait-elle pas à peu près se passer d'autorité, et n'offrirait-elle pas l'idéal de la dignité humaine, chaque citoyen ayant une âme de roi, chaque ouvrier une âme de patron. Arraché à l'étroitesse de ses intérêts privés et élevé jusqu'aux intérêts de sa profession, et plus haut, jusqu'à ceux de la nation entière, et plus haut encore, jusqu'à ceux de l'humanité (car l'horizon du *Sillon* ne s'arrête pas aux frontières de la patrie, il s'étend à tous les hommes jusqu'aux confins du monde), le cœur humain, élargi par l'amour du bien commun, embrasserait tous les camarades de la même profession, tous les

compatriotes, tous les hommes. Et voilà la grandeur et la noblesse humaine idéale réalisée par la célèbre trilogie: Liberté, Egalité, Fraternité.

Or ces trois éléments, politique, économique et moral, sont subordonnés l'un à l'autre, et c'est l'élément moral, nous l'avons dit, qui est le principal. En effet, nulle démocratie politique n'est viable, si elle n'a des points d'attache profonds dans la démocratie économique. A leur tour, ni l'une ni l'autre ne sont possibles, si elles ne s'enracinent pas dans un état d'esprit où la conscience se trouve investie de responsabilités et d'énergies morales proportionnées. Mais supposez cet état d'esprit, ainsi fait de responsabilité consciente et de forces morales, la démocratie économique s'en dégagera naturellement par traduction en actes de cette conscience et de ces énergies ; et de même, et par la même voie, du régime corporatif sortira la démocratie politique ; et la démocratie politique et économique, celle-ci portant l'autre, se trouveront fixés dans la conscience même du peuple sur des assises inébranlables.

Telle est, en résumé, la théorie, on pourrait dire le rêve, du *Sillon*, et c'est à cela que tend son enseignement et ce qu'il appelle l'éducation démocratique du peuple, c'est-à-dire à porter à son maximum la conscience et la responsabilité civique de chacun, d'où découlera la démocratie économique et politique, et le règne de la justice, de la liberté, de l'égalité et de la fraternité.

Ce rapide exposé, Vénérables Frères, vous montre déjà clairement combien nous avons raison de dire que le *Sillon* oppose doctrine à doctrine, qu'il bâtit sa cité sur une théorie contraire à la vérité catholique et qu'il fausse les notions essentielles et fondamentales qui règlent les rapports sociaux dans toute société humaine. Cette opposition ressortira davantage encore des considérations suivantes.

Le *Sillon* place primordialement l'autorité publique dans le peuple, de qui elle dérive ensuite aux gouvernants, de telle façon cependant qu'elle continue à résider en lui. Or Leon XIII a formellement condamné cette doctrine dans son encyclique "*Diuturnum illud*" du Principat politique, où il dit : " Des modernes en grand nombre, marchant sur les traces de ceux qui, au siècle dernier, se donnèrent le nom de philosophes, déclarent que toute puissance vient du peuple ; qu'en conséquence ceux qui exercent le pouvoir dans la société ne l'exercent pas comme leur autorité propre, mais comme une autorité à eux déléguée par le peuple et sous la condition qu'elle puisse être révoquée par la volonté du peuple de qui ils la tiennent. Tout contraire est le sentiment des catholiques qui font dériver le droit de commander

de Dieu, comme de son principe naturel et nécessaire."¹ Sans doute le *Sillon* fait descendre de Dieu cette autorité qu'il place d'abord dans le peuple, mais de telle sorte qu' " elle remonte d'en bas pour aller en haut, tandis que dans l'organisation de l'Eglise le pouvoir descend d'en haut pour aller en bas." ² Mais outre qu'il est anormal que la délégation monte, puis qu'il est de sa nature de descendre, Léon XIII a réfuté par avance cette tentative de conciliation de la doctrine catholique avec l'erreur du philosophisme. Car il poursuit : " Il importe de le remarquer ici ; ceux qui président au gouvernement de la chose publique peuvent bien, en certains cas être élus par la volonté et le jugement de la multitude, sans répugnance ni opposition avec la doctrine catholique. Mais si ce choix désigne le gouvernant, il ne lui confrère pas l'autorité de gouverner ; il ne délègue pas le pouvoir, il désigne la personne qui en sera investie." ³

Au reste, si le peuple demeure le détenteur du pouvoir, que devient l'autorité ? une ombre, un mythe ; il n'y a plus de loi proprement dite, il n'y a plus d'obéissance. Le *Sillon* l'a reconnu ; puisqu'en effet il réclame, au nom de la dignité humaine, la triple émancipation politique, économique et intellectuelle, la cité future à laquelle il travaille n'aura plus de maîtres ni de serviteurs ; les citoyens y seront tous libres, tous camarades, tous rois. Un ordre, un précepte serait un attentat à la liberté, la subordination à une supériorité quelconque serait une diminution de l'homme, l'obéissance une déchéance. Est-ce ainsi, Vénérables Frères, que la doctrine traditionnelle de l'Eglise nous représente les relations sociales dans la cité même la plus parfaite possible ? Est-ce que toute société de créatures indépendantes et inégales par nature n'a pas besoin d'une autorité qui dirige leur activité vers le bien commun et qui impose sa loi ? Et si dans la société il se trouve des êtres pervers (et il y en aura toujours), l'autorité ne devra-t-elle pas être d'autant plus forte qui l'égoïsme des méchants sera plus menaçant ? Ensuite, peut-on dire avec une ombre de raison qu'il y a incompatibilité entre l'autorité et la

¹ "Imo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes, qui sibi superiore saeculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquirunt potestatem a populo esse : quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate a quo mandata est revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines, qui ius imperandi a Deo repetunt veluti a naturali necessarioque principio."

² MARC SANGNIER, *Discours de Rouen*, 1907.

³ "Interest autem attendere hoc loco eos qui reipublicae praefuturi sint posse in quibusdam caussis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus, neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum."

liberté, à moins de se tromper lourdement sur le concept de la liberté? Peut-on enseigner que l'obéissance est contraire à la dignité humaine et que l'idéal serait de la remplacer par "l'autorité consentie?" Est-ce que l'apôtre Saint-Paul n'avait pas en vue la société humaine à toutes ses étapes possibles, quand il prescrivait aux fidèles d'être soumis à toute autorité? Est-ce que l'obéissance aux hommes en tant que représentants légitimes de Dieu, c'est-à-dire en fin de compte l'obéissance à Dieu, abaisse l'homme et le ravale au dessous de lui-même? Est-ce que l'état religieux fondé sur l'obéissance serait contraire à l'idéal de la nature humaine? Est-ce que les Saints, qui ont été les plus obéissants des hommes étaient des esclaves et des dégénérés? Est-ce qu'enfin on peut imaginer un état social, où Jésus-Christ revenu sur terre ne donnerait plus l'exemple de l'obéissance et ne dirait plus: Rendez à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu?

Le *Sillon*, qui enseigne de pareilles doctrines et les met en pratique dans sa vie intérieure, sème donc parmi votre jeunesse catholique des notions erronées et funestes sur l'autorité, la liberté et l'obéissance. Il n'en est pas autrement de la justice et de l'égalité. Il travaille, dit-il, à réaliser une ère de d'égalité qui serait par la même une ère de meilleure justice. Ainsi pour lui, toute inégalité de condition est une injustice ou, au moins, une moindre justice! Principe souverainement contraire à la nature des choses, générateur de jalousie et d'injustice et subversif de tout ordre social. Ainsi la démocratie seule inaugurerait le règne de la parfaite justice! N'est-ce pas une injure faite aux autres formes de gouvernement qu'on ravale, de la sorte au rang de gouvernements de pis-aller impuissants? Au reste le *Sillon* se heurte encore sur ce point à l'enseignement de Léon XIII. Il aurait pu lire dans l'Encyclique déjà citée du Principat politique que "*la justice sauvegardée*, il n'est pas interdit aux peuples de se donner le gouvernement qui répond le mieux à leur caractère ou aux institutions et coutumes qu'ils ont reçus de leurs ancêtres"¹; et l'Encyclique fait allusion à la triple forme de gouvernement bien connue. Elle suppose donc que la justice est compatible avec chacune d'elles. Et l'Encyclique sur la condition des ouvriers n'affirme-t-elle pas clairement la possibilité de restaurer la justice dans les organisations actuelles de la société, puisqu'elle en indique les moyens. Or, sans aucun doute, Léon XIII entendait parler, non pas d'une justice quelconque, mais de la justice parfaite. Enseignant donc que la justice est compa-

¹ "Quamobrem, salva iustitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio aut maiorum institutis moribusque magis respondeat."

tible avec les trois formes de gouvernement qu'on sait, il enseignait que, sous ce rapport, la Démocratie ne jouit pas d'un privilège spécial. Les Sillonistes qui prétendent le contraire, ou bien refusent d'écouter l'Eglise ou se forment de la justice et de l'égalité un concept qui n'est pas catholique.

Il en est de même de la notion de la fraternité, dont ils mettent la base dans l'amour des intérêts communs, ou, par delà toutes les philosophies et toutes les religions, dans la simple notion d'humanité, englobant ainsi dans le même amour et une égale tolérance tous les hommes avec toutes leurs misères, aussi bien intellectuelles et morales que physiques et temporelles. Or la doctrine catholique nous enseigne que le premier devoir de la charité n'est pas dans la tolérance des convictions erronées, quelque sincères qu'elles soient, ni dans l'indifférence théorique ou pratique pour l'erreur ou le vice où nous voyons plongés nos frères, mais dans le zèle pour leur amélioration intellectuelle et morale non moins que pour leur bien être matériel. Cette même doctrine catholique nous enseigne aussi que la source de l'amour du prochain se trouve dans l'amour de Dieu, père commun et fin commune de toute la famille humaine, et dans l'amour de Jésus-Christ, dont nous sommes les membres au point que soulager un malheureux c'est faire du bien à Jésus-Christ lui-même. Tout autre amour est illusion ou sentiment stérile et passager. Certes l'expérience humaine est là, dans les sociétés païennes ou laïques de tous les temps, pour prouver qu'à certaines heures la considération des intérêts communs ou de la similitude de nature pèse fort peu devant les passions et les convoitises du cœur. Non, Vénérables Frères, il n'y a pas de vraie fraternité en dehors de la charité chrétienne qui par amour pour Dieu et son Fils Jésus-Christ, notre Sauveur, embrasse tous les hommes pour les soulager tous et pour les amener tous à la même foi et au même bonheur du ciel. En séparant la fraternité de la charité chrétienne ainsi entendue, la Démocratie, loin d'être un progrès, constituerait un recul désastreux pour la civilisation. Car si l'on veut arriver, et nous le désirons de toute notre âme, à la plus grande somme de bien être possible pour la société et pour chacun de ses membres par la fraternité, ou comme on dit encore par la solidarité universelle, il faut l'union des esprits dans la vérité, l'union des volontés dans la morale, l'union des cœurs dans l'amour de Dieu et de son Fils, Jésus-Christ. Or cette union n'est réalisable que par la charité catholique, laquelle, seule par conséquent, peut conduire les peuples dans la marche du progrès vers l'idéal de la civilisation.

Enfin à la base de toutes les falsifications des notions sociales fondamentales, le *Sillon* place une fausse idée de la dignité

humaine. D'après lui, l'homme ne sera vraiment homme, digne de ce nom, que du jour où il aura acquis une conscience éclairée, forte, indépendante, autonome, pouvant se passer de maître, ne s'obéissant qu'à elle-même et capable d'assumer et de porter, sans forfaire, les plus graves responsabilités. Voilà de ces grands mots avec lesquels on exalte le sentiment de l'orgueil humain ; tel un rêve qui entraîne l'homme sans lumière, sans guide et sans secours dans la voie de l'illusion, où, en attendant le grand jour de la pleine conscience, il sera dévoré par l'erreur et les passions. Et ce grand jour quand viendra-t-il ? A moins de changer la nature humaine (ce qui n'est pas au pouvoir du *Sillon*) viendra-t-il jamais ? Est-ce que les Saints, qui ont porté la dignité humaine à son apogée, avaient cette dignité-là ? Et les humbles de la terre, qui ne peuvent monter si haut, et qui se contentent de tracer modestement leur sillon, au rang que la Providence leur a assigné, en remplissant énergiquement leur devoirs dans l'humilité, l'obéissance et la patience chrétienne, ne seraient-ils pas dignes du nom d'hommes, eux que le Seigneur tirera un jour de leur condition obscure pour les placer au ciel parmi les princes de son peuple ?

Nous arrêtons là nos réflexions sur les erreurs du *Sillon*. Nous ne prétendons pas épuiser le sujet, car il y aurait encore à attirer votre attention, sur d'autres points également faux et dangereux, par exemple, sur sa manière de comprendre le pouvoir coercitif de l'Eglise. Il importe maintenant de voir l'influence de ces erreurs sur la conduite pratique du *Sillon* et sur son action sociale.

Les doctrines du *Sillon* ne restent pas dans le domaine de l'abstraction philosophique. Elles sont enseignées à la jeunesse catholique, et, bien plus, on s'essaie à les *vivre*. Le *Sillon* se regarde comme le noyau de la cité future ; il la reflète donc aussi fidèlement que possible. En effet, il n'y a pas de hiérarchie dans le *Sillon*. L'élite qui le dirige s'est dégagée de la masse par sélection, c'est-à-dire en s'imposant par son autorité morale et par ses vertus. On y entre librement, comme librement on en sort. Les études s'y font sans maître, tout au plus avec un conseiller. Les cercles d'études sont de véritables coopératives intellectuelles, où chacun est tout ensemble maître et élève. La camaraderie la plus absolue règne entre les membres et met en contact total leurs âmes ; de là, l'âme commune du *Sillon*. On l'a défini "une amitié." Le prêtre lui même, quand il y entre, abaisse l'éminente dignité de son sacerdoce, et, par le plus étrange renversement des rôles, se fait élève, se met au niveau de ses jeunes amis et n'est plus qu'un camarade.

Dans ces habitudes démocratiques et les théories sur la cité

idéale qui les inspirent, vous reconnaîtrez, Vénérables Frères, la cause secrète des manquements disciplinaires que vous avez dû, si souvent, reprocher au *Sillon*. Il n'est pas étonnant que vous ne trouviez pas chez les chefs et chez leurs camarades ainsi formés, fussent-ils séminaristes ou prêtres, le respect, la docilité et l'obéissance qui sont dûs à vos personnes et à votre autorité ; que vous sentiez de leur part une sourde opposition, et que vous ayez le regret de les voir se soustraire totalement, ou, quand ils y sont forcés par l'obéissance, se livrer avec dégoût à des œuvres non sillonistes. Vous êtes le passé ; eux sont les pionniers de la civilisation future. Vous représentez la hiérarchie, les inégalités sociales, l'autorité et l'obéissance : institutions vieilles, auxquelles leurs âmes, éprises d'un autre idéal, ne peuvent plus se plier. Nous avons sur cet état d'esprit le témoignage de faits douloureux, capables d'arracher des larmes ; et nous ne pouvons, malgré notre longanimité, nous défendre d'un juste sentiment d'indignation. Eh quoi ! on inspire à votre jeunesse catholique la défiance envers l'Eglise, leur mère ; on leur apprend que depuis dix-neuf siècles elle n'a pas encore réussi dans le monde à constituer la société sur ses vraies bases ; qu'elle n'a pas compris les notions sociales de l'autorité, de la liberté, de l'égalité, de la fraternité et de la dignité humaine ; que les grands évêques et les grands monarques, qui ont créé et si glorieusement gouverné la France n'ont pas su donner à leur peuple, ni la vraie justice ni le vrai bonheur, parce qu'ils n'avaient pas l'idéal du *Sillon* !

Le souffle de la Révolution a passé par là, et nous pouvons conclure que si les doctrines sociales du *Sillon* sont erronées, son esprit est dangereux et son éducation funeste.

Mais alors que devons-nous penser de son action dans l'Eglise, lui dont le catholicisme est si pointilleux que d'un peu plus, à moins d'embrasser sa cause, on serait, à ses yeux, un ennemi intérieur du catholicisme et l'on ne comprendrait rien à l'Evangile et à Jésus-Christ ? Nous croyons bon d'insister sur cette question, parce que c'est précisément son ardeur catholique qui a valu au *Sillon*, jusque dans ces derniers temps, de précieux encouragements et d'illustres suffrages. Eh bien ! devant les paroles et les faits nous sommes obligés de dire que dans son action comme dans sa doctrine le *Sillon* ne donne pas satisfaction à l'Eglise.

D'abord son catholicisme ne s'accommode que de la forme du gouvernement démocratique, qu'il estime être la plus favorable à l'Eglise et se confondre pour ainsi dire avec elle ; il inféode donc sa religion à un parti politique. Nous n'avons pas à démontrer que l'avènement de la démocratie universelle n'importe pas à l'action de l'Eglise dans le monde ; nous avons déjà rappelé que l'Eglise a toujours laissé aux nations le souci de se

donner le gouvernement qu'elles estiment le plus avantageux pour leur intérêts. Ce que nous voulons affirmer encore une fois, après notre prédécesseur, c'est qu'il y a erreur et danger à inféoder, par principe, le catholicisme à une forme de gouvernement ; erreur et danger qui sont d'autant plus grands lorsqu'on synthétise la religion avec un genre de démocratie dont les doctrines sont erronées. Or c'est le cas du *Sillon* ; lequel, par le fait, et pour une forme politique spéciale, en compromettant l'Eglise, divise les catholiques, arrache la jeunesse et même des prêtres et des séminaristes à l'action simplement catholique et dépense, en pure perte, les forces vives d'une partie de la nation.

Et voyez, Vénérables Frères, une étonnante contradiction. C'est précisément parce que la religion doit dominer tous les partis, c'est en invoquant ce principe que le *Sillon* s'abstient de défendre l'Eglise attaquée. Certes ce n'est pas l'Eglise qui est descendue dans l'arène politique ; on l'y a entraînée et pour la mutiler et pour la dépouiller. Le devoir de tout catholique n'est-il donc pas d'user des armes politiques qu'il tient en mains pour la défendre, et aussi pour forcer la politique à rester dans son domaine et à ne s'occuper de l'Eglise que pour lui rendre ce qui lui est dû ? Eh bien ! en face de l'Eglise ainsi violentée, on a souvent la douleur de voir les Sillonistes se croiser les bras, si ce n'est qu'à la défendre ils trouvent leur compte ; on les voit dicter ou soutenir un programme qui nulle part ni à aucun degré ne révèle le catholique. Ce qui n'empêche pas les mêmes hommes, en pleine lutte politique, sous le coup d'une provocation, d'afficher publiquement leur foi. Qu'est-ce à dire, sinon qu'il y a deux hommes dans le Silloniste : l'individu qui est catholique ; le Silloniste, l'homme d'action, qui est neutre.

Il fut un temps où le *Sillon*, comme tel, était formellement catholique. En fait de force morale, il n'en connaissait qu'une, la force catholique, et il allait proclamant que la démocratie serait catholique ou qu'elle ne serait pas. Un moment vint où il se ravisa. Il laissa à chacun sa religion ou sa philosophie. Il cessa lui-même de se qualifier de catholique, et à la formule : "la démocratie sera catholique," il substitua cette autre : "la démocratie ne sera pas anticatholique," pas plus d'ailleurs qu'anti-juive ou anti-bouddhiste. Ce fut l'époque du *plus grand Sillon*. On appela à la construction de la cité future tous les ouvriers de toutes les religions et de toutes les sectes. On ne leur demanda que d'embrasser le même idéal social, de respecter toutes les croyances et d'apporter un certain appoint de forces morales. Certes, proclamait-on, "les chefs du *Sillon* mettent leur foi religieuse au dessus de tout. Mais peuvent-ils ôter aux autres le droit de puiser leur énergie morale là où ils peuvent ?

En revanche, ils veulent que les autres respectent leur droit, à eux, de la puiser dans la foi catholique. Ils demandent donc à tous ceux qui veulent transformer la société présente dans le sens de la démocratie de ne pas se repousser mutuellement à cause des convictions philosophiques ou religieuses qui peuvent les séparer, mais de marcher la main dans la main, non pas en renonçant à leurs convictions, mais en essayant de faire sur le terrain des réalités pratiques la preuve de l'excellence de leurs convictions personnelles. Peut être sur ce terrain de l'émulation entre âmes attachées à différentes convictions religieuses ou philosophiques l'union pourra se réaliser."¹ Et l'on déclara en même temps (comment cela pouvait-il s'accomplir ?) que le petit Sillon catholique serait l'âme du grand Sillon cosmopolite.

Récemment le nom du *plus grand Sillon* a disparu, et une nouvelle organisation est intervenue, sans modifier, bien au contraire, l'esprit et le fond des choses "pour mettre de l'ordre dans le travail et organiser les diverses forces d'activité. Le *Sillon* reste toujours une âme, un esprit, qui se mêlera aux groupes et inspirera leur activité." Et tous les groupements nouveaux, devenus en apparence autonomes : catholiques protestants, libres penseurs, sont priés de se mettre à l'œuvre. "Les camarades catholiques travailleront entre eux dans une organisation spéciale à s'instruire et à s'éduquer. Les démocrates protestants et libres penseurs en feront autant de leur côté. Tous, catholiques, protestants et libres penseurs auront à cœur d'armer la jeunesse, non pas pour une lutte fratricide, mais pour une généreuse émulation sur le terrain des vertus sociales et civiques."²

Ces déclarations et cette nouvelle organisation de l'action silloniste appellent de bien graves réflexions.

Voici fondée par des catholiques une association interconfessionnelle, pour travailler à la réforme de la civilisation, œuvre religieuse au premier chef ; car pas de vraie civilisation sans civilisation morale, et pas de vraie civilisation morale sans la vraie religion : c'est une vérité démontrée, c'est un fait d'histoire. Et les nouveaux Sillonistes ne pourront pas prétendre qu'ils ne travailleront que "sur le terrain des réalités pratiques" où la diversité des croyances n'importe pas. Leur chef sent si bien cette influence des convictions de l'esprit sur le résultat de l'action, qu'il les invite, à quelque religion qu'ils appartiennent, à "faire sur le terrain des réalités pratiques la preuve de l'excellence de leurs convictions personnelles." Et avec raison, car les réalisations

¹ MARC SANGNIER, *Discours de Rouen*, 1907.

² MARC SANGNIER, *Paris*, Mai, 1910.

pratiques revêtent le caractère des convictions religieuses, comme les membres d'un corps jusqu'à leurs dernières extrémités reçoivent leur forme du principe vital qui l'anime.

Ceci dit, que faut-il penser de la promiscuité où se trouveront engagés les jeunes catholiques avec des hétérodoxes et des incroyants de toute sorte dans une œuvre de cette nature ? N'est-elle pas mille fois plus dangereuse pour eux qu'une association neutre ? Que faut-il penser de cet appel à tous les hétérodoxes et à tous les incroyants à prouver l'excellence de leurs convictions sur le terrain social, dans une espèce de concours apologétique, comme si ce concours ne durait pas depuis dix-neuf siècles, dans des conditions moins dangereuses pour la foi des fidèles et tout en l'honneur de l'Eglise Catholique ? Que faut-il penser de ce respect de toutes les erreurs et de l'invitation étrange, faite par un catholique à tous les dissidents, de fortifier leurs convictions par l'étude et d'en faire des sources toujours plus abondantes de forces nouvelles ? Que faut-il penser d'une association où toutes les religions et même la libre-pensée peuvent se manifester hautement, à leur aise ? car les Sillonistes qui dans les conférences publiques et ailleurs proclament fièrement leur foi individuelle n'entendent certainement pas fermer la bouche aux autres et empêcher le protestant d'affirmer son protestantisme et le sceptique son scepticisme. Que penser enfin d'un catholique qui, en entrant dans son cercle d'études, laisse son catholicisme à la porte, pour ne pas affrayer ses camarades, qui " rêvant d'une action sociale désintéressée répugnent à la faire servir au triomphe d'intérêts, de coteries ou même de convictions quelles qu'elles soient." Telle est la profession de foi du nouveau comité démocratique d'action sociale, qui a hérité de la plus grande tâche de l'ancienne organisation et qui, dit-il, " brisant l'équivoque entretenue autour du *plus grand Sillon* tant dans les milieux réactionnaires que dans les milieux anticléricaux," est ouvert à tous les hommes " respectueux des forces morales et religieuses et convaincus qu'aucune émancipation sociale véritable n'est possible sans le ferment d'un *généreux idéalisme*."

Oui, hélas ! l'équivoque est brisée ; l'action sociale du *Sillon* n'est plus catholique ; le Silloniste, comme tel, ne travaille pas pour une coterie et " l'Eglise, il le dit, ne saurait à aucun titre être bénéficiaire des sympathies que son action pourra susciter." Etrange insinuation vraiment ! On craint que l'Eglise ne profite de l'action sociale du *Sillon* dans un but égoïste et intéressé, comme si tout ce qui profite à l'Eglise ne profitait pas à l'humanité ! Etrange renversement des idées : c'est l'Eglise qui serait la bénéficiaire de l'action sociale, comme si les plus grands économistes n'avaient pas reconnu et démontré que c'est l'action

sociale, qui, pour être sérieuse et féconde, doit bénéficier de l'Eglise. Mais plus étranges encore, effrayantes et attristantes à la fois, sont l'audace et la légèreté d'esprit d'hommes qui se disent catholiques, qui rêvent de refondre la société dans de pareilles conditions et d'établir sur terre, pardessus l'Eglise Catholique, "le règne de la justice et de l'amour," avec des ouvriers venus de toute part, de toutes religions ou sans religion, avec ou sans croyances, pourvu qu'ils oublient ce qui les divise : leurs convictions religieuses et philosophiques, et qu'ils mettent en commun ce qui les unit : un *généreux idéalisme* et des forces morales prises "où ils peuvent." Quand on songe à tout ce qu'il a fallu de forces, de science, de vertus surnaturelles pour établir la cité chrétienne, et les souffrances de millions de martyrs, et les lumières des Pères et des Docteurs de l'Eglise, et le dévouement de tous les héros de la charité, et une puissante hiérarchie née du Ciel, et des fleuves de grâce divine, et le tout édifié, relié, compénétré par la Vie et l'Esprit de Jésus-Christ, la Sagesse de Dieu, le Verbe fait homme, quand on songe, disons-nous, à tout cela, on est effrayé de voir de nouveaux apôtres s'acharner à faire mieux avec la mise en commun d'un vague idéalisme et de vertus civiques. Que vont-ils produire ? qu'est-ce qui va sortir de cette collaboration ? Une construction purement verbale et chimérique, où l'on verra miroiter pêle-mêle et dans une confusion séduisante les mots de liberté, de justice, de fraternité et d'amour, d'égalité et d'exaltation humaine, le tout basé sur une dignité humaine mal comprise. Ce sera une agitation tumultueuse, stérile pour le but proposé et qui profitera aux remueurs de masses moins utopistes. Oui, vraiment, on peut dire que le *Sillon* convoie le socialisme l'oeil fixé sur une chimère.

Nous craignons qu'il n'y ait encore pire. Le résultat de cette promiscuité en travail, le bénéficiaire de cette action sociale cosmopolite, ne peut être qu'une démocratie qui ne sera ni catholique, ni protestante, ni juive ; une religion (car le Sillonisme, les chefs l'on dit, est une religion) plus universelle que l'Eglise catholique, réunissant tous les hommes devenus enfin frères et camarades dans "le règne de Dieu." "On ne travaille pas pour l'Eglise, on travaille pour l'humanité."

Et maintenant, pénétrés de la plus vive tristesse, nous nous demandons, Vénérables Frères, ce qu'est devenu le catholicisme du *Sillon*. Hélas ! Lui qui donnait autrefois de si belles espérances, ce fleuve limpide et impétueux a été capté dans sa marche par les ennemis modernes de l'Eglise et ne forme plus dorénavant qu'un misérable affluent du grand mouvement d'apostasie, organisé, dans tous les pays, pour l'établissement d'une Eglise universelle qui n'aura ni dogmes ni hiérarchie, ni règle pour

l'esprit ni frein pour les passions, et qui, sous prétexte de liberté et de dignité humaine, ramènerait dans le monde, si elle pouvait triompher, le règne légal de la ruse et de la force, et l'oppression des faibles, de ceux qui souffrent et qui travaillent.

Nous ne connaissons que trop les sombres officines où l'on élabore ces doctrines délétères, qui ne devraient pas séduire des esprits clairvoyants. Les chefs du *Sillon* n'ont pu s'en défendre ; l'exaltation de leurs sentiments, l'aveugle bonté de leur cœur, leur mysticisme philosophique mêlé d'une part d'illuminisme les ont entraînés vers un nouvel évangile, dans lequel ils ont cru voir le véritable Evangile du Sauveur, au point qu'ils osent traiter Notre Seigneur Jésus-Christ avec une familiarité souverainement irrespectueuse et que, leur idéal étant apparenté à celui de la Révolution, ils ne craignent pas de faire entre l'Evangile et la Révolution des rapprochements blasphématoires, qui n'ont pas l'excuse d'avoir échappé à quelque improvisation tumultueuse.

Nous voulons attirer votre attention, Vénérables Frères, sur cette déformation de l'Evangile et du caractère sacré de Notre Seigneur Jésus-Christ, Dieu et Homme, pratiquée dans le *Sillon* et ailleurs. Dès que l'on aborde la question sociale, il est de mode dans certains milieux d'écarter d'abord la Divinité de Jésus-Christ, et puis de ne parler que de sa souveraine mansuétude, de sa compassion pour toutes les misères humaines, de ses pressantes exhortations à l'amour du prochain et à la fraternité. Certes Jésus nous a aimés d'un amour immense, infini, et Il est venu sur terre souffrir et mourir pour que, réunis autour de Lui, dans la justice et l'amour, animés des mêmes sentiments de charité mutuelle, tous les hommes vivent dans la paix et le bonheur. Mais à la réalisation de ce bonheur temporel et éternel Il a mis, avec une souveraine autorité, la condition que l'on fasse partie de son troupeau, que l'on accepte sa doctrine, que l'on pratique la vertu et qu'on se laisse enseigner et guider par Pierre et ses successeurs. Puis si Jésus a été bon pour les égarés et les pécheurs, Il n'a pas respecté leurs convictions erronées, quelque sincères qu'elles parussent ; il les a tous aimés pour les instruire, les convertir et les sauver. S'il a appelé à Lui, pour les soulager, ceux qui peinent et qui souffrent, ce n'a pas été pour leur prêcher la jalousie d'une égalité chimérique. S'il a relevé les humbles, ce n'a pas été pour leur inspirer le sentiment d'une dignité indépendante et rebelle à l'obéissance. Si son Cœur débordait de mansuétude pour les âmes de bonne volonté, Il a su également s'armer d'une sainte indignation contre les profanateurs de la maison de Dieu, contre les misérables qui scandalisent les petits, contre les autorités qui accablent le peuple sous le poids de lourds fardeaux sans y mettre le doigt pour les

soulever. Il a été aussi fort que doux ; il a grondé, menacé, châtié, sachant et nous enseignant que souvent la crainte est le commencement de la sagesse et qu'il convient parfois de couper un membre pour sauver le corps. Enfin Il n'a pas annoncé pour la société future le règne d'une félicité idéale, d'où la souffrance serait bannie ; mais par ses leçons et par ses exemples. Il a tracé le chemin du bonheur possible sur terre et du bonheur parfait au Ciel : la voie royale de la Croix. Ce sont là des enseignements qu'on aurait tort d'appliquer seulement à la vie individuelle en vue du salut éternel ; ce sont des enseignements éminemment sociaux, et ils nous montrent en Notre-Seigneur Jésus-Christ autre chose qu'un humanitarisme sans consistance et sans autorité.

Pour vous, Vénérables Frères, continuez activement l'œuvre du Sauveur des hommes par l'imitation de sa douceur et de sa force. Inclinez-vous vers toutes les misères, qu'aucune douleur n'échappe à votre sollicitude pastorale, qu'aucune plainte ne vous trouve indifférents. Mais aussi, prêchez hardiment leurs devoirs aux grands et aux petits ; il vous appartient de former la conscience du peuple et des pouvoirs publics. La question sociale sera bien près d'être résolue, lorsque les uns et les autres, moins exigeants sur leurs droits mutuels, rempliront plus exactement leurs devoirs.

De plus, comme dans le conflit des intérêts, et surtout dans la lutte avec des forces malhonnêtes, la vertu d'un homme, sa sainteté même ne suffit pas toujours à lui assurer le pain quotidien, et que les rouages sociaux devraient être organisés de telle façon que par leur jeu naturel ils paralysent les efforts des méchants et rendent abordable à toute bonne volonté sa part légitime de félicité temporelle, nous désirons vivement que vous preniez une part active à l'organisation de la société dans ce but. Et à cette fin, pendant que vos prêtres se livreront avec ardeur au travail de la sanctification des âmes, de la défense de l'Eglise, et aux œuvres de charité proprement dites, vous en choisirez quelques uns, actifs et d'esprit pondéré, munis des grades de docteurs en philosophie et en théologie, et possédant parfaitement l'histoire de la civilisation antique et moderne, et vous les appliquerez aux études moins élevées et plus pratiques de la science sociale, pour les mettre, en temps opportun à la tête de vos œuvres d'action catholique. Toutefois que ces prêtres ne se laissent pas égarer, dans le dédale des opinions contemporaines, par le mirage d'une fausse démocratie ; qu'ils n'empruntent pas à la rhétorique des pires ennemis de l'Eglise et du peuple un langage emphatique plein de promesses aussi sonores qu'irréalisables. Qu'ils soient persuadés que la question sociale et la

science sociale ne sont pas nées d'hier; que, de tous temps, l'Eglise et l'Etat, heureusement concertés, ont suscité dans ce but des organisations fécondes; que l'Eglise, qui n'a jamais trahi le bonheur du peuple par des alliances compromettantes, n'a pas à se dégager du passé et qu'il lui suffit de reprendre, avec le concours des vrais ouvriers de la restauration sociale, les organismes brisés par la Révolution et de les adapter, dans le même esprit chrétien qui les a inspirés, au nouveau milieu créé par l'évolution matérielle de la société contemporaine: car les vrais amis du peuple ne sont ni révolutionnaires, ni novateurs, mais traditionnalistes.

Cette œuvre éminemment digne de votre zèle pastoral, nous désirons que, loin d'y faire obstacle, la jeunesse du *Sillon*, dégagée de ses erreurs, y apporte dans l'ordre et la soumission convenables un concours loyal et efficace.

Nous tournant donc vers les chefs du *Sillon*, avec la confiance d'un Père qui parle à ses enfants, nous leur demandons pour leur bien, pour le bien de l'Eglise et de la France, de vous céder leur place. Nous mesurons, certes, l'étendue du sacrifice que nous sollicitons d'eux, mais nous les savons assez généreux pour l'accomplir, et, d'avance, au nom de Notre-Seigneur Jésus-Christ, dont nous sommes l'indigne représentant, nous les en bénissons. Quant aux membres du *Sillon*, nous voulons qu'ils se rangent par diocèses pour travailler sous la direction de leurs évêques respectifs à la régénération chrétienne et catholique du peuple, en même temps qu'à l'amélioration de son sort. Ces groupes diocésains seront, pour le moment, indépendants les uns des autres; et afin de bien marquer qu'ils ont brisé avec les erreurs du passé, ils prendront le nom de *Sillons catholiques* et chacun de leurs membres ajoutera à son titre de *Silloniste* le même qualificatif de *catholique*. Il va sans dire que tout *Silloniste catholique* restera libre de garder par ailleurs ses préférences politiques, épurées de tout ce qui ne serait pas entièrement conforme, en cette matière, à la doctrine de l'Eglise. Que si, Vénérables Frères, des groupes refusaient de se soumettre à ces conditions, vous devriez les considérer comme refusant par le fait de se soumettre à votre direction; et, alors, il y aurait à examiner s'ils se confinent dans la politique ou l'économie pure, ou s'ils persévèrent dans leurs anciens errements. Dans le premier cas, il est clair que vous n'auriez pas plus à vous en occuper que du commun des fidèles; dans le second, vous devriez agir en conséquence, avec prudence mais avec fermeté. Les prêtres auront à se tenir totalement en dehors des groupes dissidents et se contenteront de prêter le secours du saint ministère individuellement à leurs membres, en leur appliquant au tribunal de la Pénitence les règles communes de la

morale relativement à la doctrine et à la conduite. Quant aux groupes catholiques, les prêtres et les séminaristes, tout en les favorisant et en les secondant, s'abstiendront de s'y agréger comme membres; car il convient que la milice sacerdotale reste audessus des associations laïques, mêmes les plus utiles et animées du meilleur esprit.

Telles sont les mesures pratiques par lesquelles nous avons cru nécessaire de sanctionner cette lettre sur le *Sillon* et les Sillonistes. Que le Seigneur veuille bien, nous l'en prions du fond de l'âme, faire comprendre à ces hommes et à ces jeunes gens les graves raisons qui l'ont dictée, qu'Il leur donne la docilité du cœur, avec le courage de prouver, en face de l'Eglise, la sincérité de leur ferveur catholique; et à vous, Vénérables Frères, qu'Il vous inspire pour eux, puisqu'ils sont désormais vôtres, les sentiments d'une affection toute paternelle.

C'est dans cet espoir, et pour obtenir ces résultats si désirables, que Nous vous accordons de tout cœur, ainsi qu'à votre clergé et à votre peuple, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près de St. Pierre, le 25 Août 1910, la huitième année de Notre Pontificat.

PIUS PP. X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

Dubia circa interpretationem Motus Proprii "Cum per Apostolicas" diei 7 Aprilis 1910,

Feria IV, die 15 Iunii 1910.

Exortis circa interpretationem Motus Proprii "*Cum per Apostolicas*" diei 7 Aprilis anni currentis quibusdam dubiis, Supremæ huic Sacrae Congregationi S. Officii sequentia quaesita proposita sunt, videlicet:

1.^o Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium quae ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis praeposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentae fuerunt?

2.^o An dictae exhibitioni sint obnoxiae concessiones Indulgentiarum facultatumque Indulgentias respicientium quae a

Brevium Secretaria obtentae sunt post diem 1 Novembris 1908 ; quaeque sive ante sive post eandem diem 1 Novembris 1908 a quovis alio, praeter recensita, S. Sedis Officio seu Dicasterio prodierunt ?

3.^o An Indulgentiae ac facultates Indulgentias respicientes ante diem 1 Novembris 1908 aliter quam per tramitem alicuius ex supra laudatis S. Sedis Officiis seu Dicasteriis obtentae, debeant et ipsae S. Congregationi S. Officii exhiberi ab eaque recognosci sub poena nullitatis ?

4.^o Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae, ut supra, exhiberi debeant facultates, quae conceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tamquam ipsorum propriae, benedicendi pias imagines, coronas, scapularia, numismata et similia (utpote a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Praedicatoribus pro coronis Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo, etc.) eisue Indulgentias adnectendi ?

Quibus mature perpensis, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 15 curr. mensis Iunii respondendum decreverunt :

Ad 1.^{um} Negative.

Ad 2.^{um} Affirmative ad utramque partem.

Ad 3.^{um} Affirmative.

Ad 4.^{um} Negative.

Sequenti vero feria V die 16 eiusdem mensis SSmus. D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, Emorum. Patrum resolutiones adprobare et confirmare dignatus est atque insimul declarare "non fuisse suae intentionis comprehendere sub N. 1.^o Motus Proprii '*Cum per Apostolicas*' facultatem Benedictionem, Apostolicam cum Indulgentia Plenaria una alterave vice vel determinato alicui personarum coetui impertiendi."

Romae, ex Aedibus S. Officii, die 17 Iunii 1910.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

L. ✠ S.

Dubia circa interpretationem Motus Proprii "*Cum per Apostolicas*," diei 7 Aprilis 1910.

Feria IV, die 13 Iulii 1910.

Circa interpretationem Motus Proprii "*Cum per Apostolicas*" diei 7 Aprilis currentis anni 1910 Supremae huic Sacrae Congregationi S. Officii sequentia dubia proposita sunt :

1.^o Utrum Sacrae Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessionem Indulgentiarum et facultatum

Indulgentias respicientium, quae ante diem 1^{am} Novembris 1908 a S. Congregatione de Propaganda Fide factae fuerunt suis subditis.

2.^o Utrum exhiberi debeant recognitioni Congregationis S. Officii concessionibus Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium factae ab eadem Congregatione de Propaganda Fide post diem 1^{am} Novembris 1908 et in posterum ab eadem faciendae suis subditis.

Quibus mature perpensis, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV, die 13 curr. mensis Iulii, respondendum decreverunt :

Ad 1.^{um} Negative.

Ad 2.^{um} Negative.

Et ad mentem. Mens est ut firma et observanda maneat lata lex per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum ac SS. Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die 28 Ianuarii 1756, confirmatum a Pio PP. IX, die 14 Aprilis 1856, iterumque confirmatum a SSmo. Dno. Nostro Pio PP. X, die 29 Septembris 1908 (*Ordo servandus in Romana Curia, Normae peculiare cap. VII, art. 2, n. 81*) hoc est :

“Impetrantes posthac generales Indulgentiarum concessionibus teneri sub poena nullitatis gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam S. Congregationis deferre.” Id est ad Secretariam S. Officii.

Sequenti vero feria V, die 14 eiusdem mensis, SSmus. D. N. D. Pius divina providentia Papa X, in solita audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, Emorum. Patrum resolutiones adprobare et confirmare dignatus est.

Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 Iulii 1910.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

L. ✠ S.

DECRETUM.

Feria IV, die 7 Septembris 1910.

In Generali Consessu Supremae huius Congregationis Sancti Officii Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales in rebus fidei ac morum Inquisitores Generales damnarunt ac proscripserunt et in Indicem librorum prohibitorum referri mandarunt sequentia commentaria et opera :

A—*Rivista Storico-critica delle Scienze Teologiche*.—Pubblicazione mensile. Roma.

B—Libros Collectionis “*Manuali di Scienze Religiose*” hucusque editos, scilicet :

1.—*Alfonso Manaresi*—L'impero Romano e il Cristianesimo nei primi tre secoli—Vol. I. Da Nerone a Commodus. Roma, 1910.

2.—*Ernesto Buonaiuti*—Saggi di Filologia e Storia del Nuovo Testamento. Roma, 1910.

3.—*Francesco Mari*—Il Quarto Vangelo. Roma, 1910.

Et insequentibus diebus, die 8 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Pius Div. Prov. Papa X in audientia R. P. D. Adessorum Sancti Officii impertita, habita de re plena relatione, decretum Eminentissimorum Patrum approbavit ac confirmavit.

Datum Romae, in Aedibus Sancti Officii, die 10 Septembris 1910.

ALOISIUS CASTELLANO, S. R. et U. I. Notarius.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

De Amotione Administrativa Ab Officio et Beneficio Curato.

DECRETUM.

Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti et sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanent: nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est, instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus; parochus autem hac illave de causa, etiam culpa semota, utile ministerium in paroecia non gerat, vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaria vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed

utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est : et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.

Verum, quum de hac amotione canonicae legis haud plane certae perspicuaeque viderentur, coetus Consultorum et Emorum. Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit; collatisque consiliis, censuit formam quandam accuratiorē esse statuendam, qua gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars regeretur. Quae studia quum SSmus. D. N. Pius PP. X et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacrae huius Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset, nulla interiecta mora, novae huius disciplinae beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi iussit, quo novae normae de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutae promulgarentur, eademque canonicam legem pro universa Ecclesia constituerent, omnibus ad quos spectat rite religioseque servandam.

Haec autem normae hisce qui sequuntur canonibus continentur.

I.—De causis ad amotionem requisitis.

Can. 1.

Causae ob quas parochus administrativo modo amoveri potest hae sunt :

1.° Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur; aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convalescerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eundem in officio retinere.

2.° Imperitia et ignorantia quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3.° Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4.° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

5.° Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi, vel ex alia eius noxia, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine, quod nuper detectum ob praescriptionem poena plecti

amplius non possit ; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi fama sit satis provisum.

6.^o Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

7.^o Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno ; quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parochus aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

8.^o Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adstantia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

9.^o Inobedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiam domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similibus.

Monitio de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus ; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet.

II.—De modo procedendi in generali.

Can. 2.

§ 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est : ut ante omnia parochus invitetur ad renunciandum : si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum : si recursum contra amotionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad praecedentis decreti confirmationem.

§ 2. In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis quae substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

III.—De personis ad motionem decernendam necessariis.

Can. 3.

§ 1. In invitatione parochus facienda ut renunciaret, et in amotionis decreto ferendo, Ordinarius ut legitime agat, non potest ipse solus procedere ; sed debet inter examinatores, de quibus statuit Sacra Tridentina Synodus, cap. XVIII, sess. XXIV, *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus pro quibus hic expresse exigitur : in ceteris vero consilium.

§ 2. In revisione autem decreti amotionis, quoties haec necessaria

evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinadoribus dictum est.

Can. 4.

Examinadoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda haec esto :

§ 1. Si synodus habeatur, in ea, iuxta receptas normas, eligendi erunt tot numero quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit.

§ 2. Examinadoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam synodum demortuis, vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli Cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu Consultorum dioecesanorum.

§ 3. Quae regula servetur quoque in examinadoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties synodus non habeatur.

§ 4. Examinadores et consultores sive in synodo, sive extra synodum electi, post quinquennium a sua nominatione, vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de iure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu Capituli Cathedralis, vel consultorum dioecesanorum.

Can. 5.

§ 1. Examinadores et parochi consultores ab Ordinario in causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione electionis, et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione aetatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in iure recognitam suspecti evidentem appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eandem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinadoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

Can. 6.

§ 1. Quoties in canonibus qui sequuntur expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinadorum vel consultorum consensu, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de consilio examinadorum vel consultorum procedere potest, satis est ut eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat, et ab omnibus subsignetur.

Can. 7.

§. 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato iureiurando, servare secretum officii circa omnia quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptiones in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinantis et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpa gravitate, servatis servandis, multari poterunt: ac praeterea obligatione tenentur sarcindi damna, si quae fuerint inde sequuta.

IV.—De invitatione ad renunciandum.

Can. 8.

Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii iudicio, videatur parochus incidisse in unam ex causis superius in *can. 1*, recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum.

Can. 9.

§ 1. Formalis haec invitatio semper praemittenda est antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§ 2. Decernenda autem est de examinerum consensu.

Can. 10.

§ 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiae servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renunciandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parochi pateferi causae seu ratio ob quam invitatio fit, argumenta quibus ratio ipsa innitur, servatis tamen debitis cautelis de quibus in *can. 11*, examinerum suffragium postulatum et impetratum.

§ 3. Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinerum qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra decem dies ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

Can. 11.

§ 1. Incommunicandis argumentis quibus comprobatur veritas causae ad renunciationem obtinendam adductae, caveatur ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2. Item relationes ac documenta quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; imo ne verbis quidem, nisi cauto omnino ne memorata incommoda eveniant.

Can. 12.

Fas autem parochus est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest iusta de causa, cum examinerum consensu, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

Can. 13.

§ 1. Si parochus invitationi sibi factae assentiri et paroecia se abdicare statuatur, renunciationem edere potest etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

§ 2. Fas autem parochus renuncianti est loco causae ab Ordinario invocatae aliam ad renunciandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renunciatione sequuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renunciatione declaret.

V.—De amotionis decreto.

Can. 14.

§ 1. Si parochus intra utile tempus nec renunciationem emittat, nec dilationem postulet, nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renunciandum, rite factam, parochus innotuisse, neque ipsum quominus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis quae in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parochus invitationem ad renunciandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

Can. 15.

§ 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus scripto deducere iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam ob quam renunciatio petitur impugnet et evertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit comprobandum, duos vel tres testes proponere, et ut examinentur postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinatorum consensu eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis liqueat et testium examen inutile et ad moras nectendas petitum appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriat quod diluere oporteat ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinatorum consilio, etiam parochus non postulante, testes qui necessarii videantur inducere, et parochum ipsum, si opus sit, interrogare.

Can. 16.

§ 1. In examine testium sive ex officio sive rogante parochus inductorum, ea dumtaxat servantur quae necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatione parochi, si locum habeat, servetur.

Can. 17.

§ 1. Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quae afferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus iuxta *can. 9* invitari nequeat ad iura sua deducenda, aut quando iuxta *can. 11* testium nomina et aliqua documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes adhibeat, (seu *diligentias*, ut vulgo dicitur, peragat) ut de documentorum valore et de testium fide iustum iudicium fieri possit.

Can. 18.

§ 1. Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parochus est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare, aliaque agere quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium

impedire possunt : secus, iuxta prudens Ordinarii iudicium, pro gravitate culpae puniatur.

§ 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo resolvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi benevisum et ab Ordinario acceptatum procuratorem suum constituere.

Can. 19.

§ 1. Omnibus expletis quae ad iustam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examinadoribus discutiendum est, et per secreta suffragia iuxta praescripta in *can. 6* res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet causam parochi denuntiatae vere adesse eamque legitimam.

Can. 20.

§ 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii iudicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renunciandum, de exhibitis a parochi allegationibus ac de requisito et obtento examinadorum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti ; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

Can. 21.

Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur : de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

VI.—De actorum revisione.

Can. 22.

§ 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eundem Ordinarium pro revisione actorum coram novo Consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat iuxta § 2, *can. 3*.

§ 2. Recursus interponendus est intra decem dies ab indicto decreto ; nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet se vi maiori impeditum a recursu fuisse ; de qua re

videre debet Ordinarius cum examinadoribus, quorum consensus requiritur.

Can. 23.

Interposito recurso, dantur parochus adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis quae superius in discussione coram examinadoribus statutae sunt salva dispositione § 4, *can. seq.*

Can. 24.

§ 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus praecedentibus vitia formae in ea irrepserint quae rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen ius non habet exigendi ut novi testes inducantur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua iura concedantur.

Can. 25.

§ 1. Admissio vel reiectio recursus maiore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus huius consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

VII.—De amoti provisione.

Can. 26.

§ 1. Sacerdoti ex facta sibi invitatione renunciante, aut administrativo modo a paroecia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam paroeciam, aut per assignationem alicuius ecclesiastici officii, aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinadores, vel parochos consultores si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

Can. 27.

§ 1. Paroeciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest paroeciam parvis, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet nisi servatis de iure servandis.

§ 3. In pari conditione, renuncianti magis favendum in provisione est, quam amoto.

Can. 28.

§ 1. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renunciandum vel separatis litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigit ut expediatur.

Can. 29.

§ 1. Sacerdos qui renunciavit, aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent eius oeconomio regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum*, ubi sit opus, paroecialium aedium, usque dum possit pro prudenti eiusdem Ordinarii iudicio commode alio transferri. Interim vero novus paroeciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet.

VIII.—De iis qui huic legi subiacent.

Can. 30.

Superius constitutis regulis,—adamussim applicandis iis omnibus qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine,—locus non est, quoties paroecia committatur curae alicuius sacerdotis qua oeconomii temporalis vel Vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

Can. 31.

§ 1. Si parochus in ius rapiatur ut reus criminis, pendente criminali iudicio sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate, locus non datur administrativae illius amotioni; sed expectandus est exitus iudicii.

§ 2. Interim tamen si agatur de crimine quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam

animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat : ea vero munia cum congrua fructuum assignatione Vicario aliive a se eligendo committat.

§ 3. Iudicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi, vel eius administrativae amotioni, vel canonicae destitutioni, prout iustitia exigat et adiuncta ferant.

Can. 32.

Ordinarii nomine pro omnibus quae in hoc titulo statuuntur non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

Iis autem cito exsequendis quae in hoc decreto statuuntur, SSmus. Dominus Noster mandat ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores, iuxta praescripta *Can. 4*, constituent. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in dioecesi, sive in synodo sive extra synodum electi, habeantur, statuit ut, de Cathedralis Capituli vel consultorum dioecesanorum consilio, aut eos in officio confirmare (hac tamen lege ut post quinquennium a munere cessent), aut ad novam examinatorum electionem, servata regula *Can. 4*, devenire possint, prout prudentia et adiuncta suaserint. Deficientibus vero in dioecesi examinatribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Praesentibus valituris, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, die 20 Augusti 1910.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.

SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

L. ✠ S.

DECRETUM

De secreto servando in designandis ad sedes episcopales.

Rogantibus nonnullis Antistitibus, ut decretum S. C. Consistorialis diei 30 Martii huius anni 1910, de secreto servando in iis designandis, qui ad sedes episcopales proponuntur in foederatis statibus Americae septentrionalis, extenderetur ad suas quoque dioeceses et provincias ubi eadem vel similis forma designationis obtinet, SSmus. D. N. Pius PP. X, de consulto S. C. Consistorialis, votis sibi oblatis obsecundans in audientia diei 17 Iunii infrascripto Cardinali concessa, statuit ac decrevit, ut memoratum decretum, congrua congruis referendo, ad omnes praedictas regiones extendatur eiusque praescripta ab omnibus, ad quos spectat, adamussim serventur, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 2 Iulii 1910.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.

SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

L. ✠ S.

CONGREGATION OF SACRAMENTS.

DECRETUM

De Aetate Admittendorum

Ad Primam Communionem Eucharisticam.

Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosequutus, Evangelii paginae plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit; ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei.*¹ Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit quum, advocato parvulo, discipulis ait; *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum.—Et qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit.*²

Haec memorans Catholica Ecclesia, vel a sui primordiis, admove re Christo parvulos curavit per Eucharisticam Communionem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eiicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

Neque in baptis mate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et Augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, solemnii sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno mcccv, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio praescribitur et Sacra Communio, hisce verbis: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem

¹ MARC., X, 13, 14, 16.² MATTH., XVIII, 3, 4, 5.

semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum."

Concilium Tridentinum¹, nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Eucharistiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent: "Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit."²

Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

Verum in hac rationis, seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Poenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad Poenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seriore requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab Eucharistica Communionem pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus.

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris Augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret, quam sancta mysteria delibasset. Etiam si vero primae Communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis Confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigen in locis, quo

¹ Sess. XXI. de Communionem, c. 4. ² Sess. XIII, de Eucharistia, c. 8, can. 9.

sacramentalis Confessio inhibetur pueris nondum ad Eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, Sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

Eiusmodi damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae Communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Iansenianis erroribus esse profectum, qui Sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus quum docuit, eam esse "antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur"¹; quae doctrina nuper a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die xxvi mensis Decembris an. MDCCCXV lato, quo ad Communionem quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quanam sit aetas discretionis, qui aliam Poenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est, qua Eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas in qua puer usum rationis est assequutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiae constat, synodos plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros

¹ Sess. XIII, de Eucharistia, c. 2.

annorum septem ad primam Communionem admisisse. Exstat praeterea summae auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cuius haec legimus: "Quando iam pueri *incipiunt aliqualem* usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius Sacramenti (Eucharistiae), tunc potest eis hoc Sacramentum conferri."¹ Quod sic explanat Ledesma: "Dico ex omnium consensu, quod omnibus habentibus usum rationis danda est Eucharistia, quantumcumque cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid faciat."² Eundem locum his verbis explicat Vasquez: "Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit statim ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum omnino liberare."³ Eadem docuit S. Antoninus, scribens: "Sed cum est doli capax (puer), cum scilicet potest peccare mortaliter, tum obligatur ad praeceptum de Confessione, et per consequens de Communionem."⁴ Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat Sess. XXI, c. 4: "parvulus usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem," unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: "Siquidem, inquit, adeptam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt." Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros Communionis necessitate atque obligatione teneri quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiae sumendae incipere "postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, ad illam videlicet aetatem in qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum, qui alius non est quam verum Iesu Christi corpus, a pane communi et profano, et sciunt accedere cum debita pietate ac religione."⁵ Catechismus Romanus autem, "qua aetate, inquit, pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant."⁶

Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem Eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote

¹ *Summ. Theol.*, 3 part., q. 80, a. 9, ad. 3.

² In S. THOM., 3 p., q. 80, a. 9, dub. 6.

³ In 3 P., S. THOM., disp. 214, c. 4, n. 43.

⁴ P. III, tit. 14, c. 2, § 5.

⁵ *Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Communionem.* Append. XXX, P. II.

⁶ P. II, *De Sacr. Euchar.*, n. 63.

accedere. Itaque non perfecta rerum Fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio*, neque plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis*. Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX litteris Cardinalis Antonelli ad episcopos Galliae datis die XII Martii anno MDCCCLXVI invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae Communionis ad maturiores eosque praefixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die XV mensis Martii an. MDCCCLI Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad Communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentiniensi die XXV mensis Martii anno MDCCCX; in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram Communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit: "Pueros et puellas, cum ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram mensam admittendos esse."

Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic Ordo de disciplina Sacramentorum, in generali Congregatione habita die XV mensis Iulii a. MDCCCX, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam statuere opportunum censuit.

I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debet integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque Eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in

parochuni. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicare atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita SSmus. D. N. Pius Papa X, in audientia diei vii currentis mensis omnia adprobavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris diocesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis, die viii mensis Augusti anno MDCCCX.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.
Ph. GIUSTINI, *a secretis*.

ROMANA ET ALIARUM

De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo.

Decreto S. Congregationis de disciplina Sacramentorum edito die 14 mensis Maii anno 1909, statutum fuit : " Quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita."

Circa quod decretum eidem S. C. dirimendum propositum est dubium :

" An praefato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii diei 9 Ianuarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis."

Et haec S. C., re perpensa, respondendum censuit : " Affirmative."

Datum ex aedibus eiusdem S. C., die 29 mensis Iulii, anno 1910.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

CONGREGATION FOR RELIGIOUS COMMUNITIES.

Dubia circa interpretationem declarationum

diei 7 Septembris 1909.

Cum nonnulla dubia exorta fuerint circa rectam interpretationem Declarationum huius Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 Septembris 1909, quoad articulum VI., Decreti *Auctis admodum*, eorum solutio ab hac eadem Sacra Congregatione expostulata fuit, nimirum :

1. Utrum praedictae Declarationes respiciant tantum Domus Religiosas studiorum solius Italiae, an etiam, eas ubique terrarum constitutas.

2. Utrum eisdem Declarationibus sese conformare debeant eae tantum Congregationes Religiosae, in quibus emittuntur vota, an etiam, illae, quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, ut apud Eudistas.

3. Utrum, contracto vacationum tempore, et pressius aucto studiorum conatu, totus Theologiae cursus tribus tantum annis

comprehendi possit; an potius per quatuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protrahi debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prouti respondet:

Ad 1. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 3. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, die 31 Maii 1910.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

F. CHERUBINI, *Subsecretarius*.

L. ✕ S.

De Abbatissis et aliis Praefectis Perpetuis extra Italiam.

Cum adhuc perdurent dubia circa extensionem Constitutionis "*Exposcit debitum*," diei 1 Ianuarii 1583 extra Italiam, re, in Plenariis Comitibus Sacrae Congregationis de Religiosis die 3 Iunii 1910 habitis, proposita, omnibus maturissime perpensis, Emi. ac Rmi. Patres Cardinales declarandum censuerunt: *Servandas esse hac in re extra Italiam regulas et constitutiones a Sancta Sede approbatas et consuetudines immemorabiles; facto verbo cum Sanctissimo.*

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia, die 4 eiusdem mensis Iunii infrascripto Subsecretario concessa, sententiam Emorum. Patrum adprobare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Fr. J. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

FRANCISCUS CHERUBINI, *Subsecretarius*.

L. ✕ S.

Gregorius XIII in Constitutione "*Exposcit debitum*" statuit, ut in universa Italia et praesertim in utriusque Siciliae Regnis, Abbatissae et aliae Monasteriis Praefectae, cujuscumque Ordinis, non amplius in perpetuum, sed ad triennium tantum eligerentur, quo elapso, iterum et pluries, servata forma in Concilio Tridentino statuta, eligi possent.

DECRETUM.

De aliqua in novitiatu studiis opera danda.

Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, Novitiatu institutus est, qui ideo, per

unum saltem annum, sub Magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur.

Quum autem experientia constet, adsiduus pietatis officiis, licet opportune variis, adolescentium praesertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem; et quum in ipso Novitiatu moderata aliqua studiis assignatio possit Novitiis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia; Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Emorum. Patrum, die 26 Augusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis Ordinibus et Congregationibus Religiosis apprime servanda:

1. Novitii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

2. Studiis praeerunt Magister Novitiorum vel Vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, praeter aliam, quotidie a Novitiis studiis privatim addicendam, Novitios in unum collectos, veluti in Schola, instruere aut saltem eorum progressus in studiis exquirere.

3. Quamvis haec ut veri nominis schola censi nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, Novitii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex eadem percipiant; hinc autem, Magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cuiusvis Ordinis vel Congregationis naturae respondeat. Linguae patriae, et pro Novitiis Ordini sacro destinatis, linguae latinae quoque ac graecae studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quae iam pridem Novitii didicerunt, praesertim grammatices, sive per lectionem eorum sanctorum Patrum et antiquorum Ecclesiae auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, Lactantii, S. Ioannis Chrysostomi, Eusebii et similium; item Evangelii S. Lucae et Actuum Apostolorum, graece conscriptorum.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quae quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut Novitii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quamdam publice dicendi dexteritatem acquirendam. Item opportunum erit, ut Novitii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur

latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

4. Qui scholae praeest adnotet, in scriptis, cuiusvis Novitii diligentiam ac progressus, et horum, item scriptum, mittat ad Superiorem Generalem vel Moderatorem Provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam Novitii, expleto Novitiatu, ad professionem votorum admittantur.

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 Augusti 1910. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Augusti 1910.

L. ✠ S.

Fr. J. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

FRANCISCUS CHERUBINI, *Subsecretarius*.

DECRETUM.

Quoad sacerdotes comitantes praesidem capituli in electione priorissae.

Emi. Patres Sacrae Congregationis, Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Plenario Coetu, ad Vaticanum habito die 26 mensis Augusti 1910, quaestioni, saepe agitatae, si et quot Sacerdotes sociare sibi debeat Episcopus vel Praelatus Regularis, qui praeest Monialium Capitulo, ad eligendam Abbatissam vel Priorissam Monasterii coacto, re mature perpensa, responderunt.

“In electionibus Abbatissae aut Priorissae, sive Monasterium subiiciatur Episcopo, sive Praelato Regulari, singula vota Monialium in urna clausa colligantur et a Praelata Praeside cum duobus Sacerdotibus scrutatoribus aperiantur; quod si gravi de causa, vota oretenus dentur, id fiat coram Praelato, adsistentibus tamen Sacerdotibus scrutatoribus. Sacerdotes, de quibus agitur, sint maturae aetatis et probatae virtutis. Attamen uti scrutatores aut socii Episcopi vel Praelati non admittantur ipsi Monialium Confessarii ordinarii.”

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Subsecretario die 27 eiusdem mensis Augusti 1910, rata habere et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria Sacra Congregationis de Religiosis, die 27 Augusti 1910.

L. ✠ S.

Fr. J. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

FRANCISCUS CHERUBINI, *Subsecretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

De vetito usu coronidum, sive ex ligno sive ex metallo, in altaribus.

Hodiernus S. Montis Alverniae Superior cum suo Directorio, de consensu Rmi. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit.

Multis in Ecclesiis, ad maiorem Altarium munditiem et ne rugosae sed magis extensae eorundem mappae servarentur, usus invaluit, innumeris abhinc annis, Coronidum, variis materiis confectarum, lignea non exclusa. Hae coronides lignae ab Altaribus removebantur, iuxta Episcoporum Caeremoniale (Lib. I, cap. 12, n. 11), dum festivis diebus Sacra Solemnia sive Missae sive Vesperae celebrabantur. Talem agendi rationem esse consonam supradicti Caeremonialis praescriptionibus, eruitur etiam ex novissimo Ordinis Minorum Caeremoniali, die 4 Octobris 1908 edito et rite a S. Sede approbato, (Lib. I, part. 2, cap. et art. 1), in quo agitur de non apponendis Altaribus ligneis Coronidibus iuxta Caeremoniale Episcoporum supradictum, cum de ornatu Altarium in Vesperis et Missis solemnibus sermo est. Quum autem Sacra Rituum Congregatio ad dubium super liceitate talium corollarum, die 24 Februarii 1908 respondisset his generalibus verbis: *Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum; Lib. I, cap. 12, n. 11 "Nullae tamen coronides lignae,"* etc.; atque haec responsio aliquam attulerit dubietatem; idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter postulavit:

I. Utrum, remotis ab Altaribus Coronidibus ligneis dum Sacra Solemnia, ut supra, peraguntur, tolerari et permitti possint aliis temporibus, attenta praesertim antiquissima consuetudine?

II. Quatenus negative, utrum adhiberi possint ex metallo decenti coopertae, vel saltem de metallo totaliter confectae?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. et II. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 13 Maii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius.*

L. ✠ S.

**Super missa seu collecta in anniversario electionis
seu translationis episcopi, iuxta caeremoniale episcoporum.**

Ex Decretis S. R. C. n. 3661 *Halifaxien.* 16 Aprilis 1866 ad III et n. 3876 *Quebecen.* 13 Decembris 1895 ad VIII dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a summo Pontifice publicatur in Consistorio, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab eiusmodi publicatione consistoriali hucusque communiter computatum est anniversarium electionis seu translationis Episcopi ad effectum Missae seu Collectae respondentis iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. II, cap. 35). Nunc vero, de mandato SSmi. Domini Nostri Pii Papae X, ex audientia diei 20 nuper elapsi mensis Maii, per Sacram Congregationem Consistorialem patefacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declarat diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo agitur in citato libro et capite Caeremonialis Episcoporum, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis, quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declarat, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadiuti munere et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum pro Coadiutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, praesertim in una *Marianopolitana* n. 3440 diei 30 Ianuarii 1878. Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit ab hac die 8 Iunii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.
L. ✠ S.

**Decretum seu declaratio circa collectam pro episcopo eligendo,
iuxta caeremoniale episcoporum.**

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, diei 8 Iunii nuper elapsi, dies electionis seu translationis Episcopi in Consistorio electi seu translati adhuc computanda est a die nominationis consistorialis, quoad Episcopos autem ante Consistorium electos seu translatos eiusmodi dies computanda est, non a die

publicationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium. Quapropter etiam Collecta pro eligendo novo Episcopo, tempore Ecclesiae vacationis, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum Lib. II., cap. 38, num. 27, quae ex decreto n.º 2672 in *Florentina* diei 19 Decembris 1829 ad III., continuari debuerat usque ad diem electionis seu Consistorii secreti, deinceps continuabitur usque ad diem, qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Litterarum Apostolicarum expeditionem, a Curia Dioecessana rite evulgata fuerit.

Atque ita haec Sacra Rituum Congregatio declaravit et in posterum servari mandavit, die 8 Iulii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

Circa missam parochialem.

Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequens dubium propositum fuit, nimirum :

In quibusdam Dioecesibus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolicae Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur. Quaeritur: Utrum in Ecclesiis Parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositae quaestioni ita respondendum esse censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescipit, die 8 Iulii 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, S. R. C. *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

APOSTOLIC LETTERS.

I.

Erigitur Novo Archidioecesis Simlensis (Simla) In Indiis Orientalibus.

PIUS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.—Incensum, quod Nos urget studium Christi regnum in terris propagandi, admonet Nos, ut quum in aliqua regione auctus fidelium numerus tum Episcoporum muneribus, tum ipsius gregis utilitati officere videatur, mutatis eorumdem locorum conditionibus quam maxime prospiciamus. Cum vero inter ingentem hominum multitudinem, qui septentrionalem tractum Indiarum Orientalium incolunt, Christifideles, adiuvante Domino, non intermisisse succrescant, cumque pluris intersit eos quotidie magis augeri ac multiplicari; Nos, de consilio etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Christiano nomini propagando praepositorum, novam ibi Metropolitanam Sedem erigendam censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium vi, motu proprio, aliquot districtus ab archidioecesi Agraensi et aliquot a dioecesi Lahorensi seiungimus ac dismembramus, eosque in archidioecesim, cuius sedem in Urbe Simla positam volumus, dilata sententia quod ad eius suffraganeas ecclesias, erigimus et constituimus. Praeterea novam huiusmodi archidioecesim apostolicis curis Ordinis Fratrum Minorum Capulorum libenti animo concedimus, quippe qui de catholica Religione inter Indos proferenda optime assidueque mereantur. Denique votis sive dilecti filii Nostri S. R. E. Cardinalis eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecti, sive Venerabilium Fratrum Archiepiscopi Agraensis et Episcopi Lahorensis benigne exceptis, quibus commissum fuerat praestitutae huius archidioecesis limites praefinire, his, qui sequuntur, districtibus eandem archidioecesim constare decrevimus. Itaque ab archidioecesi Agraensi seiungantur districtus quorum vulgo nomina: “Simla, Ambala, Hissar, Karnal, Patiala, Nakha, Jind, Loharu et Maler Kotla,” atque e dioecesi Lahorensi districtus seiungantur, vulgo nuncupati: “Mandi, Suket, Kulu, Lahul et Spiti,” atque ex his omnibus

nova archidioecesis componatur, quae est Simlensis appellanda. Decernentes, praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostreis et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Septembris MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

L. ✠ S.

II.

Erigitur Novus Vicariatus Apostolicus de "Kilima-Njaro" in Africa Orientali.

PIUS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.—In hoc summo Sacerdotii fastigio, ad quod evecti sumus, cum illud praecipue sit Nobis cordi, ut Christi nomen in universas terras quam maxime propagetur, novas ad hoc Missiones in iis locis libentes erigimus, ubi auctus fidelium numerus id postulare videatur. Itaque cum Apostolicus Vicariatus de Bagamoyo in Africa orientali, haud pridem erectus, non mediocre divina opitulante gratia incrementum habuerit, peropportuno Nobis visum est, quo nascentibus in eadem regione necessitatibus facilius prospici queat, et catholicae fidei progressum impensius foveri, distractam ex huiusmodi Vicariatu borealem partem in novam constituere Missionem. Quare omnibus rei adiunctis cum Venerabilibus Fratribus Nostreis S. R. E. Cardinalibus S. Congregationi Christiano nomini propagando praepositis scite naviterque perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostreis, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine praesentium tenore borealem plagam praedicti Apostolici Vicariatus de Bagamoyo a reliquo eiusdem Missionis territorio seiungimus, atque in novum Vicariatum apostolicum de *Kilima-Njaro* nuncupandum erigimus et constituimus, cuius fines sint: ad Boream Vicariatus apostolicus de

Zanzibar; ad Orientem Oceanus Indicus: ad Occidentem Vicariatus apostolicus de Unianembe: ad Meridiem vero definiatur cursu Fluminis *Msangassi* ab eius ostio in Oceanum usque ad *Mgera*,—qui locus ad Bagamoyensem Vicariatum pertinere pergit,—atque exinde per lineam quae Occidentem versus sequitur usque ad limites Vicariatus de Unianembe prope lacum *Balangidda* ad Septentionem loci *Jvangi*. Praeterea novum hunc Vicariatum apostolicum de *Kilima-Njaro* ita constitutum quem omnibus et singulis iuribus, honoribus, privilegiis, indultis frui volumus, quibus apostolici huiusmodi Vicariatus gaudent, eadem Apostolica auctoritate Nostra ac propensa quidem voluntate curis committimus alumnorum Congregationis a Spiritu Sancto et ab Immaculato Mariae Corde. Decernentes, praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Septembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

L. ✠ S.

Vicariatus Apostolicus Gibraltariensis in Diocesim Immediate subiectam erigitur.

PIUS PP. X.

Ad futuram rei memoriam. Quae ad spirituale fidelium bonum satius procurandum expedire in Domino videantur, ea Nos, in hac Sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati, libenti quidem animo pro re ac tempore largimur. Cum vero ut incremento et dignitati Christiani nominis propagandi in Apostolico Vicariatu Gibraltariensi melius prospiceretur, de eius erectione in Diocesim peropportune iudicatum sit; Nos omnibus rei momentis sedulo perspectis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Propagandae Fidei praepositis, huiusmodi votis censuimus obsecundandum. Quare motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris

Vicariatum Apostolicum Giblatariensem in Dioecesim eiusdem nominis, huic Sanctae Sedi immediate subiectam, erigimus et constituimus, eamque curis alumnorum Congregationis Benedictinae Cassinensis a primaeva observantia libentes committimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non aliis Constitutionibus Apostolicis in contrarium facientibus quibuscumque. Decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX mensis Novembris MDCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

MOTU PROPRIO

De novis quarundum bullarum formulis in Cancellaria Apostolica Utendis.

In Romanae Curiae ordinatione, per Constitutionem *Sapientis Consilii* decreta, Cancellariae Nostrae Apostolicae prospicientes, munus commisimus coetui trium purpuratorum Patrum, id est Cardinalibus Cancellario, Datario et a Secretis Congregationis Consistorialis, quamprimum reformandi "formulas *Bullarum* collationis beneficiorum sive consistorialium, sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesium et capitulorum; denique *Regularum*, quas *Cancellariae* vocant" (*Ordo servandus*, part. II., cap. 9, art. I).

Memorati PP. Cardinales, quibus id negotii demandatum est, re mature perpensa adhibitisque in consilium aliquot adlectis viris, officii partem expleverunt et novas condiderunt formulas, quibus Cancellaria Apostolica uti debeat in conficiendis *Bullis*, hoc est apostolicis sub plumbo Litteris de beneficiis consistorialibus aliisque actis adnexis, easque formulas Nobis, ut par erat, probandas confirmandasque subiecerunt.

Quum vero easdem *Bullarum* formulas, prout in volumine typis edito continentur, diligenter inspexerimus Nostraeque voluntati plane respondere agnoverimus, Nos ex plenitudine Apostolicae potestatis eas omnino approbamus et confirmamus, atque hoc Nostro Motu Proprio approbatas et confirmatas edicimus ac declaramus, mandantes, ut, antiquis *Bullarum* formulis hae novae sufficiantur, eademque tantummodo, a die 1 mensis Ianuarii proximi anni MDCCCXI ac deinceps, ab omnibus ad quos spectat religiose recipiantur et inviolate servantur, non obstantibus quibusvis, etiam specialissima mentione aut derogatione dignis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sacra Beatae Mariae Virginis ab origine labis experti, anno MDCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

Curæ Animarum.

Die 6 Augusti 1910.

Litteris ad S. H. C., die 10 Aprilis hoc anno datis, R. P. D. Adrianus Fodéré, diocesis S. Iohannis de Mauriana, Episcopus, ea quæ sequuntur exposuit : “ Quidam parochi amovibiles suæ diocesis quibus, ob varias causas, necessitas fuit locum cedendi alibique commorandi, nunc pertinaciter recusant munus pastorale exercendum in alio loco, ut nimis onerosum. Hortationes, suasiones, hactenus vanæ profecerunt.

“ Rationes quas opponunt sunt istæ :

“ 1.^o Promissio obedientiæ Ordinario facta die promotionis ad presbyteratus officium non obligat cum tanto incommodo. Si futura prævidissent, aiunt, numquam illam emisissent.

“ 2.^o Fastidium muneris aut vitæ parochialis in hisce miseris temporibus.

“ 3.^o Tædium mendicandi victum sibi et necessaria cultui divino apud plebem suam.

“ 4.^o Animus perversus populi ingrati.

“ 5.^o Valetudo minus commoda, plerumque verosimiliter ficta, ad implendum denuo onus ultra vires.

“ Itaque ut conscientiæ suæ tutius satisfaciat certamque in præsentem normam sequatur, humiliter atque enixe postulat utrum deficientibus presbyteris pro sua dioecesi :

“ 1.^o Possit poenis ecclesiasticis cogere ad suscipiendum iterum munus parochiale quos iudicaverit idoneos ?

“ 2.^o Utrum illud debeat ? ”

Quamvis eadem vere, ut infra videbitur, et alias S. H. C. decernendum occurrerit cum tamen rerum adiuncta in Gallia præsertim post legem, quam de separatione inter Civitatem et Ecclesiam vocant, immutata non parum fuerint, rem ipsam iterum Emorum. Patrum iudicio subiicienda S. H. C. censuit.

Synopsis disputationis ex voto Consultoris desumpta.—Causa, ut ex expositis patet, respicit parochos amovibiles ad nutum seu succursalistas in Gallia, qui ex quibusdam motivis coacti munus parochiale relinquere alio se transtulerunt, et inibi munus

parochiale exercere nolunt, sed potius liberi a cura parochiali manere exoptant, licet aliud necessitas dioecesis exigat, et Episcopus eos obligare intendat. Ut factae petitioni in casu respondeatur, operae pretium erit expendere quaestionem tum in genere, scilicet utrum Episcopus etiam poenis ecclesiasticis cogere valeat sacerdotes suae dioecesis idoneos et caeteroquin liberos ab aliis incompatilibus officiis ad munus parochiale suscipiendum, tum in specie relate ad succursalistas, et haec tria examinanda proponuntur :

1.^o Quid iuxta ss. canones de mota quaestione sit sentiendum.

2.^o Quatenus sint H. S. Congregationis circa hanc materiam resolutiones.

3.^o Utrum in proposito casu vim habeant adductae rationes ab amovibilibus ex parochis ut ab imposito onere iterum suscipiendo excusentur.

Quoad primum haec notanda sunt. Antiquitus cum nullae essent paroeciae, clerici mittebantur indiscriminatim ab Episcopo cum quo vitam communem debebant, ad opem fidelium necessitatibus spiritualibus ferendam; et tunc toties quoties prout necessitas ferebat, officia spiritualia committebantur. Serius institui coepta sunt ecclesiastica beneficia quando desiit vita communis, et tunc etiam originem habuerunt paroeciae (confer Bouix *De Paroch.*, sect. 1, cap. 1): sed hae territorium assignatum adhuc non habebant, et ad has interim Episcopus clericos sibi subditos designabat. In decreto Gratiani, *causa 10, q. 1, c. 4*, haec dispositio Leonis IV ad Episcopos Britanniae legitur: "Regenda est unaquaeque parochia sub provisione ac tuitione Episcopi per sacerdotes, vel caeteros clericos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui iure pertinere videtur et circumire, ut sibi visum fuerit, ecclesiastica utilitate cogente." Tandem a Conc. Trid. statutum est quod paroeciae assignatum haberent territorium, et proprium rectorem (*sess. XIV. de ref. cap. 9, et sess. XXIV, cap. 13, de ref.*): et de clericis in genere constitutum est ut tantum essent ordinati in bonum et utilitatem dioecesis, et alicui ecclesiae incardinati sub dependentia proprii episcopi, uti inibi suis fungantur muneribus. "Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus . . . statuit ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae, aut pio loco pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus" (*sess. XXIII, cap. 16, de ref., Conc. Trid.*). Ex hac dispositione fit ut singuli clerici ex facto ordinationis censeantur incardinati dioecesi proprii Episcopi, et sub eius dependentia exercere teneantur officia ecclesiastica eique obedire.

Hanc obligationem clericorum ad acceptanda officia sibi ab Episcopo commissa clare auctor A. Bonal in suo opere *Instit. canonicae* (tractat. IV, n. 106, *De Hierar. Episcopali*) ita compendiatim exponit: "Id (dicta obligatio) constat tum ex iurisdictione in foro externo, qua pollet Episcopus et quae stare nequit quin subditi obtemperare teneantur; tum ex ipso ordinationis fine, quo clericus sub ditione proprii Episcopi remanet, ut data occasione, illius ope Episcopi dioecesis utilitatibus vel necessitatibus provideant, tum ex ipsa obedientiae promissione in die ordinationis facta, tum ex impossibilitate dioecesim gubernandi, si cuilibet clerico liceat recusare munus, cui ab Episcopo praeponitur, tum denique ex stricto caritatis praecepto sacros ministros per se obligante fidelium necessitati subveniendi." Quae cum ita sint, non videtur posse dubitari, quod Episcopi inspecto iure Tridentino valeant sacerdotes suae dioecesis caeteroquin idoneos et liberos cogere ad assumendum pastorale munus, stante spirituali dioecesis necessitate, et quidem comminatis poenis, quia secus, dicta potestas in praxi inefficax evaderet. In Gallia vero notandum est, quod post legem concordatariam initam inter Pium VII et Napoleonem I^{um} anno 1801 introducta est duplex classis parochorum nempe cantonalium seu titularium, et amovibilium ad nutum Episcopi, qui dici solent *desservants*: hi revocari possunt ad Episcopi nutum et alio destinari. Licet haec inducta disciplina non sit legitima in sensu canonum, tamen de facto est, quod a S. Sede indirecte probata fuit ex rescripto Gregorii XVI, diei 1 Maii 1845 ad Episcopum Leodiensem: "An valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam S. Sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum a. 1801, ex qua Episcopi rectoribus ecclesiarum, quae vocantur succursales iurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi si revocentur vel alio mittantur, teneantur obedire." Responsum est: "SSmus. benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a S. Sede statutum fuerit" (Bouix, p. 1, sect. IV, c. 5).

Ad secundum punctum nunc transeundo inspicere oportet, quae rationi Episcopi data facultate uti possunt. Ut aliqua via tuta vel norma in hac materia exhibeatur, opportunum censeo nonnullas subiicere resolutiones H. S. C. quae disciplinam eius innuunt, et quae referuntur in ephemeride *Monitore ecclesiastico* (v. 7, part. I, pag. 25; part. II, pag. 49, 217).

Harum decisionum duplex habetur categoria: in una recognoscitur in Episcopis facultas cogendi sacerdotes ut supra etiam intentatis censuris ad munus parochiale assumendum urgente necessitate, et ad tempus pro prudenti arbitrio Episcopi; in alia

vero a S. Sede Episcopo traduntur opportuna facultates, ut id perficere valeant, et pariter limitate ad tempus et ad casum necessitatis. Ad primam categoriam spectant decisiones editae in causis *Urbevetana*, 10 Maii 1766; *Tridentina*, 18 Augusti 1860: *Civitatis Castellanae*, 1862, in quibus datum est responsum prouti in *Naxien.*, diei 22 Augusti 1631: "Sacerdotes posse ab Episcopo compelli ad praestandum servitium, quod eiusdem ecclesiae necessitas aut utilitas requirit." Recentius in una *Parmen.*, Circa clerum, diei 17 Ian. 1886 ad dub. 3^{um} formiter propositum ut sequitur: "Utrum sub eodem praecepto obedientiae et iisdem intentatis censuris possit Episcopus sacerdotes otiosos vel ferme otiosos et sanitate suffultos compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, donec illi fas sit providere pastorem? respondit: *Affirmative, urgente necessitate et ad tempus.*

Quin imo haec decisio extensa et ampliata fuit in una *Calven.*, diei 28 Martii 1890 (confer ephemeridem ut supra *l. c.*, *part. II*, *pag. 49*); quaerenti enim Episcopo Calvensi cui aequae principaliter est unita dioecesis Theanensis: "Se possa obbligare i sacerdoti di Calvi col precetto di ubbidienza *sub gravi* e con censura di restar sospesi *a divinis et in divinis* a presentarsi o come economi curati o come parroci titolari per consorso alle parrocchie vacanti di questa diocesi di Teano . . . e se possa ancora obbligare come sopra sacerdoti religiosi, i quali per i tempi attuali dimorano in famiglia?" a S. C. hoc prodiit rescriptum: "Detur responsum ut in *Parmen.*, diei 17 Ianuarii 1886 ad tertium dubium: quoad vero viros religiosos, quatenus extra claustra vivant de suorum superiorum temporanea licentia, rem agat (Episcopus) cum iisdem superioribus." Iuxta allatas decisiones sancitur, quod Episcopi polleant nativo iure cogendi saltem ad tempus et stante necessitate, etiam sub poenis, presbyteros suarum dioecesium ad acceptandum munus paroeciale ut in casu.

E contra iuxta decisiones, quae ad alteram pertinent categoriam, dicta potestas in proposito casu Episcopis adscribitur tantum ex facultatibus Apostolicis: at hae referuntur ad Galliae Episcopos, et ad parochos succursalistas qui iam a cura excesserunt.

Anno 1884 Emus. Archiepiscopus Tolosanus S. C. sequentia exposuit quaesita pro solutione: "Cum non raro accadat ut sacerdotes quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium, ut aiunt, commissa fuit, otii vel facilioris vitae studio, muneri suo renunciare exoptent, cessione apud Ordinarium facta, etiam ante eius acceptationem, eo quod beneficia proprie dicta non tenent, relictis suis ecclesiis ad propria redeant, unde contingit non

paucos sacerdotes vitam otiosam, adhuc viribus integros degere tam in urbe episcopali quam in potioribus dioeceseos civitatibus, non sine scandalo fidelium; interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus, non sine magno religionis detrimento, eo quod Episcopus ob sacerdotum penuriam, ipsis de parcho idoneo providere nequit. Quapropter Orator quaerit:

“1.^o Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia?

“2.^o An ex praecepto obedientiae, adhibitis si opus fuerit censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi ut in suo munere persistent, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat.

“3.^o Utrum sub eodem praecepto iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat Episcopus sacerdotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usque dum illis alio modo providere queat?”

S. C. die 9 Maii eiusdem anni propositis dubiis respondit: “Attentis peculiaribus circumstantiis:

“Ad 1^{um} Negative.

“Ad 2^{um} Affirmative.

“Ad 3^{um} Affirmative, vigore facultatum, quae approbante SSmo. D. N. Emo. Archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium si tamdiu”

Ita in una *Foroiulien.*, *Curae animarum*, diei 31 Ianuarii 1891 proposito dubio: “An et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam si opus fuerit, censuris sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad curam animarum, aliaque munera pro regimine animarum necessaria suscipienda in casu,” responsum fuit: “Affirmative in terminis rescripti in *Tolosana* ad tertium, dummodo eadem circumstantiae concurrant.” Hae duae postremae decisiones, uti paulo ante notavi, attingunt dioeceses in Gallia existentes et praesertim paroecias a succursalistis regi solitas: si quaeratur cur pro harum Episcopis opportuna a S. Sede concessae sunt facultates ut cogere valeant etiam censuris refractarios sacerdotes idoneos et ab aliis officiis vacuos ad acceptandum temporanee pastorale munus, dum in Episcopis aliarum diocesum recognita est nativa potestas, si quid in mea tenuitate opinor, id fortasse repetendum venit a specialibus conditionibus post legem concordatariam in Gallia (nunc violenter a gubernio abolitam) inductis per creationem dictarum paroeciarum, quae nunquam directe a S. Sede approbatae fuerunt (Bouix, *l. c.*); facile hinc evenire poterat, ut presbyteri,

blandiente desidia, commissum officium respuerent, et molestias apud gubernium crearent: ideo ad hoc avertendum opportuna a S. Sede facultates tribuebantur.

Ad tertium quod attinet nempe ad causas excusantes adductas a sacerdotibus pro munere pastoralis declinando haec notanda sunt:

1.^o Quod presbyteri ordinati sunt in bonum dioecesis spirituale: hinc non proprium commodum, sed animarum salutem eos exquirere oportet.

2.^o Quod ex supra allatis id valere etiam debet pro parochis in Gallia *desservants* nuncupatis, qui relicta cura pastoralis per transitum in alium locum, modo recusant idem onus in nova sede iterum suscipere.

3.^o Quod hisce non obstantibus adesse possunt in praxi gravia motiva quae presbyteros eximant ab acceptatione muneris, uti adesse possunt pro iam commissio munere renuntiando, ut puta mala affecta valetudo, odium populi et alia huiusmodi; in his enim circumstantiis cum munus committendum potiusquam in utilitatem populi spirituales vergat in dispendium, prudentia exigit, ut presbyteri in huiusmodi conditione positi non subiiciantur dicto oneri.

Verum de valore harum causarum iudex esse debet Episcopus, qui prae oculis habere semper debet illud principium, salus animarum suprema lex est. Ceterum rationes ut proponuntur in postulatione Episcopi in principio relata, per se mihi videntur non esse sufficientes ad dictos presbyteros a cura animarum temporanee acceptanda exonerandos.

RESOLUTIO. Emi. Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6 Augusti 1910 propositis ab Episcopo dubiis respondendum censuerunt:

Affirmative, dummodo agatur de sacerdotibus viribus pollentibus et ab aliis officiis liberis, et quoadusque Episcopus necessitatibus vacantium paroeciarum alio modo providere nequeat, et ad mentem.

Die autem 7 eiusdem mensis et anni SSmus. Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Emorum. Patrum resolutionem approbare dignatus est.

L. ✠ S.

C. Card. GENNARI, *Praefectus*.
BASILIUS POMPILI, *Secretarius*.

BARCINONEN.

Dubiorum circa abstinentiae et ieiunii legem.

Diei 6 Augusti 1910.

Episcopus Barcinonensis ut consuleret fidelium sibi concredi-

torum tranquillitati, sequentia, circa abstinentiam et ieiunium, dubia enodanda proposuit :

“ Nimirum, sciscitatus est Antistes Gerundensis : “ An responsum Sacrae Poenitentiariae sub die 28 Febr. 1826, quo fas est gaudenti indulto carnis diebus ieiunii vesci in eadem comestione pulmento carnis iure cocto et de caetero vesci piscibus et, iuxta opiniones auctorum, vesci carnibus in eadem comestione simul cum iusculo piscium, etiam valeat pro fidelibus Regni Hispaniae, ubi haec consuetudo non viget.” Et responsum, percontanti Praesuli datum, sic se habet : “ In audentia SSmi. die 28 Augusti a Sacrae Poenitentiariae Regente Sanctitas Sua rescribi mandavit : enunciata commixtionem permitti contrariis quibuscumque non obstantibus.”

“ Iam ita brevi temporis intervallo, diversimode non pauci sunt opinati.

“ Quidam enim docent, etiam in diebus abstinentiae et in serotina collatione iusculum carnis adhiberi esse licitum, qua iusculum carnis rationem condimenti habet et vera caro non est ; alii vero iusculum carnis in refectioe tantum et non in caenula permittunt, utpote quod iusculum carnis inter lacticinia recenseant ; postremi denique iusculum carnis et in refectioe et in caenula diebus abstinentiae interdictum reputant, siquidem illis diebus facultas edendi carnes vi indulti non habetur.

“ Insuper, occasione indictae resolutionis quaestiones exortae sunt circa condimenta ex adipe et larido quoad cibos esuriales ; nec non controversia exagitata de piscibus in caenula comedendis.

“ Ex his sententiis variis, non omnium locorum inveteratis consuetudinibus respondentibus, in re singulorum praxi subiecta, proveniunt angores conscientiarum, quos praestat remove, ideoque quaeritur :

“ 1.º Utrum diebus, quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicuti Feriis VI. Quadragesimae, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat.

“ 2.º An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis.

“ 3.º Liceat necne inter Hispanos condire cibos esuriales et in refectioe et in serotina collatione cum adipe vel larido.

“ 4.º Si tandem possint sumi pisces in coenula diebus ieiunii, dummodo servetur quantitas, etsi in Hispania talis consuetudo haud vigeat.”

SYNOPSIS DISPUTATIONIS EX VOTO CONSULTORIS DESUMPTA.

Quattuor ista dubia non circa ipsum ieiunium ecclesiasticum : abstinentiam a cibis, sed potius circa partem eiusdem integram : abstinentiam nempe a ciborum delectu versantur.

Duo priora manifesto ad legem Benedictinam "de non miscendis carnibus cum piscibus" referuntur. Unde operae pretium erit mentem istius doctissimi Legislatoris investigare.

Benedictus PP. XIV. iam Bononiensis Ecclesiae praepositus de variis abusibus circa legem ieiunii conqueritur, cum ex parte plurimorum "huius apostolici instituti sacratissimique praecepti nulla habita ratione, ieiuniorum tempore palam et impune agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue (cum licitis) inferantur." Unde ad Cathedram Petri sublimatus iam primo Pontificatus sui anno in encyclica *Non ambigimus*, d. d. 30 Maii 1741, dictos abusus his verbis inculcat tollendos episcopis: "Nemini quidem sine legitima causa et de utriusque medici, consilio multitudini vero . . . nonnisi gravissima et urgente necessitate . . . a quadragesimali ieiunio dispensationem esse concedendam; . . . cum huiusmodi autem necessitate servandam esse potissimum unicam comestionem . . . et licitas atque interdictas epulas promiscue minime esse apponendas.

Sed cum quidam istam dispensationem, in qua tamen semper adest duplex conditio, de *unica nempe comestione* et de *non miscendis epulis*, unice multitudini, non vero etiam singulis fidelibus applicari posse arbitrati sint, Summus Pontifex in altera encyclica *In Suprema*, d. d. 22 Augusti 1741, declarat: "Nos quibuscumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in quadragesimae aliisque anni temporibus et diebus, quibus carniū, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensare contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore prasentium declaramus et edicimus."

In Hispania tamen etiam exinde "plures cavillationes excogitatae sunt a nonnullis, et plures quaestiones propositae, exigui quidem ponderis ac momenti, cum ipsius legis verbis vel sensu penitus corruant." Unde recte monet Pontifex: "Cavendum ne in expendendis Apostolicae Sedis Constitutionibus pro nimia exhaustiendi argumenti sollicitudine, nullus fiat disserendi ambigendique modus . . . sedula opera conferenda ut istiusmodi dubia penitus inter vos (Hispani theologi) dirimantur, ne diuturna unquam dispensatione fluctuent animi," etc.

Quare plura eiusmodi dubia ab archiepiscopo Compostellano sibi proposita Bened. XIV. in litteris *Si fraternitas tua*, d. d. 8 Iul. 1744, hoc sensu solvit. Cum vero archiepiscopus mox morte sit correptus, Summus Pontifex timens ne dictae litterae ad noti-

tiam illorum non veniant, qui easdem cum suis dubiis provocaverant, die 10 Iun. a. 1745 novam publicavit encyclicam *Libentissime*, in qua quaestiones iuxta mentem supra patefactam solvit, litteras *Si fraternitas tua* ex integro inserit episcopisque Hispaniae verba Conc. Trid. (Sess. XXV. *de ref.*) in memoriam revocat: "Curent, inquit, ut fideles obtemperent, iis praecipue quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et ieiunia;" iterumque inculcat gravissimam esse prohibitionem miscendi carnes cum piscibus. Demum dubia sibi proposita in septem quaestiones dispescit singulisque breviter respondet.

Praecipue notandae hae responsiones:

"1^a sub gravi legem urgere in encycl. an 1741 de unica comestione, et de non permiscendis epulis";

"2^a illos, quibus concessum vesci carnibus in vespertina refectiuncula, opus habere eo cibo eaque portione, quibus utuntur ieiunantes rectae meticulosae conscientiae";

"3^a epulas licitas pro iis, quibus permixtum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces";

"5^a praeceptum de utroque genere epularum non miscendo dies quoque dominicas quadragesimales complecti";

"7^a haec duo praecepta urgere extra Quadragesimam."

Hispanis porro aliisque populis, qui bullae *Cruciatae* privilegiis gaudent ad sextam quaestionem: "Utrum haec Lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lactinia," respondit: "Nihil in praenuntiatis Apostolicis Litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum *Cruciatae* Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus."

Istis constitutionibus Bened. XIV. longius immorabamur, cum optime ostendant intentionem Pontificis esse, ut lex gravissima ieiunii accuratissime servetur, abusus e medio tollantur, dispensationesque non ob futes quasque rationes facile concedantur, sed dispensatio generalis ob gravissimam tantum et publicam necessitatem, cuius rei iudex erit loci Ordinarius, dispensatio vero specialis propter rationes a medico corporis et animae probatas. Porro etiam supposita dispensatione pro carnibus, servanda erit unica comestio, cum haec obligatio non tollatur per dispensationem indicatam. Neque dispensatis permiscere licebit carnes cum piscibus, dispensatio enim iure ideo petita supponitur, quia pisces petenti praevideantur nocituri.

Quibus principiis Benedictinis S. Poenitentiaria constanter adhaesit, ubi legem ieiunii authentice interpretari debuit. Unum ex primis dubiis circa ieiunii observationem huic S. Tribunali

propositis invenitur in eiusdem archivio iam de die 26 Febr. 1826: "An qui dispensatus est pro esu carnum salubrium [iuxta modum tunc distinguendi carnes salubres et insalubres], ut cibos quadragesimales quantum potest adhibeat ad observantiam, possit ad incommodum in sanitate vitandum pulmentum ex iure confectum in unica comestione manducare?" et responsum est: *Affirmative.*

Quod quidem decretum ab auctoribus minime citatur, qui tamen (vide etiam *Acta S. Sedis*, vol. 1, pag. 429) omnes referunt simile decretum d. d. 8 Febr. 1828, quod in Archivio S. Poenitentiariae notatum non invenitur. Tenor huius decreti est: "Ad quaesitum: Quelli che sono dispensati dalla qualità de' cibi possono nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo per provvedere alla lor salute, e nel resto far uso di cibi esuriali per conservare quanto si puo l'osservanza della Legge dei cibi? —S. P. die 8 Febr. 1828 attentis consideratis expositis respondit: *Affirmative.*"

Utrum auctores erraverint quoad datum decreti ab ipsis relati, an S. Poenitentiaria istud decretum sibi notare omiserit, non nos nunc movet: unum animadvertimus, S. Poenitentiariam et in istis decretis adhaesisse principio a Bened. XIV. posito: ieiunium in quantum, poterit, servari debere. Si ergo fideles timoratae conscientiae ex observatione perfecta abstinentiae valetudinis iacturam timent, unde pro carnibus dispensationem obtinent, de caetero autem solo iusculo carnum iam contenti essent, ut abstinentiam pro viribus servare possint: Sacra Poenitentiaria permisit permixtionem iusculi carnum cum piscibus. Theologiae moralis doctores utique diversimode istud decretum interpretabantur. Inde deducebant alii iusculum carnum stricte loquendo non esse carnem, unde legem carnum usum prohibentem minime prohibere usum iusculi carnum. Ita et S. Alphonsus (*Mor.*, l. IV., n. 1015), quem ducem permulti sequuntur, ait: " . . . prohibitio Pontificis non miscendi carnes et pisces stricte intelligenda est, nempe cum comeditur proprie ferculum carnum, sed ius carnum magis quam edulii condimenti rationem habet."

Qua opinione nituntur sane et Theologi Barcinonenses, quorum quidam iuxta episcopi litteras responsum S. Poenitentiariae mense Augusto anni elapsi episcopo Gerundensi datum interpretantes iusculum carnum ad condimenta adipis vel lardi, quidam etiam ad lacticinia adnumerarunt!

Iam istis opinionibus breviter respondisse sufficiat. Adipem differre a iusculo docet Alberti, in libro, cui inscribitur: "De ieiunio Ecclesiastico," pag. 17: "adeps chimice distinguitur a iusculo; illa est substantiae levis, quae in vase supernatat;

istud vero manet solutum in aqua " (Cfr. et *Monit. Eccl.*, tom. 9, pag. 2, num. 144). Eodem sensu respondit et haec S. Poenitentiaria, prout refertur a Bucceroni (*Enchiridion Morale* num. 499): "An in diebus veneris et sabbati, quibus indulgentur condimenta vulgo 'di grasso' possit iusculum carnis adhiberi? respondit: Sub terminis 'condimenti di grasso' non comprehendi iusculum carnis coctae." Iusculum porro non esse lacticinium pariter constat. Ova enim et lac procedunt quidem ab animali vivo, at non sunt carnes, dum iusculum carnes ipsas, licet solutas continet: "il brodo contenendo per ogni litro soltanto da 7 a 9 grammi di sali d'origine minerale, e da 12 a 14 di principî organici tanto coagulabili che cristallizzabili. . . contenendo poi pochi principî assimilabili, non è nutritivo" Cfr. Littré e Robin, *Dizionario di Medicina*, v. "Brodo." Quod etiam sensus communis Ecclesiae in catechismis expressus confirmat.

Unde recens responsum S. Poenitentiariae (mense Aug. anni elapsi), quod priorum responsorum confirmatio haberi debet, non ideo permisit permixtionem iusculi carniarum cum piscibus, quia iusculum non est caro, sed quia mens eius est, ut abstinentia, in quantum fieri poterit, servetur. Sed cum ex discrepantibus decreti interpretationibus fidelium dioecesis Barcinonensis conscientiae merito turbarentur, episcopus duas S. H. O. posuit quaestiones solvendas: 1º. "Utrum diebus, quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicut Feriis VI. Quadragesimae, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat?" 2º An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis?"

Iam ex dictis patet ad utramque quaestionem "*Negative*" esse respondendum. Tamen ad dubia penitus tollenda utiliter addeatur: "Sed iusculum carnis diebus ieiunii, in unica comestione, una cum piscibus, ab iis tantummodo adhiberi posse, qui indultum obtinuerint pro usu carniarum."

Tertium dubium agit de condimentis diebus ieiunii permissis. Condimentum antiquitus unice permissum erat oleum olivarum, at cursu temporis tum, quia istud in plurimis regionibus (praecipue septentrionalibus) minime inveniatur, tum propter frigus hiemale, per indultum speciale singulis annis renovandum permittebantur adipēs suinae (Bucceroni, *Enchiridion Morale*, ed. 2ª, pag. 72), inde vero ab a. 1889 etiam adipēs cuiuscumque animalis (S. Off. 1. Maii, 1889). Die 15. Maii 1896 etiam butyrum naturale permittebatur, die demum 6. Febr. 1889 butyrum artificiale (*margarina*) ex adipibus animalium extractum. Non vero exinde permittitur usus lactis vel casei, tamquam condimenti. (Cf. *Monitore Eccl.*, 31. Maii 1902, pag. 138, n. 31). Cum ergo omnia ista condimenta oleo substituantur, quando oleum permittitur, et

ista permissa sunt, nisi specialis addita sit limitatio. Unde S. Poenitentiaria die 16. Ian. 1834 circa laridum liquefactum interrogata :

“Utrum cum sive per Bullam *Cruciatae* sive aliam ob causam conceditur Indultum pro usu laridi liquefacti vulgo ‘strutto’ solo titulo condimenti, si qui ad ieiunium tenentur, eo condimento uti possent in serotina etiam refectione?” respondit: Quoad eos qui ad ieiunium tenentur, licite uti possunt, in serotina etiam refectione, condimentis in Indulto permissis: quia illa in Indulto olei locum tenent: dummodo in Indulto non sit posita restrictio quod ea adhiberi possint in unica refectione. Ideo ad tertiam questionem episcopo Barcinonensi respondendum esset: “*Affirmative* etiam pro serotina refectione; dummodo ex Bulla *Cruciatae* aut ex alio apostolico Indulto permissa simpliciter constent pro diebus ieiunii condimenta ex adipe.”

In quarto demum *dubio*, licet in Hispania contraria sit firma consuetudo, usus piscium pro *caenula* petitur, servata utique debita quantitate.

Cum vero in ieiunii legibus maximam partem praecipue consuetudo habeat, cui saepissime et legitimae auctoritatis confirmatio accedit: fideles sub gravi tenentur istis legibus, quamvis a consuetudine introductis. Iam quando ieiunii diebus praeter unicam refectionem et *caenula* introducebatur, in hac minor quantitas pro cibis magis nutritivis permissa est. Ita in Hispania Salmanticenses (cap. 2, num. 77) permittunt “panem, arborum fructus . . . herbas crudas et coctas et oleo aliquo immixtas, dulciaria et bellaria,” praecipue “tum quia praedicti cibi non sunt ex his qui ordinantur ad sustentandam naturam et nutriendam, tum etiam quia sic obtinuit consuetudo.” Quoad pisces autem, utpote magis nutritivos quantitatem minuit S. Alphonsus (lib. IV. num. 1028), D’Annibale (III., n. 134), etc. Iuxta disciplinam nunc vigentem pro *caenula* permittuntur omnia genera ciborum, exceptis iis, qui per speciale indultum pro unica refectione conceduntur (ut sunt ova et lacticia). Unde et pisces qualescumque possunt adhiberi, ubi contraria consuetudo non obstat.

In Hispania vero, ut ipse episcopus Barcinonensis fatetur, viget consuetudo non vescendi piscibus in “*caenula*.” Idem confirmat et Ferreres, moralista Hispanus (cf. *Gury-Ferreres*, vol. I., n. 499). Ubi vero talis consuetudo habetur, illa usque ad dispensationem servari debet, ut docet *Génicot* (vol. I., n. 437). “Ubi tamen viget norma severior et antiquae consuetudini conformior, ut plures cibi, e.g. grandiores pisces, excludantur haec servanda est: non magna vis in determinatione huius praecepti consuetudinibus etiam particularibus tribuenda est.” Et Lehmkühl (vol. I., n. 1212): “Quoad qualitatem ciborum qui in collatione

liciti sunt, multum a consuetudine pendet." Idem concludit et Ferreres (vol. I., n. 496-bis: "Regula generalis, cum haec caenula consuetudine inducta sit, consuetudine regitur tum quoad quantitatem tum quoad ciborum qualitatem."

Unde ad quartam quaestionem respondendum esset: *Negative*, attenta consuetudine contraria.

Resolutio. Emi. Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6 Augusti 1910, propositis ab Episcopo dubiis respondendum censuerunt.

R. Ad. 1^{um} et 2^{um} *Negative, sed iusculum carnis diebus ieiunii in unica comestione una cum piscibus ab iis tantummodo adhiberi posse qui indultum obtinuerint pro esu carnis.*

Ad 3^{um} *Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico Indulto ea condimenta permissa sint in diebus ieiunii.*

Ad 4^{um} *Attenta contraria consuetudine, negative.*

Die autem 7 eiusdem mensis et anni SS^{mus}. Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Emorum. Patrum resolutionem approbare dignatus est.

C. Card. GENNARI, *Praefectus*.

BASILIVS POMPILI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

DECRETUM

De chori disciplina in urbe servanda.

Decorem domus Dei studiose tuentes Romani Pontifices constantem in eo curam collocarunt, ut almae Urbis dignitati et sacrarum quae in ipsa sunt aedium splendori ac magnificentiae par chori disciplina responderet. Frequens enim conspectus offerentium Deo hostiam laudis, et sacra mysteria, qua decet amplitudine ac maiestate, tractantium, ad mentes in divina erigendas et ad excitandam caritatem plurimum valet. Huiusmodi quum fuerit atque esse non desinat supremae auctoritatis Ecclesiae sollicitudo, nihilominus novissimis hisce temporibus, eorumque maxime causa, factum est ut sensim sacri chori disciplina langueretur. Hinc quotidianae et graves ad hanc S. Congregationem perlatae voces conquerentium, in Ecclesiis Collegiatis Urbis, atque adeo in ipsis Patriarchalibus Basilicis, canonicos aliosque beneficiarios divino officio persolvendo ceterisque sacris obeundis interesse perpauco. Quod quum et cultus divini decori adversetur, et offensioni adstantibus esse possit, advenis maxime, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X., sacrae dignitatis in Urbe servandae custos et vindex, Decessorum vestigiis inhaerens, habensque prae oculis Decretum Sacrae huius Congregationis editum die xvii mensis Septembris

MDCCCCH, et a s. m. Leone XIII. confirmatum, haec statuit atque decrevit :

I. Contraria quavis consuetudine sublata et interdicta, a die 1 proximi mensis Ianuarii MDCCCCH, universi fructus ad Capitula spectantes partiendi ex integro erunt in quotidianas distributiones pro diebus et horis.

II. Absens sine legitima causa fructus omnes amittet, et si quos forte perceperit, restituet, salvis peculiaribus Constitutionibus, quibus maior poena irrogetur.

III. Absens valetudinis causa, debita ratione ac forma recognita, tamquam praesens in choro habeatur, eidemque sit ius ad quotidianas distributiones ex integro percipiendas.

IV. Servatis de speciali gratia indultis hactenus ab hac S. Congregatione concessis, cetera privilegia in favorem personae, sive institutorum piorumve operum causa, sive ratione munerum, praecipue in Sacris Congregationibus, quomodolibet et quovis titulo concessa, privilegiis quibuslibet non obstantibus, cessabunt, nullam vim habitura nec suffragatura cuiquam in posterum.

V. Absentes ex indulto duas quidem partes, quae locum obtinent prae bendae, acquirunt ; tertiam tamen semper amittent, ad quam nullum sibi arrogent ius propter gratiam antea impetratam.

VI. Facultatem concedendi exemptiones a choro ob legitimam causam SS. D. N. omnino reservatam vult huic uni S. Congregationi ; quae tamen, ante gratiam largiendam, Capituli votum per tacita suffragia semper exquiret.

VII. Qui exemptionis privilegio fruuntur pro diebus et horis, iidemque temporibus ab officio vacuis, cuius gratia exempti sunt, interesse choro negligunt, de SSmi. D. N. mandato graviter commonentur, et meminerint, sese, non modo sanctitatem religionis violare, sed etiam iustitiae leges infringere, ideoque restitutionis obligatione teneri.

VIII. Ut sacerdotes ad Capitula pertinentes auxilio parochis institutisve religiosis esse possint ad sempiternam fidelium salutem procurandam, et componere, quoad liceat, adeundi chori obligationem cum aliis muneribus aut caritatis officiis, SS. D. N. potestatem facit Emis. PP. Cardinalibus Basilicarum Patriarchalium Archipresbyteris, et iis qui Ecclesiis Collegiatis praepositi sunt, audito voto sui cuiusque Capituli, horarum ordinem sacris obeundis officiis constitutum pro opportunitate mutandi, et in pervigiliis dierum festorum de praecepto praeoccupandi vespere *Matutini* recitationem cum *Laudibus*.

Denique in iis omnibus, de quibus praesens decretum non cavet, Sanctitas Sua vult et mandat, ut sacrosancti Concilii

Tridentini praescripta et Sacrae huius Congregationis decreta et responsa, ad cleri disciplinam regendam edita, ad unguem ad omnibus ac reliogose servantur.

Haec autem omnia praesenti eiusdem S. Congregationis Decreto evulgari atque inviolate custodiri iussit, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae ex Sacra Congregatione Concilii, die xxx Novembris MDCCCX.

C. Card. GENNARI, *Praefectus*.

B. POMPILI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

Declarationes Circa Motum Proprium "Sacrorum Antistitum."

Propositis ad hanc Sacram Congregationem quae sequuntur dubiis circa Motum proprium *Sacrorum Antistitum*., datum die prima mensis huius :

I. An praeceptum quod nemo theologiae laurea sit donandus, nisi prius in philosophicis disciplinis lauream obtinuerit, vel saltem de curriculo in philosophia scholastica absoluto certum praebuerit testimonium, stricte sit observandum ?

II. An praescriptio *Consilium vigilantiae* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda ?

III. An tamen ii, qui *Consilium vigilantiae* constituunt, si longe distent a civitate episcopali et legitime impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impediementi, scripto transmittere relationem suam ?

IV. An prohibitio alumni in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevis et commentaria quantumvis optima etiam ad iuvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studiis operam dantes extendatur ?

V. An *quotannis* doctores in seminariis teneantur textum, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive theses, Episcopis exhibere, et ineunte anno iusiurandum dare ?

VI. An idem *quotannis* praestare debeant suis moderatoribus doctores seu lectores in ordinibus religiosis ante auspicandas praelectiones ?

VII. An ad iusiurandum praestandum teneantur confessarii et sacri concionatores iamdudum adprobati, et parochi, beneficiarii atque canonici in possessione beneficii, nec non officiales omnes in curiis episcopalibus et Romanis Congregationibus vel

Tribunalibus, religiosarumque familiarum et congregationum moderatores, qui in praesenti sunt in officio?

VIII. An in casibus particularibus, data iusta causa, Episcopi et Moderatores ordinum et congregationum religiosarum delegare possint ad recipiendum iuramentum sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum?

IX. An ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint?

X. An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis, qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti?

XI. An invitari possint sacri oratores, qui in aliquo loco ab Episcopis fuerint improbi?

SSmus. Dominus Noster in audientia die 24 huius mensis Emo. Cardinali Secretario Sacrae Congregationis Consistorialis concessa respondendum mandavit:

Ad I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII et IX affirmative; —ad X et XI negative.

Iussit porro omnes vocatos iuriiurando obligari infra diem 31 Decembris huius anni.

Quoad VII vero dubium SSmus. benigne indulsit, ut in locis a residentia Episcopi dissitis parochi, confessarii et doctores formulam iurisiurandi ad eosdem missam et praecognitam vel una simul cum vicariis foraneis vel etiam quisque singillatim proprio nomine signent, itemque beneficiarii in collegiatis ecclesiis, nec non religiosi in conventibus cum eorumdem Superioribus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 Septembris 1910.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
SCIPIO TECCHI, *Adsector*.

L ✠ S.

Dubia Circa Decretum "Maxima Cura."

Cum nonnulli Ordinarii quaedam dubia circa vim et interpretationem decreti "*Maxima cura*" proposuerint, Sacra Congregatio Consistorialis, mandante SSmo. Domino Nostro Pio PP. X, eisdem dubiis die 3 Octobris 1910, respondit prout infra: .

1. Utrum examinatores eligendi iuxta praescriptum *can. 4* adhiberi possint in examinibus pro collatione beneficiorum atque sint unum et idem ac examinatores de quibus statuit Trid. Synod. *cap. 18 sess. 24 de reform.*; an potius sint distincti et adhibendi dumtaxat pro amotione decernenda,

R. Affirmative ad I^{am} partem, negative ad II^{am}.

2. An examinatores sive synodales sive prosynodales nunc existentes, per idem decretum a munere cessent.

R. Servetur dispositio finalis decreti.

3. Utrum Ordinarii, quando Synodus non celebratur, adhuc indigeant indulto S. Sedis pro eligendis examinatribus.

R. Negative.

4. Utrum Ordinarii possint eligere aliquem sacerdotem regularem in examinatore vel consultorem.

R. Affirmative, dummodo sacerdos regularis parochus sit, si in consultorem eligatur.

5. Utrum eligere possint extradioecesanum.

R. Affirmative in parvis dioecesibus, aut quoties iusta aliqua causa intercedat.

6. Utrum Ordinarius inter examinatores accensere possit Vicarium suum generalem.

R. Non expedire.

7. Utrum inter examinatores aliquot parochi accenseri possint.

R. Affirmative.

8. Utrum una eademque persona esse possit simul examinador et consultor.

R. Affirmative, sed non in eadem causa. Generatim tamen expedit ne plura officia in una eademque persona cumulentur.

9. Utrum consultores dioecesani de quibus in § 2, *can. 4* quorum consensus (quoties deficiat capitulum cathedrale) requiritur in electione examinatorum et parochorum consultorum, iidem sint ac collegium praefatum parochorum consultorum.

R. Negative; sed consultores dioecesani stant loco capituli in aliquibus dioecesibus ubi cathedrale capitulum erigi adhuc non potuit.

10. Utrum in computanda antiquitate electionis ratio habenda sit electionum praecedentium; an dumtaxat electionis praesentis ita nempe ut qui bis vel ter electus iam fuerit antiquior non habeatur illo qui prima vice electus sit, dummodo pari die electio evenierit.

R. Negative ad I^{am} partem, affirmative ad II^{am}.

11. Utrum error in computanda antiquitate et admissio alicuius examinatoris seu consultoris, hac de causa illegitima, inducat nullitatem actorum.

R. Negative.

12. Utrum iusiurandum in *can. 7* praescriptum debeat singulis vicibus in singulis causis renovari, an sufficiat illud semel emittere post electionem aut in primo conventu.

R. Sufficit semel emissum, durante numere, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum. Potest tamen Ordinarius exigere

ab examinatribus et consultoribus ut illud renouent in casibus particularibus, si id expediens iudicaverit.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

Ad Eminentissimum Virum Claudium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Vaszary, Archiepiscopum Strigonlensem (Esztergom) et Primate[m] Hungariae.

Eme. ac Rme. Domine mi Obsme.,

Eminentiae Vestrae litterae, nomine etiam omnium Hungariae Antistitum datae sub die 27 transacti Septembris, ad SSmum. Dominum Nostrum pervenerunt. Quas quidem Ipse assueta benignitate excepit, nec dissimili cura, prout rei gravitas postulabat, expendit; mihiq[ue] haec Eminentiae Vestrae coeterisque Antistitibus communicanda mandavit.

Porro SSmi. Domini Nostri mens est ut firma sit lex qua prohibetur ut diaria et commentaria, etiam optima, quae tamen de politicis rebus agunt quae in dies eveniunt, aut de socialibus et scientificis quaestionibus quae pariter in dies exagitantur quin adhuc de iis certa sententia habeatur, haec, inquam, in manibus alumnorum seminarii libere non relinquantur. Nil tamen vetat quominus superiores seminarii aut magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, legant alumni aut legendos articulos in sua praesentia tradant eorumdem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, S. Sedis dispositiones et decreta, Episcoporum acta et ordinationes referunt, vel alia quae quamvis periodica non aliud sunt quam lectiones ad fidem et pietatem fovendam utiles, haec, inquam, possunt, probantibus seminarii moderatoribus, prae manibus alumnorum relinqui tempore a studio et ab aliis praescriptis officiis libero.

Haec dum Tibi pro meo munere significo, manus Tuas humillime deosculor meque impenso animi obsequio profiteor.

Eminentiae Vestrae

Romae, die 20 Octobris 1910.

Addictissimum famulum

CAIETANUM Card. DE LAI, *S. Congr. Consistorialis Secretarium*.

Circa Iusiurandum a Motu Proprio "Sacrorum Antistitum" praescriptum.

Ad hanc sacram Congregationem proposita sunt quae sequuntur dubia circa Motum Proprium *Sacrorum Antistitum*, die 1 Septembris proxime lapsi editum, nimirum

I. utrum qui, in presenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusiurandum praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia ;

II. coram quo Moderatores generales Ordinum aut congregationum religiosarum praestare debeant eiusmodi iusiurandum ;

III. an Vicarius generalis delegari possit ab Episcopo, generali modo, ad iusiurandum excipiendum ;

IV. utrum iuramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex eis recitetur ;

V. an quotannis teneantur renovare iusiurandum vicarii parochiales ; confessarii et sacris concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur ;

VI. utrum parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, teneantur emittere iuramentum coram Vicariis foraneis, an sufficiat ut ad Episcopum remittant iurisiurandi formulam ab ipsis subsignatam ;

VII. an novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei tum iurisiurandi.

SSmus. Dominus Noster Pius PP. X., in audientia die 21 Octobris 1910 Emo. Cardinali Secretario sacrae Congregationis Consistorialis concessa, mandavit ut respondeatur :

ad I. sufficere unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei, qui ius habet aliud exigendi iuramentum ;

ad II. Moderatores generales, qui actu Ordini vel Congregationi vel Instituto praesunt, coram Patribus sui Definitorii, sive Assistentibus sive Consiliariis generalibus ; Moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram Praeside capituli generalis :

ad III. affirmative, postquam ipse in manibus Episcopi iusiurandum praestiterit ;

ad IV. sufficere ut, formulâ iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur ;

ad V. negative ;

ad VI. pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent iuramenti formulam iuxta indultum diei 25 Septembris elapsi ; in posterum vero parochos teneri ad iuramentum praestandum coram eo a quo beneficii possessionem obtinebunt ;

ad VII. quoad professionem fidei, nihil innovandum ; quoad iuramentum, servandam dispositionem Motus Proprii *Sacrorum Antistitum*.

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 Octobris 1910.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
 SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

L. ✠ S.

De Vetita Clericis Temporali Administratione.

Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II *Tim.*, 11, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. "Cum enim a saeculi rebus in altiore sublati locum conspiciantur," ut habet SS. Tridentinum Concilium *Sess. XXII, cap. I, de ref.*, oportet ut diligentissime servant inter alia quae "de saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt."

Cum vero nostris diebus quamplurima, Deo favente, in Christiana republica instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera magnopere probanda sunt clero, ab eoque fovenda; non ita tamen ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis quae his rebus semper inhaerent obnoxium faciant.

Quapropter SSmus. Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem praecipitque ut clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantve suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium. Statuit itaque ac decernit SSmus. Dominus Noster, ut clerici omnes quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito decreto, nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 18 mensis Novembris anno MDCCCX.

L. ✠ S.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*
S. TECCHI, *Adessor.*

THE HOLY ROMAN ROTA.

MEDIOLANEN.

Nullitatis Matrimonii—Balzan-Adami.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno octavo iam iam incoepo, die 6 Augusti 1910, RR. PP. DD. Gulielmus Sebastianelli, Ponens, Franciscus Heiner et Antonius Perathoner, Auditores de Turno in Causa—Mediolanen. Nullitatis Matrimonii, inter Eugenium F. Balzan, repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum D'Alessandri, Advocatum, et Italam Adami, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem definitivam tulerunt sententiam.

Eugenius Balzan, Adriensis dioeceseos, sexdecim annorum, Veronae degens ratione studiorum, amore captus est erga Italam Adami septedecim annos natam; quam cum cognovisset, in matrimonium petiit.

Hac de re sac. Caietanum Masotti parochum S. Georgii in Braida et sponsae proprium, adivit, ut nuptialia instauraret. At eius precibus non annuit parochus, quia nuptiis ineundis obstabat pater Eugenii, qui suum consensum praestare nolebat, necnon lex dioecesana, per quam vetabantur ecclesiastica matrimonia, nisi praemissus fuisset contractus civilis. Nihilominus haud pertaesus iuvenis per epistolam fratrem suum Paulum Patavii commorantem rogavit, ut sac. Vincentium Mortesina, parochum Omnium Sanctorum eiusdem civitatis, induceret ad matrimonium ecclesiasticum celebrandum, eodem modo, quo iam antea coram illo idem Paulus, iisdem fere in adiunctis versatus, contraxerat. Fratris Eugenii preces excepit parochus Patavinus, qui coniugium se celebraturum promisit, dummodo a parocho sponsae congruam habuisset delegationem. Rebus sic stantibus, obtinuit Balzan a parocho Masotti cum attestationibus de baptismo et statu libero, hanc scriptam delegationem: "Il sottoscritto si pregia di spedire i documenti... e in pari tempo declinando ogni responsabilità, dichiara che da parte sua nulla osta a che Ella, o altri assista al matrimonio."

His acceptis, Rev. Mortesina, putans se esse legitime delegatum, nuptiis benedixit. At infaustum omen sortitae sunt. Dissensionibus enim inter coniuges exortis Eugenius Italam dereliquit, ac die 13 Januarii 1908 Curiae Mediolanensi supplicem libellum misit, ut suum matrimonium nullum declararetur ex capite clandestinitatis, propter defectum videlicet parochi proprii. Iudices Mediolanenses, obtenta delegatione ab Episcopo Patavino, rite instructo processu, favorabile iudicium actori renunciarunt; quod

in secunda iudicii sede penes H. S. O., die 23 Februarii 1910 confirmatum fuit his verbis: "*Constare de nullitate matrimonii in casu.*" Verum ab hac rotali sententia ad alium turnum provocavit solers Vinculi Defensor ex officio. Idcirco denuo hodie causa proponitur sub consueto dubio: "*An sententia rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*"

Ex Conc. Trid. matrimoniis assistere debet parochus proprius, vel alter sacerdos de parochi proprii, aut Ordinarii licentia. Non requiritur autem licentia expressa, sufficit tacita, quae ex factis praecedentibus et vere concludentibus colligitur.

Quo posito, ne inutiliter repetamus, quae in aliis duabus sententiis adnotata reperiuntur, duo tantum consideranda a nobis veniunt; factum videlicet transmissionis documentorum matrimonium respicientium, et epistola praedictis documentis adnexa. Ex his enim duobus putavit bonus parochus Mortesina se valide processisse ad matrimonii celebrationem Eugenium Balzan inter et Italam Adami. At falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat.

Re quidem vera, etiamsi in facto transmissionis documentorum tacita licentia, seu intentio delegandi reperiri dicatur, id certe prodesse nequit, quando ea quae matrimonium antecedunt et quae sequuntur concludenter ostendunt contrariam fuisse mentem delegantis. Hoc autem in casu nostro verificatur, uti patebit ex inferius dicendis.

Ad epistolam quod attinet, illa verba: "nulla osta a che Ella o altri assista al matrimonio" in se inspecta indirectam atque indeterminatam personae continent designationem; at in subiecta materia considerata, quamlibet delegationem excludunt. Parochus enim Masotti existimabat nuptias contrahi Patavii a paracho sponsi: "Io—ipse deponit—li ho ritenuti per tali (*veri sposi*), perchè gli sposi mi dissero che andavano a contrarre il matrimonio a Padova innanzi al parroco della famiglia dello sposo, e ritenni che quel parroco poteva legittimamente assistere al matrimonio del Balzan allora giovanetto di 18 anni." Quod confirmatur a sac. Brentegani his verbis: "Il Masotti mi disse, che egli non aveva mai inteso di dare delegazione; di avere bensì scritto al parroco di Ognissanti in Padova, e che se egli avesse creduto di potere assistere come parroco dello sposo, lo facesse pure." Unde per illa verba: "*nulla osta*" parochus Veronensis quoad celebrationem matrimonii quodammodo iure suo sese expoliavit; remissive seu passive se habens ad hoc, ut nupturientes a paracho sponsi nuptiali foedere fungerentur.

At carentia voluntatis delegandi in paracho Masotti clare deducitur ex verbis, quae *praesumptam* delegationem procedunt: negandum enim non est, verba sequentia determinari a praee-

dentibus. "Imo verba praecedentia maiorem habent vim ad determinationem sequentium, quam sequentia ad determinationem praecedentium." (S. R. R., *Dec. rec.* 346, n. 8). Verba autem, quae praecedunt suppositam delegationem haec sunt: "In pari tempo declinando ogni responsabilità... nulla osta... &c." Iamvero, ut intelligatur de qua responsabilitate sermo sit, recolendum est Eugenium Balzan et Italiam Adami disparis fuisse conditionis quoad res familiares; sponsi patrem filio suo in minore aetate constituto denegasse suum assensum quoad nuptias ineundas; impossibilem fuisse, ut contractus civilis matrimonio religioso praemitteretur iuxta Veronensis Dioecesis statuta. Unde Vicarius Generalis Veronensis declarat: "Chi scrive ramenta assai bene di aver negato l'assenso alla celebrazione del matrimonio, per la ragione che mancando allo sposo l'età prescritta, non avrebbe potuto, se non dopo molto tempo, mettersi in regola con la parte civile." Hisce omnibus existentibus, attenta praesertim prohibitione facta a Curia Veronensi, parochus Masotti probe noscens gravem esse responsabilitatem incursum, si matrimonium celebrasset, transmisit acta parochi Patavino, eumque liberum reliquit, ut sibi periculum responsabilitatemque omnem assumeret quoad matrimonium contrahendum.

Nec obiiciatur hic non agi de delegatione, per quam persona delegata operatur nomine et vice delegantis. Quamvis enim admittere velimus non agi in casu de vera delegatione; quodque iuxta sententiam in cap. *Tametsi* tamquam testes auctorizabiles renunciaverit omnes sacerdotes, qui proinde sponso in matrimonio coniungere possunt iure proprio atque auctoritate sibi a Concilio tributa; attamen in controversum est non fuisse a Concilio tributam sacerdotibus facultatem huius ministerii sacerdotalis, nisi prius licentiam ipsi obtinuerint a parochi sponso. Verum parochus, qui licentiam concedit matrimonio assistendi sese responsabilem reddit *factae saltem concessionis*. Cum itaque in themate parochus Masotti se irresponsabilem declaravit quoad nuptias ineundas inter Eugenium et Italiam, merito concludendum est nullam licentiam eum concessisse.

Ex dictis liquet parochum Veronensem delegationem aut licentiam non dedisse parochi Patavino. At si dubium aliquod adhuc extaret, hoc evanescit, si animadvertatur ex tabulis processualibus constare parochum Veronensem pluries renuisse ut matrimonio assisteret, quod praeter alios testes, pater sponsae testatur: "Fu il parroco, che più volte venne a casa mia a dirmi che il matrimonio non poteva celebrarlo, perchè lo sposo era troppo giovane." Iamvero nefas est praesumere, parochum voluisse aliis delegare, quod ipse, obsequens legibus, peragere recusavit. Verum quod nequit praesumi, certum habetur at-

tenta declaratione eiusdem parochi, qui sub iuramento asseruit numquam ea mente fuisse, ut aliquam delegationem concederet : “ Scritti quelle testuali parole (*nulla osta*) ; ma il senso di tutto questo era : faccia Lei da parte sua quello che crede di poter fare, uscendo io da ogni responsabilità, e nulla pretendendo delle mie competenze.” Imo addidit : “ Le mie parole erano chiare nel senso che ho detto, ed ove anche fossero ambigue, io dichiaro di togliere l' equivoco, ed asserisco assolutamente, che certamente non ebbi intenzione di delegare.” Porro nemo existimandum est dixisse quod non mente cogitaverit (*D. Lib. XIX, De leg., l. 7*). Haec confirmantur a sac. Brentegani, qui dum declarat parochum Masotti haud “ capace di tradire la verità e di lasciarsi corrompere ” testatur ex verbis supra relatis praefatum parochum tempore non suspecto, i. e. antequam quaestio de nullitate matrimonii agigaretur, eandem fecisse declarationem, nullam videlicet concessisse licentiam.

Quibus omnibus rite ac diligente perpensis ;

Nos infrascripti Auditores de Turno pro tribunali sedentes, Christi nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, dicimus ac declaramus sententiam rotalem diei 23 Februarii 1910 esse confirmandam, recognoscentes legitimitatem filiae, prouti in anteacta sententia declaratum fuit.

Ita pronunciamus, et dum condemnamus Eugenium Balzan ad expensas iudiciales, mandamus Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum Canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, De Reform., Concilii Tridentini*, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, 6 Augusti 1910.

GULIELMUS SEBASTIANELLI, *Ponens.*

FRANCISCUS HEINER.

ANTONIUS PERATHONER.

L. ✠ S.

Sac. Tancredus Tani, *Notarius.*

APOSTOLIC LETTERS.

Lex Abſtinentiae Relaxatur pro Scotiae Regni Fidelibus.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.—Benigna Mater Ecclesia, dum ſuis ipſius filiis abſtinentias ac ieiunia proponit, quo aeternae gloriae vitam facilius conſequantur, harum tamen legum onera, ne quando pro re ac tempore minus congruere videantur, minuit ac levat. Cum vero exploratum habeamus, Scotiae Regi fidelibus, utpote qui maxima ex parte operarii ſint, et quotidie in arduis laboribus verſentur, grave admodum eſſe, duos continuos dies carnibus abſtinere, Nos votis omnium illius regionis Antis-titum, quae Venerabilis Frater Iacobus Auguſtinus Archiepiſcopus S. Andreae et Edinburgenſis, atque in eadem Scotia Metropolitanus, ſuo fulta Nobis detulit ſuffragio, benigne exceptis, abſtinentiae normam libenti quidem animo relaxamus. Quare de Omnipotentis Dei miſericordia ac BB. Petri et Pauli Apoſtolorum Eius auctoritate confiſi, omnibus ac ſingulis Scotiae Regni fidelibus Apoſtolica Auctoritate Noſtra praesentium tenore perpetuo concedimus et largimur, ut Quadrageſima excluſa, in Sabbatis quatuor anni temporum, et in iis Vigiliis, quae vel feriam ſextam, vel alium abſtinentiae diem immediate praecedant aut ſequantur, carnibus veſci libere liciteque poſſint ac valeant. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Decernentes praesentes Noſtras Litteras firmas, validas atque efficaces ſemper exiſtere et fore, ſuosque plenarios et integros effectus ſortiri et obtinere, illisque ad quos ſpectat et in poſterum ſpectabit, in omnibus et per omnia pleniffime ſuffragari, ſicque in praemiſſis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum eſſe et inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxvii Ianuarii mcmxi, Pontificatus Noſtri anno octavo.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a. Secretis Status.*

L. ✠ S.

De Proposito Fine Precum Operumque pro Reditu ad Ecclesiae Unitatem a Sodalitate Principe Sulpiciana ultra Britanniam Proferendo.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.—Quoties animum subit cogitatio admotarum a Christo precum aeterno Patri, quae a Ioanne Apostolo referuntur in evangelio c. xvii., toties vehementer commovemur ac desiderio incendimur intuendae multitudinis credentium eo caritatis adductae ut iterum fiat *cor unum et anima una* (*Act ap. C. iv., 32*). Haec fraterna coniunctio quam fuerit in votis divino Magistro, fusae primum pro apostolis ab Eo preces plane declarant: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos*. Verum non in solo apostolorum coetu consistere, sed ad omnes Christi assecclas debere hanc unitatem proferri, adiecta mox verba satis ostendunt: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu, pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti*. Quam denique arcta debeat esse huiusmodi coniunctio, ignitis hisce significat verbis: *ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum*.

Haec Nobiscum reputantes, quibus, licet indignis, demandata cura est confirmandi fratres pascendique agnos et oves, incredibilem hausimus laetitiam, quum a supremo moderatore Sulpicianae Congregationis Parisiensis eodemque praeside sodalitatis principis precum piorumque operum pro Britanniae reditu ad Fidei unitatem, plane consentaneos votis Nostris vidimus exhiberi supplices libellos duorum Patrum Cardinalium ac plurium sacrorum antistitum, qui, utrique, Canadensi eucharistico coetui adfuissent. Hi enim flagitabant ut memorata sodalitas a sa. me. decessore Nostro Leone XIII, sub patrocinio Beatae Mariae Virginis perdolentis, instituta Parisiis ad S. Sulpicii, Litteris apostolicis *Compertum est* die xxii mensis Augusti anno MDCCCXCVII, propositum sibi finem latius proferret, ita ut, non modo Britannia, sed regiones omnes, quae cum hac essent eiusdem linguae societate coniunctae, communi earum precationum beneficio fruerentur.

Ad hanc precum conspiracyem augendam, praeter ipsam rem per se maxime optabilem, haud mediocriter Nos impulerunt et inclinatae per hos dies voluntates in reditum et auctoritates hominum sanctitate, doctrina, dignitate praestantium, qui, Pauli a Cruce eiusque recentis alumni Dominici a Matre Dei ardorem studiumque fecundissimum admirati, unitatis bonum, quaeque inde exspectandae sunt utilitates, modis omnibus, excitata praesertim in Deo exorando sollertia, maturandum esse censuerunt.

Quamobrem, auctoritate Nostra apostolica, vi praesentium Litterarum, Sodalitatem principem precum ac piorum operum pro reditu Britanniae ad unitatem Fidei, sub patrocinio B. M. Virginis perdolentis, in Sulpicianis aedibus a decessore Nostro Leone XIII, superius memoratis apostolicis Litteris constitutam, dum in reliquis sartam tectamque manere volumus, propositum sibi finem sic iubemus extendere, ut fundendis precibus, non Britanniae tantum filios, Nobis usque carissimos, complectatur, sed populos omnes qui anglica utantur lingua tamquam vernacula. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque speciali licet atque individua mentione dignis contra facientibus quibusvis.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11 mensis Februarii anno MDCCCXI, Pontificatus Nostri octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

L. ✠ S.

Ad Clarissimum Virum Henricum Fitzalan-Howard Ducem de Norfolk, ob Templum in Oppido Norwich Eiusdem Pietate Sumptibusque Excitatum.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.—Eximiae pietatis tuae hunc etiam amavinus fructum, templum in oppido Norwich tua excitatum largitate, ac die festo Mariae labis nesciae Deo dicandum. Pecuniae tuae nulla sane uberius usura. Duplicem quippe assequutus es laudem, praestantis scilicet cum in Deum tum etiam in civitatem caritatis. De utroque enim optime meruisti, quum et dignitati sacrorum et loci popularium inservieris commoditati. Quod quidem bene merendi studium, perspectum iamdiu in te, utpote cum praecellenti antiqui generis claritate haustum, et haud semel a Decessore Nostro f. r. Leone XIII iusta commendatione celebratum, libet modo, novo edito testimonio, nova exornare laude. Quo vero, Dilecte Fili, benevolentia in te Nostra cumulator fiat, Apostolicam Benedictionem, divinorum munerum conciliatricem, cum tibi tum perillustri familiae tuae amanter impertimus, id etiam supplici prece expectantes ut *maiestas Domini impleat domum quam aedificasti, et aures ipsius erectae sint ad orationem eius qui in loco isto oraverit.*

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Novembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

BULL.

SACERDOTES ARNOLDUS HARRIS MATHEW,
HERBERTUS IGNATIUS BEALE ET ARTHURUS GULIELMUS HOWARTH
NOMINATIM EXCOMMUNICANTUR.

DILECTIS FILIIS CATHOLICIS IN ANGLIA COMMORANTIBUS
PIUS PP. X.

DILECTI FILII, SALUTEM APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gravi iamdiu scandalo, maximo animi moerore, vobis esse novimus sacerdotes Herbertum Ignatium Beale et Arthurum Gulielmum Howarth e clero Nottinghamensi qui, quae sua sunt non quae Iesu Christi quaerentes et aestu ambitionis abrepti, postquam penes acatholicos homines Episcopatus honore augeri non semel pertentaverint, eo temeritatis novissime progressi sunt ut, voti compotes facti, Episcopalem consecrationem se recepisse Nobis arroganter nunciarint. Nec eorum nuncii authenticum defuit testimonium; nam qui sacrilegi huius facinoris princeps auctor fuit, pseudo-episcopus quidam Arnoldus Harris Mathew, litteris tumoris plenis ad Nos datis, illud plane confirmare veritus non est. Qui quidem insuper Archiepiscopi Anglo-Catholici Londinensis titulum sibi arrogare non dubitavit.

Ad vos igitur, primum, Dilecti Filii, de quorum religiosa et devota erga Nos voluntate semper et illustria testimonia exce-pimus, animum et sollicitudinem Nostram convertentes, vehementer hortamur in Domino ut ab eorum fraudibus et insidiis sedulo caveatis.

Dein vero, ne muneri Nostro deesse videamur, Decessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, praefatam consecrationem illegitimam, sacrilegam atque omnino contra huius Sanctae Sedis mandata Sacrorumque Canonum sanctionem factam edicimus.

Supra nominatos, demum, sacerdotes Arnoldum Harris Mathew, Herbertum Ignatium Beale et Arthurum Gulielmum Howarth, ceterosque omnes qui nefario huic crimini operam, consilium, consensum prae-buerunt, auctoritate Omnipotentis Dei, excommunicamus, anathematizamus atque ab Ecclesiae

communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et a Catholicis universis et praesertim a vobis vitandos esse praecipimus et solemniter declaramus.

Quam acrem quidem sed omnino necessariam medicinam adhibentes, vos pariter, Dilecti Filii, adhortamur ut fervidas preces vestras Nostris adiiciatis, Deum obsecrantes ut hos infeliciter errantes ad Christi ovile et ad salutis portum misericorditer dignetur reducere.

Quod ut efficacius, Deo adjuvante, consequi possitis, Apostolicam benedictionem vobis ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Februarii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PAPA X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

(*Indulgences.*)

De Absolutione seu Benedictione Papali Tertiariis Accipienda.

DECRETUM.

Die 15 Decembris 1910.

SSmus. N. D. Pius divina Providentia PP. X, in Audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, preces a nonnullis Tertiariis Sodalitatum Moderatoribus pluries porrecta, benigne excipiens, quo facilius Tertiarii ex utroque sexu, cuiuscumque Ordinis, iis non exceptis, qui vitam communem agunt, diebus statutis generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem recipere valeant, clementer indulget, ut, quoties ipsi ad hunc finem una simul convenerint, et Sacerdos, cuius est illam impertiri, quacumque ex causa, abfuerit, eandem Absolutionem seu Benedictionem accipere possint a quolibet Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, qui ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

L. ✠ S.

**De Metallico Numismate pro Lubitu Fidelium
Sacris Scapularibus ex Panno Sufficiendo.**

DECRETUM.

Cum sacra, quae vocant, scapularia ad fidelium devotionem fovendam sanctiorisque vitae proposita in eis excitanda maxime conferre compertum sit, ut pius eis nomen dandi mos in dies magis invalescat, SSmus. D. N. D. Pius divina providentia PP. X, etsi vehementer exoptet ut eadem, quo hucusque modo consueverunt, fideles deferre prosequantur, plurium tamen ad Se delatis votis ex animo obsecundans, praehabito Emorum. Patrum Cardinalium Inquisitorum Generalium suffragio, in Audientia R. P. D. Adessori huius Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, die 16 Decembris anni currentis, impertita, benigne decernere dignatus est :

Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a Sancta Sede probatis scapularibus (exceptis quae Tertiorum Ordinum sunt propria), per regularem, ut aiunt, impositionem iam adscriptis aut in posterum adscribendis, licere posthac pro ipsis, sive uno sive pluribus, scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen super propriam personam, deferre, quo, servatis propriis cuiusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino*, quod dicunt, scapularis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis adnexas participare ac lucrari possint ac valeant ;

Huius numismatis partem rectam, SSmi. D. N. I. C. suum sacratissimum Cor ostendentis, aversam, Bmae. Virginis Mariae effigiem referre debere ;

Idem benedictum esse oportere tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, quois, pro lubitu petentium, suffici velit ;

Singulas has, demum, benedictiones impertiri posse *unico crucis signo*, vel in ipso adscriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate, non interest an servato vel non diversarum adscriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, a quovis Sacerdote, etiam ab adscribente distincto, qui respectiva scapularia benedicendi sive ordinaria sive delegata facultate polleat, firmis ceteroquin primitivae facultatis limitibus, clausulis et conditionibus.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 Decembris 1910.

L. ✠ S.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

**Ad Decretum S. Congregationis S. Officii
De Metallico Numismate Sacris Scapularibus Sufficiendo.**

DECLARATIONES.

Circa numismata hucusque ad finem, de quo supra, benedicta, et circa facultatem ea benedicendi a SSmo. Dno. nostro, directe, vel per aliquod S. Sedis Officium, aut aliter, quomodolibet iam concessam, Idem SSmus. mentem Suam aperuit, et quae sequuntur adamussim servanda mandavit :

1. Numismata a facultatem habentibus rite iam benedicta, etiam in posterum scapularium loco gestari poterunt, eo modo et sub iis conditionibus, quibus constitit factam esse potestatem ;

2. Sacerdotes omnes, saeculares vel regulares, etiam conspicua fulgentes dignitate, ne amplius numismata sic benedicendi utantur facultate, quinquennio ab illa obtenta transacto. Poterunt interea, etiamsi scapularia respective benedicendi non polleant facultate, numismata ubilibet benedicere ; ea tamen lege, ut sive quod ad statutas eorum attinet imagines, sive quod ceteras respicit conditiones, praescriptionibus in supra relato Decreto contentis omnino se conforment ;

3. Qui porro subdelegandi praediti erant facultate, hac ipsa Decretiet Declarationum promulgatione, se illa noverint excidisce ; satis enim per idem Decretum iam spirituali fidelium emolumento provisum est.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 Decembris 1910.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

L. ✠ S.

**De Utili Temporis Spatio ad Visitationem Ecclesiae vel Oratorii
Instituendam, pro Indulgentiis Lucrandis.**

Die 26 Ianuarii 1911.

SSmus. Dnus. noster D. Pius divina Providentia PP. X, in audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, ut dubiis, difficultatibus et controversiis occurratur, quae saepe exorta sunt, ac forsitan et deinceps oriri possent, circa temporis determinationem, quo ecclesiae vel oratorii visitatio institui valet, quum haec requiritur ad Indulgentias lucrandas alicui diei adnexas, benigne concessit, ut utile ad id tempus habeatur et sit, non modo a media ad mediam noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei praecedentis. Hoc autem declaravit fore valiturum, tam pro Indulgentiis plenariis quam pro partialibus, semel in die aut toties quoties adquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub loquutione tempus sive dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero

clausulis et conditionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima et singulari mentione dignis, non obstantibus.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

L. ✠ S.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

(*Index.*)

DECRETUM

Feria II, die 2 Ianuarii 1911.

Sacra Congregatio Emorum. ac Rmorum. S. R. E. Cardinalium a SSmo. Domino Nostro Pio PP. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 2 Ianuarii 1911, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

FRANZ WIELAND, *Mensa und Confessio*.—*Der Altar der vorkonstantinischen Kirche*. München, 1906.

— *Die Schrift Mensa und Confessio und P. Emil Dorsch S. I. in Innsbruck. Eine Antwort*. Ibid., 1908.

— *Der verivenäische Opferbegriff*. Ibid., 1909.

JOSEPH TURMEL, *Histoire de la théologie positive du Concile de Trente au Concile du Vatican*. Paris.

LA VRAIE SCIENCE DES ÉCRITURES, ou les erreurs de la scholastique et l'enseignement officiel de l'Eglise sur le vrai sens de la Bible, par X.—Annonay et Montligeon, 1909.

LASPLASAS, *Origen, naturaleza y formación del hombre*. San Salvador, 1896.—*La Iglesia y los estados*. Ibid., 1897.—*Etología ó filosofía de la educación*. Ibid., 1899.—*La sabiduría*. Santa Tecla, 1901.—*El compuesto humano*. Ibid., 1901.—*Evolución de los errores antiguos en errores modernos*. Ibid., 1902.—*Generación y herencia*. San Salvador, 1902.—*Ensayo de una definición de la escolástica*. Barcelona, 1902.—*La moral es ley moral*. San Salvador, 1903.—*La psicología*. Ibid., 1904.—*La política*. Barcelona, 1905.—*Mi concepto del mundo. Libro primero: Del hombre*. Ibid., 1907; *Libro segundo: Dios*, Ibid., s. a.

TEN HOMPEL, *Uditore Heiner und der Antimodernisteneid. Grenzfragen: Erstes Heft*. Münster, 1910.

PIERRE BATIFFOL, *L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation.* Paris. Decr. 26 Jul. 1907.

RIVISTA STORICO-CRITICA delle scienze teologiche. Pubblicazione mensile. Roma. Decr. S. Off. fer. IV, 7 Sept. 1910.

ALFONSO MANARESI, *L'impero Romano e il cristianesimo nei primi secoli.* Vol. I: *Da Nerone a Commodus.* Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Settembre 1910.

ERNESTO BUONAIUTI, *Saggi di filologia e storia del nuovo testamento.* Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.

FRANCESCO MARI, *Il quarto vangelo.* Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Settembre 1910.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

ALPHONSUS MANARESI, ERNESTUS BUONAIUTI et FRANCISCUS MARI, Decreto S. Congregationis S. Officii, edito die 7 Septembris 1910, quo quidam libri ab eis conscripti notati sunt, laudabiliter se subiecerunt.

Quibus SSmo. Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 3 Ianuarii 1911.

F. DE PAULA Card. CASSETTA, *Pro Cardinali Praefecto.*

THOMAS ESSER, O. P., *Secretarius.*

L. ✠ S.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY.

DECLARATIONES

Circa Iusiurandum a Motu-Proprio "Sacrorum Antistitum" Praescriptum.

Propositis huic sacrae Congregationi Consistoriali quae sequuntur dubiis, id est:

I. Utrum alumni Religiosi maioribus ordinibus initiandi teneantur dare iusiurandum a Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* praescriptum coram Episcopo ordines conferente, an coram moderatore religioso;

II. Coram quonam idem iusiurandum praestare debeant Religiosi qui confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis destinantur;

III. In quibusnam tabulariis adservanda sint documenta iusiurandi a superius memoratis Religiosis dati ;

SSmus. Dominus noster Pius PP. X, in audientia diei 16 Decembris 1910 Cardinali Secretario eiusdem sacrae Congregationis concessa, mandavit ut respondeatur :

Ad I. affirmative ad primam partem, negative ad secundam ;

Ad II. coram eo, a quo approbationem confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis obtinent.

Ad III. in tabulario illius Ordinarii, qui iusiurandum recepit.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 17 Decembris anno 1910.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.

S. TECCHI, *Adessor*.

L. ✠ S.

De Competentia in Ecclesiasticis Legibus Interpretandis.

Sacrae Congregationi Consistoriali ea quae sequuntur dubia proposita sunt solvenda :

1.^o An, post ordinationem Romanae Curiae a Pio PP. X statutam, Sacrae Congregationi Concilii adhuc competat exclusiva facultas authentice interpretandi omnia Concilii Tridentini decreta, quae ad morum reformationem, disciplinam aliaque huiusmodi pertinent, Summo Pontifice consulto ;

2.^o An facultas authentice interpretandi Concilii Tridentini decreta aliasque leges ecclesiasticas vi Constitutionis *Sapientis Consilio* sit singulis Sacris Congregationibus commissa secundum propriam cuiusque competentiam, salva Romani Pontificis approbatione ;

3.^o An eadem potestas competat sacris tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae ;

4.^o An iisdem sacris tribunalibus competat saltem facultas decreta Concilii Tridentini aliasque leges ecclesiasticas interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita nempe ut ius faciant inter partes in causa.

Emi. Patres huius Sacrae Congregationis in generali coetu die 9 Februarii 1911 habito, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt :

Ad I et III *negative* ; ad II et IV *affirmative*.

In sequenti vero die, quum hae dubiorum resolutiones SSmo. D. N. Pio PP. X ab infrascripto Cardinali Secretario relatae sint, Sanctitas Sua eas ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 11 Februarii anno 1911.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.

SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

L. ✠ S.

De Decreto "Maxima Cura."

I.

In generali conventu Sacrae Congregationis Consistorialis habito die 23 Februarii 1911, proposito dubio: "An vigeat in Anglia novissimum de amotione administrativa ab officio et beneficio curato Decretum 'Maxima Cura' Emi. PP., requisito Consultorum voto aliisque perpensis, respondendum censuerunt: 'Affirmative.'"

Facta autem relatione SSmo. D. N. Pio PP. X. ab infrascripto Cardinali Secretario in audientia diei 24 Februarii 1911, SSmus. resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Romae, die 28 Februarii 1911.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*
SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

L. ✠ S.

2.

Ad dubium aliquibus propositum, "an decretum 'Maxima Cura' vigeat pro dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis" haec Sacra Consistorialis Congregatio respondit: 'Affirmative,' iuxta resolutionem datam pro dioecesibus Angliae sub die 28 Februarii 1911."

Romae, die 13 Martii 1911.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*
SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

L. ✠ S.

De Motu Proprio "Sacrorum Antistitum."

Cum in Motu proprio "Sacrorum Antistitum" statutum sit ut fidei professio cum iureiurando contra Modernistarum errores praestetur a parochis aliisque beneficiatis ante ineundam beneficii possessionem, quaesitum est "utrum adhuc maneat facultas facta a S. Concilio Tridentino, qua provisi de beneficiis quibuscumque, fidei professionem emittere possunt intra duos menses a die adeptae possessionis."

Re autem pertractata penes S. hanc Congregationem, cum Consultoris voto, ab infrascripto Cardinali relatio facta est SSmo. D. N. Pio PP. X., qui, omnibus perpensis, proposito dubio mandavit ut respondeatur: "Negative" ac proinde in posterum fidei professionem emittendam esse ante possessionem beneficii.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 1 Martii 1911.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*
SCIPIO TECCHI, *Adessor.*

L. ✠ S.

CONGREGATION OF THE SACRAMENTS.

Instructio ad Ordinarios circa Statum Liberum ac Denunciationem Initii Matrimonii.

Perlatum haud semel est ad hanc S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, in quibusdam regionibus parochos matrimoniis adsistere, praesertim advenarum, non comprobato rite ac legitime statu libero contrahentium, eiusque rei causa non defuisse qui alteras nuptias attentare sint ausi.

Haud pauci praeterea Ordinarii conquesti sunt, initorum notitiam connubiorum, quae vi decreti: *Ne temere*, editi a S. C. Concilii die 11 mensis Augusti anno MDCCCXVII, transmittenda est ad parochum baptismi coniugum, saepe omni fidei testimonio esse destitutam debitisque indiciis carere.

Ad haec incommoda removenda Emi. Patres huius S. Congregationis in generali conventu habito in aedibus Vaticanis die VII mensis Februarii MDCCCXI, praescribenda censuerunt ea quae sequuntur:

I. In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, *nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis*: (Cfr. Decr. *Ne temere*, n. V, § 2); iidemque praesertim moneantur ne omittant baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in paroecia fuerit illis collatus.

II. Ut autem quae n. IX, § 2 memorati Decreti praescripta sunt rite servantur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secumferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

III. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis, de quibus n. I, baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parochus attentati matrimonii.

IV. Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose servantur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis.

Ex Aedibus eiusdem S. C. die 6 Martii 1911.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.
PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

Praesumptae Mortis Coniugis.

Revmus. Vicarius Capitularis Mohilovien., die 6 mensis Martii anno 1909, huic S. C. quae sequuntur obtulit preces : “ Iacobus Ondzul, tempore belli Russico-Iaponici, pugnae apud civitatem Mukden, die 22 Februarii 1905 interfuit, et prout ex adiecto testimonio potestatis militaris patet, in eadum pugna absque ulla notitia periit. Nunc uxor eius, Martha Ondzul, credens virum suum in proelio fuisse occisum, novas nuptias inire vult. Cum tamen mors Iacobi Ondzul, quamvis probabilissima, incerta nihilominus remaneat, hinc iuxta Instructionem S. C. Inquisit., die 13 Maii 1868 datam, negotium decisioni Sanctae Sedis Apostolicae submitti debet. Quia vero casus similes quamplurimi habentur, etenim eodem bello, praesertim in pugnis prope Mukden et Lao-Yan, copiae Russicae, acie turbata a copiis Iaponensibus, sese retrahentes, plurimos perdiderunt milites, qui dein, a Iaponensibus, quo factum est ut nunc de permultis militibus qui proeliis interfuerant, nullae habeantur notitiae, hinc infrascriptus Vicarius Capit. Mohilovien. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime orat ut Sanctitas Vestra benignissime declarare dignetur :

“ 1.^o Utrum dictae Marthae Ondzul novas nuptias inire liceat ; et

“ 2.^o Quid faciendum in aliis casibus similibus.”

Quibus precibus adiectum est militaris officii testimonium ut sequitur :

“ Ministerium rebus bellicis gerendis praepositum—Praetorium maius—Specialis sectio pro colligendis notitiis de occisis et vulneratis militibus in bello cum Iaponia.—Specialis sectio Praetorii maioris praesentibus nuntiat iuxta relationem Praefecti legionis 100^{ae} Ostroviensis, Iacobum, Iacobi filium, Ondzul, e militibus copiis subsidiariis annumeratis, ad arma vocatum, in pugna prope civit. Mukden die 22 Februarii 1905 absque ulla notitia periisse, et dispositione, eodem anno N. 57 legioni data, ex elencho militum legionis esse expunctum. Sectionis Praefectus. Belli-dux-legatus Smorodsky.—Praefectus legionis Kalugin.”

Ad quam rem, cum nempe agitur de probando obitu alicuius coniugis, ut transitus ad alias nuptias permitti possit, constat quam caute sacri canones procedendum esse iubeant. Exigitur enim quod de morte coniugis certo constet, ut cap. 2, *De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte *certam nuncium* recipiatur, cap. 19, *De sponsalibus et matrimoniis* ; ideoque authenticum documentum de obitu exquiri debet. Quod si haberi nequeat, testium

depositionibus supplendum est; his vero deficientibus: "Probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque tam sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine promoveri possit," prout loquitur Instructio S. C. S. Officio data anno 1868, quae incipit: "*Matrimonii vinculo.*"

Neque civilis legis provisiones locum requisitae moralis certitudinis tenere possunt; quae quidem provisiones secundum suos cuiusque populi atque aetatis mores sunt constitutae. Revera praefatum S. Off. ad dubium: "Utrum provisiones legis civilis de absentibus coniugibus locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possint, ac consequenter utrum derelicti coniuges, perfectis et impletis istis provisionibus, aliud matrimonium legitime contrahere valeant," die 28 Iunii 1865 Vicario Apostolico Pondicheriano reposuit: "Iuxta expositum, *Negative*, et expendendos esse casus particulares ab ipso Vic. Apost. iuxta Instructionem quae eidem communicatur."

Atque haec ipsa S. Congr. de disc. Sacr. in causa *Messanen. seu Rheginen., Praesumptionis de morte*, diei 12 Martii 1909, quoad incolas Siciliae et Calabriae qui terraemotu diei 28 Decembris 1908 disparuerant, et de quorum morte potestas civilis testimonium dederat, proposito dubio: "An et quomodo providendum," in plenario conventu respondit: "Expendendos esse ab Ordinario casus particulares, iuxta Instructionem '*Matrimonii vinculo*,' a S. C. S. Officii datam anno 1868."

Verum ad moralem certitudinem in re gignendam argumenta depromi quoque possunt ex actis a civili Tribunali confectis, examine super ipsis instituto, prouti S. Off. die 6 Februarii 1861, respondit: "Argumenta etiam desumi possunt ex actis a Tribunali civili confectis, et deinde super illis institutio examine, ubi nihil contrarium reperiatur, ab Ecclesiastica potestate fieri debet sententia, qua declaratur satis constare de obitu personae de cuius existentia inquiritur."

Et in praesenti casu militis Iacobi Ondzul, quamvis acta non exarata fuerint a Tribunali civili, attentis tamen circumstantiis, peculiari vi pollet documentum de morte Iacobi, quod edidit specialis sectio pro colligendis notitiis de occisis et vulneratis militibus in bello cum Iaponia.

Quod autem spectat casus, quodammodo similes, militum qui in proelio cecidisse praesumebantur, afferri potest responsum S. O., datum die 27 Apr. 1887, quoad Iosephum N., qui an. 1870

ad bellum profectus, in proelio ad civitatem S. Quintini, die 19 Ian. an. 1871 commisso, disparuit, ut constabat ex litteris Ministri qui militiae praeerat, neque ex eo tempore ulla fama de eo audita fuit, ita ut Tribunal civile sententiam de eius obitu pronuntiaverit. Addendum quod Iosephus pactum cum septem ex suis sociis iniverat, ut post proelium in eundem locum convenirent, solusque e conventu abfuit. Et Suprema S. Cong. reposuit: "Dummodo ex authenticis documentis et ex testibus fide dignis saltem summarie et extraiudicialiter constet non solum de iis quae ab Episcopo exprimuntur, sed insuper Iosephum N. sincero animo prosequutum fuisse uxorem et liberos, neque ullam adfuisse causam quare eos desereret, permitti posse oratrici ut matrimonium ineat cum Ludovico N."

Et quoad uxores militum qui proelio de Adua anno 1895 interfuerant, et quorum nulla notitia supererat, non obstantibus investigationibus a Gubernio peractis, eadem S. Congr. die 20 Iulii 1898 rescipit: "Dummodo agatur de viris qui certo adstiterunt pugnae de Adua, et peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat, an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus, et valida praesumptione obitus, Ordinarius permittere poterit transitum ad alias nuptias."

Circa igitur preces Vicarii Capitularis Mohiloviensis, quas supra retulimus, in plenariis Comitibus H. S. C. habitis die 16 Decembris 1910, proposita sunt dubia:

I.^{um} *An Marthae Ondzul permitti possit transitus ad alias nuptias in casu.*

II.^{um} *An et quomodo providendum sit in aliis casibus similibus.*

Ac re mature perpensa, EE. PP. respondendum decreverunt:

Ad I.^{um} *Affirmative.*

Ad II.^{um} *Applicandum esse responsum a S. Officio datum die 20 Iulii 1898 quoad viros qui adstiterunt pugnae de Adua.*

D. Card. FERRATA, Praefectus.

L ✠ S.

PH. GIUSTINI, Secretarius.

CONGREGATION FOR RELIGIOUS COMMUNITIES.

Decretum Quoad Laicos Ordinum Religiosorum.

Sacrosancta Dei Ecclesia Ordines Religiosos decorandos voluit solemnitate votorum, quo status prosequentium in eis evangelica consilia fieret aestimatione et effectu in christiana societate stabiliior. Ad quae vota solemniter profitenda eos quoque admittit, qui nulla Sacerdotii Christi participatione donati, Conversi seu Laici vocantur.

Quum vero per votorum solemnitate[m] prorsus irrevocabili, artissimo et publico nexu mancipetur homo divino servitio coram Ecclesia et fidelibus universis, decet omnino, ut qui, hac ratione, Christi vestigia se propius ac perpetuo secuturos sponderunt, ii fideliter in sua promissione perseverent. Quod praesertim de Laicis seu Conversis dicendum est, quos nonnisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post solemnem professionem ad saecularia vota redire, nullo a se vitae prioris signo distinctos.

Spiritus autem temporum, qui omnimodam libertatem infausto vindicat hominibus, sancta quoque Monasteriorum septa est furtim praetergressus: idque etiam effecit, ut cum desiderio vitae humilioris, absconditae in Christo, qualis Conversorum solet esse in Coenobiis, propositi perseverantia simul imminueretur, in iis praesertim Laicis, quos forsitan religiosos potius fecerat necessitas, quam voluntas, vel quos Superiores absque debitis cautelis exceperant, vel quos acceptis a Deo beneficiis abuti contigerat. Hos, parvi facientes verba Sancti Augustini: *Nec ideo te vovisse poeniteat, imo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis; ipse adiuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quae in meliora compellit* (S. Aug., Ep. 127, 8), mater Ecclesia, studens minori malo, licet non sine magna commiseratione, aliquando permisit abire.

Ut igitur dignitas votorum, quae etiam Laici solemniter promittunt, in laude, qua in Ecclesia merito gaudent, perseveret, et ad sanctum vocationis propositum impensiore cura provehendum, nostra difficillima aetate, haec Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, rem attentissime in Domino consideravit, discussis sedulo causis, propositisque mediis ac remediis; sententiamque expetivit quum Moderatorum Generalium praecipuorum Ordinum, tum plurium ex suis Consultoribus. Quae omnia Emi. Patres Cardinales Sacri eiusdem Consessus, in Plenario Coetu, die 29 Iulii anno 1910 ad Vaticanum habito, diligentissime perpendentes, quaedam statuenda rati sunt, quae Laicorum ingressum, tyrocinium, institutionem, votorum emissionem in posterum opportune moderentur.

Haec igitur erunt apprime servanda ab omnibus Religiosis Familiis, apud quas a Conversis quoque solemniter vota nuncupantur, nimirum:

1. Moderatoribus Generalibus facultas fit permittendi toties quoties Superioribus Provincialibus, ut excipere valeant eos quoque iuvenes, ad Laicorum munia destinatos, qui vix expleverint decimum septimum aetatis annum, servatis servandis.

2. Nemo ad Novitiatum admittatur, qui per duos saltem annos,

vel per plures, si magis diuturnum experimentum Constitutiones Ordinis praescribant, postulatum non expleverit, sub poena invalidae postea professionis.

3. Novitiatus ante vigesimum primum aetatis annum initium non habeat, ad tramitem iuris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret, iuxta proprii Ordinis Constitutiones.

4. Expleto Novitiatu, servatisque quae servanda sunt, Laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis.

5. Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno ac non prius, sub poena item invaliditatis, servatisque pariter servandis, Laici vota solemnia nuncupare poterunt.

6. Quae in praecedentibus articulis respiciunt professionem votorum simplicium et solemnium erunt quoque servanda quoad Laicos nunc in Coenobiis viventes, qui solemnem professionem nondum nuncuparunt.

Spatium hoc sat diuturnum novem annorum sperandum est, fore ut quum Superioribus tum tyronibus opportunitatem det explorandi illinc voluntatem, hinc vitae institutum, ad quod postea solemniter amplectendum, virtute firmior, potest homo maturius afferre iudicium.

Haec autem aliquam, non tamen omnino firmam darent perseverantiae spem, nisi ea comitentur sequentes et aliae id genus cautelae et industriae, quas Apostolica Sedes, decursu saeculorum, edixit vel adhibendas suasit, et observantiores Familiae Religiosae laudabili consuetudine et felici exitu expertae sunt.

Et in primis quoad Conversorum receptionem, multae sunt eaeque sedulae adhibendae cautelae et inquisitiones praemit-tendae. Provincialis indaget oportet de legitimitate natalium, de morum honestate, de optima coram populo fama, de idoneitate tyronum, ac praesertim de natura finis, quo ipsi aguntur, amplectendi statum Religiosum. Plures enim sunt, qui Religionem ingressi, non videntur commoda dereliquisse, sed quaerere : qui quaerunt *in Monasterio quae nec foris habere potuerunt* (Reg., S. Aug., c. I, 3), quique facilem vitam curarumque expertem, immerito nominis honore, gerere cupiunt. Hi sane non sunt, quibus cum Sancto Augustino exclamare fas est : *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat !* (S. Aug., Conf., l. 9, c. 1). Erunt quidem hi habitu Religiosi, non virtute, quos rectius fuerat in saeculo ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes fors in discrimen suam aeternam vocare salutem.

Quos factae, etiam secreto, inquisitiones et exhibita docu-

menta serio commendaverint, ii tantum, praehabita de more maiorum Superiorum licentia, ad Postulatum admittantur.

Satis exploratum est, habet Clemens VIII. in Instructione Cum ad regularem (n. 22), super receptione et educatione Novitiorum, perfectam educationem Conversorum tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre. Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus Religiosus et Ordinis totum pervadat. Qui disciplinam in novae conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit (S. Bonaventura, in Spec. Disc., prolog. n. 1).

Ad hoc assequendum praeficiatur Postulantibus Pater, quem et aetas probaverit et vita, cui dicit sanctus Bernardus: *Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia* (S. Bernardus, Sermon. 20, n. 4, Cant.), et de quo Sanctus Gregorius Magnus scripsit (*Reg. Past.*, p. 2, c. 6): *Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa . . . Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.*

Saepe ab ipsa civili educatione initium ducendum est; quum inferioris soleant esse fortunae qui Laicorum numero petunt adscribi. Inurbanitas in agendi modis, in responsionibus dandis, in incesso, in ipsa corporis sumenda refectione, erit paulatim, sed omnino, evellenda. Sordidi habitus, quos sibi non amor humilitatis et contemptus mundi sollicite elegit, sed rudis negligentia foedavit, non olent spiritum Christi, ideoque non semper bene de iis, quorum corpora tegunt, annuntiant. Corporis habitusque mundities, comite semper modestia ac simplicitate, erit summopere curanda. Quas item in mundo civilis educatio moderatas regulas constituit humani consortii, eas caritas quoque fraterna adhibendas suadet etiam in Coenobiis, quum caritatis sit, quidquid proximum perturbare potest, attente defugere. Inurbanitas autem, quae ex studio sui commodi procedit cum aliorum neglectu, non potest quin molestiam aliis inferat detque occasionem patientiae.

Externe haec sese habendi compositio viam sternit animo plenius educando, iis scilicet nobilibus sensibus infundendis, quibus mens trahitur ad aliorum levem quamque offensionem vitandam, desideria praevenienda, gratum animum facile demonstrandum, alios sibi praeferendos.

Haec tamen singula informet oportet, regat ac nobilitet caritas Christi, ita ut quidquid verbis, operibus, omissionibus

nostris laudabile est ac proximo gratum, procedat ex corde pleno caritatis.

Quae omnia, si Laicos decent, summopere eminere debent in Sacerdotibus et iis, qui ad sacerdotium erunt promovendi, quorum igitur Laici intuentes exempla, pertrahantur non solum ad virtutis, sed etiam ad modestae urbanitatis tramitem prosequendum.

Monitis, hortamentis, patientia ac praesertim exemplo, rudiorum quoque non erit difficile in urbanos et amabiles ita convertere mores ac modos, ut, non multo post eorum ingressum in Religionem, de ipsis repetere liceat illud Sancti Bernardi: *Induerunt sibi faciem disciplinam, et bonam totius corporis compositionem . . . sermo ravior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum, quia haec noviter coepere, ipsa sui novitate flores censenda sunt et spes fructuum, magis quam fructus* (Serm. 63, in Cant. n. 6).

Fructus hos quidem gignet institutio spiritualis, cui toti sint cum Postulantibus Praepositus, et cum Novitiis Magister. Laicorum profectum in viam sanctitatis faciant ipsi opus et lucrum suum, opus et lucrum sane nobile et ingens.

Ad normam Decretorum Apostolicae Sedis, eis explicent universam doctrinam christianam, praesertim quoad sacramenta confessionis et communionis rite et fructuose percipienda, prae oculis habentes Catechismum Concilii Tridentini ad Parochos. Simul eos doceant, quasnam obligationes secum trahat votorum professio, quid exigant votis respondentes virtutes. Eas quoque explanent Regulae et Constitutionum partes, quae ad Conversos pertinent.

Habeantur statis diebus collectiones seu sermones ad Laicos, non tantum vero ad novos, sed ad omnes, seniores quoque votorum professione et aetate; quibus collectionibus seu sermonibus argumentum sint non solum catechismus, vitae spiritualis monita, Regulae et Constitutionum explanatio, verum etiam normae practicae et exempla modestae moderataeque urbanitatis.

Laicorum autem animum iis virtutibus ac praesidiis Superiores roborare satagant, quae Laicorum status, praecipua quadam ratione, reposcit, nempe humilitate, obedientia, spiritu orationis ac sanctificatione laboris.

Et in primis, exteriorem et cordis humilitatem studeant assequi Laici. *Nec aliam tibi . . . viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: et quoties interroges, hoc dicerem* (S. Augustinus Ep. 118, n. 22). Nam, ut habet divus Bernardus (*De Cons.* l. 5, c. 14, n. 32): *Virtutum . . . stabile fundamentum, humilitas . . . ; si nutet illa, virtutum*

aggregatio non nisi ruina est. Quod ita explicat Sanctus Thomas: Humilitas primum locum tenet, inquantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et semper patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae, inquantum evacuat inflationem superbiae; ut dicitur Iac. IV., quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et secundum hoc, humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum (II. II. q. 161, art 5, ad 2).

Quum vero ad veram humilitatem inducat frequens in despectis operibus exercitatio, dicente Sacra Scriptura quod numquam ad humilitatis virtutem perveniet qui opera humilitatis refugit (B. Alb. M. de Par. Animæ c. 2), muneribus quibus funguntur, eo potissimum debent gaudere Laici, quod humilitatis exercendae et augendae veluti indeficientem habeant opportunitatem.

Excellat quoque in Laicis obedientia. Noverint in ea nullum esse peccandi periculum; cum ea, certissima est victoria, inexpugnabile tutamen, merita plurima, pax summa. Sit autem oportet munita supernaturalibus motivis. Iuxta Sanctorum documenta, rectores nostri sunt vicarii Dei super nos. Et ideo debemus eis sicut Domino obedire et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subiaceamus. Ac Sanctus Gregorius Magnus docet: *Vera namque obedientia nec praepositorum intentionem discuit, nec praecepta discernit . . . Qui obedientiae bonum exsequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum.* (In I. Reg. l. 2, c. 4, n. 11.) Quapropter Sanctus Bernardus merito improperat eorum obedientiam, qui non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et diiudicant, eligentes in quibus obediant imperanti (In conv. S. Pauli, Serm. I, n. 6); et quos constat, iuxta eundem Sanctum Bernardum, nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas (De praec. et dispensat. c. 10, n. 23). Huic exercendae virtuti validissimum dent auxilium et animum verba et exempla Christi Iesu, qui non desiit asseverare: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam. Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quae placita sunt ei, facio semper. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Pater mi, . . . non sicut ego volo, sed sicut tu* (Ioan. 6, 38; 5, 30; 14, 31; 8, 29; 4, 34; Matth. 26, 39); quique factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. 2, 8).

Spiritus quoque orationis erit magnopere provehendus. Orandi diligentia tibi in primis necessaria est: impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Haec una et mala omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit.

Ipsam animam purgat, poenam peccatis debitam submovet, praeteritas negligentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prostermit, tentationes superat, calamitates lenit, moerorem fugat, laetitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo coniungit, coniunctumque ad aeternam gloriam sublevat. Precando impetrabis quidquid utile tibi fuerit (Lud. Blosius, *Canon vitae spirit.*, c. 17, n. 1). Clemens VIII. ad Conversorum religiosam institutionem id quoque praescripsit: *Pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt* (*Instr. super rec. et educ. Novit.*, n. 22).

Curandum igitur est, ut bene noscant Laici virtutem et exercitium orationis; ut statis horis orationi quum mentali tum vocali fideliter vacent; ut tempus ad hoc statutum in Constitutionibus Ordinis unice orationi integrumque dicent; nec satis sit eos meditationi operam dare, quum Missis inserviunt. Indagent autem Superiores, praesertim postquam Laici tyrocinium absolverint, utrum meditationi et orationibus incumbant.

Brevium quoque orationum, quas iaculatorias vocant, sit ipsis usus continuus inter diem. Compendiosa est enim via ad consequendam animae unionem cum Deo, ad merita augenda, ad rectam intentionem servandam, ad tentationes praeripiendas et superandas, ad omnia sanctitate extollenda.

Manuale opus, quod in Coenobiis est munus Laicorum praecipuum, pariter sanctificent, non ad oculum servientes, non laudis expetentes praemium, sed unice voluntatis Dei ac Superiorum solliciti. *Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor, ut . . . cuppa et sacculus impleatur . . . et non delectat, ut Deus acquiratur* (S. August. *De bon. vid.* c. 21). *Quanta apud Deum merces, si in praesenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus haereditas cassa expetitur! Minori labore margaritum Christi emi poterat* (S. Hieron. ad. Nep., *de vito cler. et monac.* 6).

Habeant tandem prae oculis monita Sancti Bonaventurae: *Continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humilia cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.—Scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris et sine sollicitudine continua et labore eius gratiam adipisci nequibis, et nisi assidue pulsaveris portas eius, ingredi non poteris ad pacem mentis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum.* (*Memorial.*, n. 19 et 25 conclus.).

Ad quae omnia consequenda Laici sacrae mensae assidui sint

per frequentem, imo etiam quotidianam SSmae. Eucharistiae sumptionem ad normam recentiorum instructionum Apostolicae Sedis. Itemque omnino peculiarem colant devotionem erga Deiparam Virginem Mariam, quam ut suam amantissimam matrem semper invocare, honorare et imitari conentur.

Curent quoque Superiores, ut Sacerdotes et Laici mutuam sibi summamque observantiam et caritatem adhibeant. Reverentur Laici Presbyteros, a quibus ministeria ac mysteria maxima accipiunt. Honorent Presbyteri Laicos et *studeant . . . de pauperum fratrum societate gloriari* (Reg. S. Aug., c. I, 5). Id meminerint Sacerdotes, plurimos in Religiosis Ordinibus Laicos, ab humilioribus occupationibus, quibus per vitam functi fuerant, ad altarium honores evectos et inter beatos Coelites post mortem adnumeratos fuisse. Illud igitur genus vitae in Laicis pia colant observantia, quod tam frequenti et mirificae sanctitati aditum patefecit.

Ne gravitate munerum exercendorum in Conventu Laici superbiant, animo efferantur et parvi faciant ipsos Sacerdotes, officia graviora cuiusvis generis ne demandentur eis, nisi necessitate cogente, idque fiat semper sub omnimoda dependentia et obedientia alicuius patris gravioris et consilii, cui agendorum et gestorum ipsi rationem fideliter reddant.

Haec sufficiant de plurimis pauca.

Ceterum haec Sacra Congregatio summopere confidit, fore ut Superiores Generales omnium Ordinum Religiosorum ad simile vitae studium pro viribus provocare nitantur suos Laicos. Sic eorum vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Nam *nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat* (S. Bern., de Cons., l. 1, c. 2). *In hoc enim differunt laudabiles religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminantur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant* (S. Bonavent., *De sex alis Seraph.*, c. 2, n. 13).

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 Ianuarii 1911.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Donatus Archiep. EPHEMINUS, *Secretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

Decretum seu Declaratio super Editione Vaticana eiusque Reproductione quoad Libros Liturgicos Gregorianos.

Per decretum diei 11 Augusti 1905 Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit Editionis Vaticanae libros liturgicos gregorianos respicientis reproductiones adamussim esse conformandas eidem typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato. Quod si ex quadam S. Sedis tolerantia et permittente Ordinario, aliquoties praefatis reproductionibus addita fuere quaedam signa, rhythmica nuncupata, atque ita ipsae reproductiones in vulgus editae ac venditae, tamen in seligendis atque adhibendis eiusmodi signis pluries conquestum est per ea aliquantum variari ac immutari notulas traditionales vaticanas : et ad hos abusus removendos idem Sacrum Consilium evulgandum censuit alterum decretum sub die 14 Februarii 1906. Quum tamen non omnes abusus cessaverint et alii recentiores adiecti sint, sive ob titulum adhibitum *Editionis rhythmicæ*, sive ob interpretationem haud rectam decretorum, necessaria fuit nova declaratio authentica expressa per epistolam Secretarii S. R. C. datam die 2 Maii 1906. Quae epistola typographis facultatem et licentiam rite habentibus reproducendi editionem typicam Vaticanam clare significabat hanc solam editionem ab Apostolica Sede esse approbatam atque praescriptam pro usu cantus gregoriani, una cum subsequentibus editionibus eidem plane conformibus; ceterasque editiones rhythmicas nuncupatas ob signa adiuncta, habendas tantum toleratas; atque hoc sensu esse intelligendum decretum latum die 14 Februarii 1906.

Quae quum ita sint, ut removeantur abusus existentes et praecludatur via tum enunciatis tum aliis quae facile irrepere possent, Sacra eadem Congregatio sequentia decernere atque enucleatius declarare voluit :

I. Editionem Vaticanam de libris liturgicis gregorianis, prouti evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continere quae ad rectam cantus liturgici executionem conferunt.

II. Reproductiones eiusdem editionis typicae, quae praeserunt signa superinducta, rhythmica dicta, per abusum vocari editiones rhythmicas, atque uti tales haud fuisse approbatas, sed tantum precario toleratas : hanc vero tolerantiam, attentis rerum adiunctis, amplius non admitti, nisi pro solis editionibus iam factis, Gradualis et Officii Defunctorum, ideoque nullatenus extendi sive ad editiones cum notulis gregorianis sive ad transumpta

cum eisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum cantum liturgicum continentium, quae ad normam Motus Proprii diei 25 Aprilis 1904 et Decretorum huius S. R. C., tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Dioecesibus vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

III. Rmis. Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licere editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriae iurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis sibi subiectis praecipere, atque usum editionis adprobatae inhibere valeant.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 Ianuarii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

De Edendis Propriis Cantum Liturgicum Continentibus.

Fredericus Pustet, Sanctae Sedis Apostolicae et S. Rituum Congregationis typographus, de consensu Rmi. sui Ordinarii Ratisbonensis, humiliter expetivit a Sacra Rituum Congregatione, ut ipsa declarare dignaretur, quis modus servandus sit de expendenda approbatione Propriorum alicuius Dioecesis vel Ordinis ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, et praesertim:

I. Utrum Propria, quae exhibent cantum gregorianum, indigeant approbatione Sacrae Rituum Congregationis pro prima editione?

II. Et quatenus affirmative ad I, utrum etiam pro sequentibus editionibus?

III. Et quatenus negative ad II, utrum praeter licentiam Ordinarii loci, in quo praedicta Propria evulgantur, requiratur insuper licentia Antistitis respectivi Ordinis vel Dioecesis?

IV. Qua approbatione indigeant illa Propria ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, quae exhibent cantum gregorianum notis modernis transcriptum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita Commissionis Liturgicae sententia, una cum voto Praesidis Commissionis de musica et cantu sacro, reque sedulo perpensa ac discussa, ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*: et singula cuiuslibet Proprii seu novi Officii aut Missae folia, apud quemlibet typographum composita, in triplici exemplari vel singillatim vel simul sumpta ad Sacram Rituum Congregationem pro revisione et definitiva approbatione transmittantur; praehabita quidem licentia illius Ordinarii loci

vel Moderatoris supremi Ordinis sive Instituti, in cuius usum paratur editio, quae veluti typica profuturis editionibus inserviet.

Ad II. *Negative*, dummodo subsequentes editiones cum prima typica editione sive Proprii sive novi Officii aut Missae fideliter concordent; prouti Decretum sacrae Rituum Congregationis sub die 11 Augusti 1905, quod Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium exhibent, omnino declarat et iubet.

Ad III. Requiritur pro subsequentibus editionibus tam approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Supremi Ordinis seu Congregationis, in cuius usum ipsae editiones parantur, quam licentia Ordinarii loci, in quo huiusmodi editiones conficiuntur et evulgantur.

Ad IV. Requiritur et sufficit approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Ordinis sive Instituti, atque licentia Ordinarii illius loci, ubi tales editiones, parantur sive evulgantur, prouti in responsione ad dubium III superius indicatur.

Declarat autem sacra Rituum Congregatio tum Decretum approbationis a se dandum primae editioni alicuius Proprii sive novi Officii aut Missae cantum gregorianum liturgicum exhibenti cum approbationem Ordinarii Dioecesis aut Moderatoris Supremi Ordinis sive Instituti atque licentiam Ordinarii loci, ut supra, in scriptis praevis ab editoribus expetendam et obtinendam, omnino debere integre et fideliter in principio vel in fine Proprii vel Officii novi aut Missae publicari.

Atque ita rescripsit, die 24 Februarii 1911.

Fr. S. Card MARTINELLI, *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

Super Missa Seu Collecta in Anniversario Electionis Seu Promotionis Episcopi in Dioecesi ad Archiepiscopatum Evecta.

Revmus. Dominus Adamus Brioschi, hodiernus Archiepiscopus Novae Carthaginis in America Meridionali, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Sacra Rituum Congregatio per decretum *Urbis et Orbis*, diei 8 Iunii huius anni 1910 statuit et declaravit diem anniversarium electionis seu translationis, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis, quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enuntiationis in Consis-

torio, sed a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium.

Orator autem electus Episcopus Novae Carthaginis, per Breve diei 15 Februarii anni 1898, et publicatus in Consistorio die 24 Martii eiusdem anni, postea, Dioecesi Carthaginiensi ad dignitatem archiepiscopalem evecta, primus illius Archiepiscopus per Breve diei 17 Iulii 1901 renuntiatus est, nulla posteriori publicatione in Consistorio facta.

Ob auctam Dioecesis atque Oratoris dignitatem quum nulla translatio proprie dicta facta fuerit, sed tantum promotio, Missa electionis hucusque in Dioecesi die 24 Martii celebrata fuit, scilicet, die anniversaria qua in Consistorio idem Orator tamquam Episcopus publicatus est.

Nunc quaeritur: Continuarine debet celebratio anniversarii electionis, die 24 Martii, qua Orator publicatus fuit Episcopus in Consistorio, vel potius facienda, die 17 Iulii, qua per Breve Archiepiscopus renuntiatus est?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio atque audita etiam Sacrae Congregationis Consistorialis sententia, ita proposito dubio respondendum censuit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam; nempe celebrandum esse anniversarium evectionis ad Archiepiscopatum.

Atque ita rescripsit, die 2 Decembris 1910.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

SECRETARIATE OF STATE.

Ad R. P. D. Franciscum Bourne, Westmonasteriensium Archiepiscopum, ob Litteras Per Eundem Sanctitati Suae exhibitas a Societate quae Anglice "The Catholic Missionary Society" nuncupatur.

Illme. ac Revme. Domine,

Litterae, eiusdem Amplitudinis Tuae commendatione praeditae, quas per te Beatissimo Patri Sacerdotes Associationi "The Catholic Missionary Society" adscripti exhibuerunt, quaeque declarant eosdem Presbyteros hunc in finem intendere, ut pro viribus ad demulcendos illustrandosque animos a fide catholica alienos vel errorum caecitate obrutos, eosque in sinum Sanctae Matris Ecclesiae adducendos operam navare non

desinent Augusti Pontificis cordi, tot tantisque doloribus adfecto, magnum ille quidem sollatium attulerunt.

Quid enim dulcius, quid iucundius Summo Pastori esse potest, quam ut dispersae errantesque oves colligantur, ac unum fiat ovile et unus Pastor?

Praefatis igitur litteris vehementer gavisus, Beatissimus Pater, dum vota promit ut supradicta Sacerdotum Associatio multos bonosque fructus adferre possit, omnibus et singulis eiusdem societatis Presbyteris imploratam Apostolicam Benedictionem, supernorum auxiliorum auspicem, effuso animo impertitur.

Sensus interim maximae existimationis in te meae confirmans sum et permanere gaudeo.

Amplitudinis Tuae

Romae, die XVIII Ianuarii MCMXI.

Addictissimus

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

THE HOLY ROTA.

Nullitatis Matrimonii (Lapira-Darmanin.)

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno octavo. Die 23 Decembris 1910. RR. PP. DD. Michael Lega, Decanus, Gustavus Persiani, Ponens, Gulielmus Sebastianelli, Auditores de turno, in causa Melevitana—Nullitatis Matrimonii—inter Rogerium Lapira repraesentatum per legitimum procuratorem Vincentium Sacconi Advocatum, et Mariam Carmelam Darmanin, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.

Anno 1893 et die 16 Maii Rogerius Lapira et Maria Carmela Darmanin Melevitanae Dioeceseos, coram Rev. P. Calcedonio Buceja S. I., Sacerdote a Parocho legitime deputato, matrimonium contraxerunt. Verum, tertio forsan ab initis nuptiis anno vix elapso, publici Notarii ministerio, separationis instrumentum stipulati sunt, et sibi invicem valedixerunt ad individuum vitae consuetudinem nunquam redituri.

Quamvis undecim vel duodecim fere per annos separati, vixerint, neuter tamen de matrimonii, ut supra contracti, validitate unquam dubitavit: sed tandem vir in iure canonico peritus Rogerio persuasit, matrimonium illud non fuisse validum, attento publicae honestatis impedimento orto ex sponsalibus initis

ab ipso Rogerio cum Lucia Darmanin, sorore germana Mariae Carmelae.

Quare coram Melevitana Curia iudicio instituto, die 27 Iulii 1907 causa definita fuit, mediante sententia diei 9 Septembris 1908, quae revera matrimonii nullitatem decrevit propter dictum publicae honestatis impedimentum. Ab hac sententia, ut par erat, Melevitanus Vinculi Defensor appellavit ad H. S. O. cui hodie quaestio solvenda proponitur: *An constet de matrimonii nullitate in casu?*

Ad factum quod spectat.—Rogerius Lapira antequam duceret uxorem Mariam Carmelam, cum Lucia, eius sorore germana, iam egerat de matrimonio contrahendo cum ipsa; idque plusquam oporteat constat ex actis. Etenim sponsalia Rogerium inter et Luciam inita fuisse nedum uterque sub iuramenti fide referunt, sed testes etiam omni exceptione maiores ab ipsis inducti, et excussi quoque ex officio, hoc idem confirmant. Rogerius sane ait: “Contrassi gli sponsali con la sorella (Lucia) di mia moglie nel 1896 ad Hamrum in casa della sposa”: et Maria Carmela dixit: “Mio marito prima era sposo con mia sorella Lucia, oggi morta. Questi sponsali cioè di mio marito con mia sorella, vennero contratti liberamente da ambe le parti.” Ita Francisca Darmanin, Vidua Consiglio, Luciae soror, deponit: “La confessione da loro fatta relativamente agli sponsali... precedentemente al matrimonio... è un fatto di cui mi consta la verità.” Et Francisca Xaveria Darmanin, Vidua Diacono, dixit: “Io stessa non solo sapeva dei loro sponsali, ma li ho ammessi in casa mia come tali. Sono più che certa, che gli sponsali vi erano.” Ioseph Galea refert: “Intorno agli sponsali tra Ruggero Lapira e Lucia Darmanin posso dire che furono certissimi.” Amalia Cachia affirmat: “Ci congratulammo con loro dei conchiusi sponsali, ed essi l'accettarono graziosamente.” Hoc idem assertionem unanimi affirmant testes caeteri. Immo si Rogerius matrimonium cum Maria Carmela contraxit, ideo hoc accidit quia Lucia morte praeventa illi, sicut statuerat, nubere non potuit; ita ut sponsalia inita inter Rogerium et Luciam matrimonio, de quo agitur, praebuerint occasionem; Lucia enim morti proxima sororem suam Mariam Carmelam hunc in finem Rogerio commendavit: “Se volete, che io muoia contenta, prendete in sposa mia sorella... venendo questa (Lucia) a morire, essa stessa gli dichiarò il suo desiderio, che prendesse in sua vece per moglie la sorella Maria.

Parentes quoque utriusque partis sponsalia haec constat non latuisse. Carolus enim Darmanin, Luciae pater, cognita Rogerii intentione sibi filiam desponsandi, ait: “Io era contentissimo di lui... ho consultato la madre per averne il parere... Le

parole, con cui gli sponsali furono conchiusi, furono la risposta verbale data da me dietro aver sentito mia figliuola"; et vicissim Rogerii parentes, qui "sulle prime avevano trovato qualche difficoltà, poi consentirono." Et revera Iosepho Galea, qui Rogerii sponsalia cum Lucia Carolo nuntiaverat consensum eius requirens, responsum fuit ab eo: "io lo benedico, e benedico quello che ha fatto."

Iamvero cum facta probentur per testes, et hi omnes consensu unanimi deponant, Rogerium Lapira cum Lucia Darmanin sponsalia contraxisse, de eorumdem existentia nullimode potest dubitari. Hoc unum nihilominus videri debet, quid sponsalium nomine testes omnes intellexerint, an scilicet quandam partium familiaritatem cum matrimonii proposito designaverint, vel potius contractum vere sponsalium, cum utrumque eiusdem non sit naturae, neque eosdem pariat effectus. Et, omnibus perpensis, RR. PP. Auditores retinuerunt, contractum vere sponsalium in casu testes intellexisse.

Ad ius quod attinet. Sponsalia enimvero contracta partes et testes omnes assertionem unanimi admittunt. Sed verba ea significatione sunt accipienda, quae propria et usu recepta communiter est (*Ex Leg. 7 ff. de Suppellectili legata; Cap. 7, de Spons.*), a qua recedi non oportet, nisi cum manifestum est, aliter sensiisse loquentem (*L. 67, pr. de Leg. 3.*); non enim intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire (*Cap. 5, de Verb. Signif.*). Cum igitur testes omnes ex propria scientia deponentes, et etiam praediti probitate, de sponsalibus in themate contractis loquuti fuerint, nec constet aliunde, eos aliud, ac verba sonant communi usu recepta, designasse, de vero sponsalio contractu loquuti retinendi sunt, quem verbum *sponsalia* exprimit. Iamvero si duo testes, etiamsi ambo foeminae sint, ad probationem sponsalium sufficiunt (*Rota, Decis. 772, n. 2, p. II, Recent.*), cum in casu numero plures habeantur testes, qui de earum existentia deposuerunt, iure meritoque RR. DD. retinuerunt, sponsalia vera retinenda esse iuridice probata.

Equidem cum simplici nuptiarum desiderio, vel etiam promissione, confundi non debent sponsalia, quae sic dicta a spondendo, seu sponte promittendo (*L. 2, ff. de Sponsal.*), stricto sensu sumpta contractum significant de ipso matrimonio postea ineundo; quaeque proinde sunt "*mutua futuri matrimonii promissio*"; et promissio requiritur intuitu repromissionis, et repromissio ratione promissionis, quibus non subsistentibus *simul*, nec sponsalia concipiuntur, nec publicae honestatis oritur impedimentum. Verum, praeter partes, testes omnes non de simplici tractatu nuptiarum, vel promissione, sed de sponsalio contractu, seu de veris sponsalibus loquutos fuisse mos constans suadet, qui

apud nos, et in insulis Italiae adiacentibus viget, praemittendi sponsalia matrimonio, quo tractatus necessarii, matrimonium praecedentes legitime et debita cum honestate inter sponsores fiant. Nam cum in catholicis familiis contractus sponsalitus praemitti soleat matrimoniali contractui, et insciis, nedum invitis parentibus, iuvenes honesti et morigerati non soleant se contractu sponsalicio ligare, sequitur, populum fidelem apprime distinguere *legitimam conversationem* inter sponsores, seu sponsalibus ligatos, quam laudat et honore prosequitur, *ab ea familiaritate*, quae inter solutos habetur, et quam, uti parum honestam, immo maxime periculosam exprobrat atque detestatur. Et de hoc sensu practico, etiam Melevitana in Dioecesi vigente, clara non desunt documenta ex actis deprompta. Etenim Amalia Cachia dixit: "Io fin da piccina faceva all'amore con Ruggero Lapira, che mi voleva molto bene; a cui però non ho mai dato parola o promessa alcuna di matrimonio." Maria Grugno dixit: "Guardava (Lucia) e faceva all'amore con un certo Ciantar . . ." "nelle lettere non diede mai a lui il nome di sposo, nè, per quanto ricordo, ci furono promesse di matrimonio. Per quanto mi ricordo io soleva per lei firmare—la tua affezionata Lucia Darmanin—; ma non mi ricordo di aver usato mai la parola sposa, od altro che equivalga." Aemilia Grugno etiam testatur: "Lucia guardava ad un certo Eduardo Ciantar; si scambiavano delle lettere fra di loro . . . posso però assicurare, attesa la mia intima amicizia con Lucia, che sponsali veri non ci furono tra di loro."

Attento igitur more Melevitana in Dioecesi vigente sponsalia matrimonii celebrationi praemittendi, quae sit sponsalium natura, quique sint naturales eorumdem effectus omnibus est practice notum; et ideo cum partes et testes sponsalia contracta fuisse in casu testentur, sponsalia vera in sensu iuris intelligunt.

Non solum ex depositionibus partium et testium, sed alio etiam ex capite sponsalia in themate probata resultant. Ad sponsalium essentiam promissio et repromissio matrimonii, tamquam conditio sine qua non, requiruntur; sed uno vel alio exprimerentur modo, antequam Decretum *Ne temere* diei 2 Augusti 1907 publicaretur, nihil intererat omnino (*Gasparri, Vol. I, n. 75-79, L. ff. De Spons.*). Quare in foro externo, generatim loquendo, contracta praesumuntur sponsalia, ante praefatum Decretum, non solum *per verba*, sed etiam *per signa, per facta, et per silentium* (*arg. Cap. Ex literis 6 de Spons. l. Labeo 7 ff. de Supplect. leg. et l. semper in stipulationibus 34 de Regul. Iur.*). Quibus concinit Rota "sponsalia tacite vel expresse contrahuntur" (*Romana-Matrimonii-corum Orano, diei 15 Febr. 1588*), "In sponsalibus sufficit tacita repromissio per signa" (*In Tullensi-Matrimonii-corum Cavalerio, diei 15 Aprilis 1617, Dec. 451, p. IV, t. 1, n. 1 Recent.*). In materia

sponsalium attendenda est *consuetudo civitatis*, uti monet *Dec. 667 n. 6, p. 18, t. L.* cuius vi familiaritas maxima sponсорum inter se in familiis honestis vehementem continet praesumptionem de sponsalibus initis, uti arguit *Dec. 621, p. 18, t. II*, quae istorum existentiam deducit *ex incensu sponsae per civitatem, et saepius publice innixae brachio sponsi*. Unde si tractatus matrimonii praecesserint, contracta praesumuntur sponsalia per annuli immissionem (*arg. can. Si quis, 15 caus. 27, qu. 2; Cap. fin. de Desp. imp.*); tunc enim puella, quae annulum recipit, ipso facto censetur ad futurum matrimonium consentire, quamvis nihil dicat; idque deducitur etiam ex *Reatina, Sponsalium, 28 Februarii 1885*. Eademque ratione praesumuntur contracta sponsalia per arrharum et donorum dationem et acceptionem. *Dec. 267, n. 12, p. 18, t. I*; et concinit *Dec. 772, n. 13, p. II*; et *Dec. 621, p. 18, t. II*. Recent. in qua sponsalia vere probantur *ex reciproca transmissione munerum et quidem pretiosorum: tametsi munuscula sufficerent, cum in hoc non qualitas munerum, sed rei substantia veniat attendenda*: siquidem haec munera, vel munuscula, veniunt sub nomine arrharum, et naturam induunt quasi *pignoris* in securitatem et confirmationem factae promissionis. Immo sponsalia contracta praesumuntur etiam per manus porrectionem ab uno factam et ab altero acceptatam sine renitentia (Ferraris, *Bibliot. Cath. Iur. Sponsalia, n. 35-40 seq. Gasparri, vol. I, n. 81*).

Iamvero haec omnia, quae sponsalia contracta praesumunt, in themate fuisse verificata testantur acta. Extat enim epistola, qua Rogerius sibi Luciam desponsari ab eius patre postulavit, de cuius veritate dubitare non licet cum Caroli Darmanin assertionem: "Mi aveva per lettera domandato la mano della sorella dell'attuale sua coniuge, Lucia di nome" confirmaverint duo iurati testes, Ioseph Galea: "Dal signor Carlo Darmanin conobbi, che aveva esso ricevuto una lettera da Ruggero Lapira, con la quale gli domandava che gli desse in isposa Lucia," et Ioseph Cilia: "Il signor Carlo stracciò dinanzi a me una lettera, la quale, a quanto mi disse allora il Darmanin, conteneva la domanda, che il signor Lapira faceva della mano di Lucia sua figlia." Rogerius insuper Luciae domum assidue frequentabat; ita ut alter de familia Darmanin videretur: "lo ammisì a casa" ait Carolus, et hoc alii testes confirmant; "fu ammesso in casa nostra come sposo di Lucia," ait Francisca vidua Consiglio: "Lapira dopo aver accompagnato la salma di Lucia, le disse (eius matri): ora che sono entrato in questa famiglia a lei voglio rimanere congiunto" dixit Francisca Xaveria vidua Diacono: quibus concinunt passim plures alii testes. Uterque autem sponsalitus more conversati dicuntur. "Quando fu introdotto in casa (Ruggero) so che uscivano a passeggio insieme: il Lapira

aveva proibito alla sposa di uscire sola" refert Aemilia Grugno; et ab omnibus velut sponsi publice retinebantur, sicut testes omnes communi sententia deponunt. Inde ortae gratulationes parentum et amicorum, quas uterque libenter acceptarunt: "ci congratulammo con loro dei conchiusi sponsali, ed essi l'accettarono graziosamente" testatur Aemilia Cachia. Inde etiam paraphernalia parata ad nuptias necessaria: "avevamo già preparato il corredo alla sposa in aspettazione del matrimonio" refert Francisca vidua Consiglio: quae nuptiae hac unice de causa non fuerunt contractae quia Lucia fuit morte praerepta. Dona etiam data et acceptata, seu arrhas, constat non defuisse. "Lo sposo fece diversi doni alla sposa;" haec eadem testis affirmat; et Helena Calleja deponit: "essa Lucia aveva lasciato detto ai suoi di ritornare, se esso lo domandava, i regali che a Lei aveva fatto." Immo nec desunt qui ex una parte matrimonii promissionem admittunt, et repromissionem ex altero: "So, che Lucia aveva dato la parola sua al Lapira per il futuro matrimonio, da lei medesima; e che il Lapira avesse dato la sua a Lucia, lo conosco dalla famiglia di lui, ed anche dalla sorella mia, che è con loro congiunta," sicut testatur Aemilia Grugno; idque confirmat Luciae pater, qui filiae suae nomine et consensu Rogerio matrimonium offerenti per epistolam viva voce repromisit: "Ho parlato espressamente a detta figlia, la quale mi mostrò e mi disse espressamente che la voleva. Le parole, con cui gli sponsali furono conchiusi, furono la risposta verbale data da me dietro aver sentito mia figliuola ed a suo nome alla lettera di cui ho parlato sopra." Haec igitur omnia, praesertim si simul iuncta sumantur, vera sponsalia probant in casu extitisse; quae per plures testes etiam iuridice probata quamlibet excludunt suspicionem collusionis, de qua sermo est in *Cap. Super eo, 5, de testibus*, et quam cavendam monet Vinculi Defensor.

Nec obstat diversus, qui in testium depositionibus legitur, modus exponendi haec sponsalia. Si quae enim in actis habentur, quae secum pugnare videntur, vel optime inter se conciliantur, vel absque detrimento sponsalium explicantur. Rogerius non contradicit Carolo; uterque enim de sponsalibus loquuti unum idemque affirmant, scilicet *sponsalia fuisse contracta*: si ille sponsalium celebrationis tempus assignat *dopo la domanda*, hic autem *post acceptam epistolam* illius, utrumque esse verumprehenditur: petitio enim a Carolo facta occasionalem causam habuit ab epistola Rogerii, et ideo sponsalium celebratio subsequuta fuit utrumque. Rogerius in domo Darmanin dicitur admissus, *sponsalibus initis*, cum Victoria Darmanin hoc contigisse affirmet *post consensum obtentum a parentibus illius*. At Rogerius admissionem suam in domo Caroli Darmanin statuens eam non

dixit *immediatam* fuisse *post inita sponsalia*: et ideo nihil impedit quominus ea evenisse dicatur *post consensum obtentum* e parentibus Rogerii; ita ut utrumque sponsalia praecesserint. Caeterum cum discrepantia testium substantiam, seu contractum sponsalium non afficiat, in ea enim conveniunt omnes, sed circumstantias mere accidentales respiciat, nihil inde deducitur contra sponsalium existentiam iuridice probatam. Etenim cum agatur in casu de sponsalibus quinque supra viginti abhinc annis initis, memoria testium non est adeo celebranda, ut nihil de minimis ab ea excidere potuerit; et ideo nil mirum si quoad circumstantias accidentales aliqua inter testes discrepantia videatur. Hac ratione explicatur etiam discrepantia circa tempus durationis sponsalium, quod diversimode statuitur a Rogerio et a Carolo. Hic enim, cum sit senio confectus in octuagesimo aetatis anno constitutus, adeo felici memoria praesumendus non est pollere, ut viginti quinque post annos circumstantiam temporis quo sponsalia perdurarant *certo* statuere potuerit, et in hoc cum Rogerio ad unguem concordare. Si quae igitur discrepantia in depositionibus extat culpa verti non debet, sed memoriae defectui post tantum temporis lapsum, quin ideo sponsalium substantia presumdetur.

Alia non est praetereunda difficultas, quae exurgit ex notorietate sponsalium Rogerii cum Lucia, et ex denunciationibus, seu bannis, praemissis matrimonio illius cum Maria Carmela; etenim, illa posita notorietate, Parochus, quem sponsalia non debuissent latere, dispensationem impedimenti petiisset et obtinisset, quam nec petiit, nec obtinuit; praemissis bannis, fideles impedimentum revelassent, quod non revelarunt: quae duo sponsalium existentiam viderentur excludere. Verum RR. PP. observarunt, probationi directae ex depositionibus testium omni exceptione maiorum derivatae circa sponsalium existentiam, quae positiva est, non officere Parochi et aliorum non actionem, quae negativa est, quaeque ex rationibus satis probabilibus aliunde potest explicari et explicatur. Parochus enim quis fuerit, quibus dotibus moralibus et intellectualibus praeditus, et quibus in circumstantiis positus, nullimode apparet ex actis; ita ut omissa dispensatio, etiam sine Parochi culpa, ignotae causae tribui debeat. Sacerdos vero Buceja sponsalia noscens nuptias benedixit de impedimenti dispensatione ne ipse quidem sollicitus; sed delegatus a Parocho ad simplicem adstantiam matrimonio, ei inquirendum nihil erat circa formalitates a iure praescriptas, quas omnes rite praemissas, ut fieri solet, supponere potuit. Si fideles quamvis sponsalia notoria noscerent, bannis publicatis, impedimentum non revelarunt, id eorum ignorantiae est tribuendum, non enim omnes ita praesumuntur instructi, ut publicae

honestatis impedimentum agnoscerent et eius iuridicam naturam, et obligationem illud denuntiandi.

Ita statuta sponsalium existentia, perperam eorumdem impugnatur validitas ob conditionem appositam et non impletam. Etenim conditio, si quae fuit apposita, cum a contrahentibus apposita non fuerit, eorum consensum non suspendit, qui purus et simplex fuit, ut testes omnes affirmant, suamque illico habuit efficaciam. Neque valet opponere, consensum parentum saltem exigi a iure pro validitate sponsalium. Quamvis enim hoc verum fuerit civili romanorum iure, recentioribus tamen temporibus receptum fuit, ut filiorum solum ac filiarum consensus sufficeret in sponsalibus contrahendis; et hoc viget in legislatione canonica et passim a Doctoribus traditur. Sed deinde de vera conditione a Carolo apposita non satis constat; eius enim verba: "Io era contentissimo a condizione che i genitori di lui fossero contenti" significant *satisfactionem* seu *beneplacitum*—io era contentissimo, si consensus quoque Rogerii parentum accederet. Quod clarius expressit idem Carolus dicens: "Io aveva piacere, se concorrevano i suoi genitori a dargli la mano di Lucia." Porro sponsalia certa non possunt infirmari conditione, per se incerta. Denique, admissa etiam conditione, eaque a sponsis acceptata, eam quoque impletam acta demonstrant. Sensus enim conditionis *si parentes consenserint*, praesumitur et esse solet negativus: *Nisi parentes dissenserint* (Gasparri, II, n. 996; Sanchez, T. V, disp. VII, n. 11; Schmalz., lib. IV, tit. V, n. 50; D'Annibale, P. III, § 508. not. 32). Nullum autem extat in actis dissensus huius iudicium: quod etiam ipsa Rogerii mater confirmat: "La ragione per cui non mi era recata prima nella casa Darmanin si è, che noi eravamo alquanto opposti a questo matrimonio, tenendoci sempre a quello, che faceva nostro figlio, negativamente senza mai dare espressamente e pienamente il nostro consenso non avendolo egli mai richiesto;" haec verba innuunt, Rogerii parentes, quamvis positive non consenserint, tamen non dissensisse quominus filius sponsalia cum Lucia contraheret. Coeternum Rogerii parentes, qui in principio visi sunt sponsalia filii non approbasse, ea postea, re melius perpensa, rata habuerunt, ut testes deponunt. "I genitori di ambe le parti erano contenti di questo matrimonio" dixit Francisca vidua Consiglio; et Francisca Xaveria vidua Diacono deposuit: "Da parte dei genitori non vi fu opposizione. . . . I genitori di "Lucia erano contentissimi: quelli di Lapira sulle prime avevano trovato qualche difficoltà, ma poi consentirono. . . ." Ita Ioseph Galea testatur: "A nome di Ruggero e nell'interesse dei Darmanin, mi recai dal padre di Lapira a manifestargli che si erano conchiusi tra Ruggero suo figliuolo e Lucia Darmanin,

sponsali di futuro matrimonio : con questo però che i genitori di lei volevano prima avere il consenso dei genitori dell'altra parte, e che perciò io mi presentava a nome loro, anche di Ruggero, a dimandare se egli avesse opposizione da fare, siccome tutto si voleva essere fatto col consenso di tutti. E il padre rispose : ' Io lo benedico e benedico quello che ha fatto.' ”

Unde conditio, si quae revera apposita fuerit, dicenda est impleta ; et consensus, in hypothesis conditionatus, evasit absolutus et sponsalia firmavit, ex quibus ortum est publicae honestatis impedimentum (L. 12, *de Rit. Nupt.*, C. 1 ; *de Sponsal.*, in 6 ; Conc. Trid., XXIV., c. 3 *de Refor. matr.*), quo obstante, matrimonium Rogerium inter et Mariam Carmelam, in primo gradu lineae collateralis Luciae coniunctam, contrahi non potuit. Et cum nulla hoc super impedimento fuerit obtenta dispensatio, sicut acta testantur, sequitur, matrimonium illud de facto contractum, nullitate laborare.

His omnibus perpensis, Christi nomine invocato, Nos infra-scripti Auditores pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus, matrimonium inter Rogerium Lapira et Mariam Carmelam Darmanin nullum extitisse et extare ; seu proposito dubio respondemus *Affirmative* ; exinde sententiam appellatam confirmamus, et pro confirmata haberi decernimus et declaramus.

Ita pronunciamus mandantes Ordinariis locorum et Ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut exequutioni mandent hanc nostram sententiam, et adversus reluctantes ad normam sacrorum Canonum, et praesertim C. 3, *Sess. XXV, de Reform.* Conc. Trid., iis adhibitis executivis et coercitivis mediis quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis, S. R. Rotae, die 23 Decembris 1910.

L. ✠ S.

MICHAEL LEGA, *Decanus.*

GUSTAVUS PERSIANI, *Ponens.*

GULIELMUS SEBASTIANELLI.

Sac. TANCREDUS TANI, *Notarius.*

ENCYCLICAL.

**Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus Archiepiscopis
Episcopis Aliisque Locorum Ordinariis Pacem et Commu-
nionem cum Apostolica Sede Habentibus.**

PIUS PP. X.

**VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM
BENEDICTIONEM.**

Iamdudum in Lusitania incredibilem quemdam cursum fieri per omnem immanitatem facinorum ad Ecclesiam opprimendam, vobis quidem omnibus, Venerabiles Fratres, satis cognitum arbitramur. Nam, ubi status eius civitatis in formam conversus est reipublicae, continuo coepisse, aliud ex alio, sanciri talia quae inexprabile religionis catholicae spirent odium, quis ignorat? Violenter pelli de medio vidimus familias religiosorum, atque hos, maximam partem, dure inhumaniterque e Lusitanis exterminari finibus. Vidimus, ob studium pertinax omnem disciplinam civilem profanandi nullumque religiosae rei vestigium in actione vitae communis relinquendi, expungi de numero festorum festos Ecclesiae dies; iuri iurando insitam religionis notam detrahi; festinanter legem de divortiis condi; praeceptionem doctrinae christianae a scholis publicis excludi. Denique, ut alia omittamus quae persequi longum est, vehementius ab his Antistites sacrorum peti, duosque e spectatissimis Episcopis, Portugalliensem et Beiensem, viros cum integritate vitae tum magnis in patriam Ecclesiamque promeritis illustres, de sedibus honoris sui deturbari.—Quum autem novi gubernatores Lusitaniae tot tantaque ederent imperiosae libidinis exempla, scitis quam patienter quam moderate sese adversus eos Apostolica haec Sedes gesserit. Equidem summa diligentia duximus cavendum, ne quidquam ageremus, quod posset contra Rempublicam hostiliter actum videri. Nonnulla enim spe tenebamur fore, ut ii aliquando saniora inirent consilia, ac de iniuriis illatis aliquo tandem pacto Ecclesiae satisfacerent. Verum tota re Nos fefellit animus: ecce nefario operi tamquam fastigium imponunt pessimae ac perniciosissimae promulgatione legis de Civitatis ab Ecclesiae rationibus separandis. Iamvero vulnus tam grave iuri et dignitati inustum religionis catholicae

toleranter ferre ac praeterire silentio haudquaquam apostolici religio officii Nos patitur. Quapropter his vos litteris appellamus, Venerabiles Fratres, universoque nomini christiano omnem huius facti indignitatem denuntiamus.

Principio legem de qua loquimur, absurdum quiddam esse et monstruosum apparet ex eo, quod rempublicam divini cultus esse expertem statuit, quasi vero non ab Ipso, qui conditor et conservator est rerum omnium, cum homines singuli tum consociatio quaevis hominum et communitas pendeat: item, quod catholicae religionis observantiâ solvit Lusitaniam; eius iniquus religionis, quae huic genti maximo semper praesidio et ornamento fuit, quamque universitas fere civium proficitur. Sed tamen, esto: placuit tantam civitatis Ecclesiaeque coniunctionem, eamque sollemni pactorum fide confirmatam, discindi. Hoc posito discidio, consentaneum profecto erat omittere Ecclesiam et sinere ut communi libertate ac iure uteretur, quo quisque civis et honesta quaeque civium societas utitur. Quod totum contra est. Nam a separatione quidem haec lex nomen habet, re tamen ipsa eam habet vim, ut Ecclesia in externis bonis ad extremum inopiae spoliando redigat, in iis autem quae sunt sacrae potestatis ac spiritus, in servitutem reipublicae opprimendo tradat.

Et primum, quod attinet ad res externas, ita se Lusitana Respublica ab Ecclesia segregat, ut nihil omnino ei relinquat unde tueri decus Domus Dei, sacricolas alere, multiplicia caritatis pietatisque exercere munia possit. Etenim, huius praescriptio legis, non solum quascumque res Ecclesia mobiles immobiles obtinet, ex earum possessione, quamvis optimo iure parta, detruditur; verum etiam quaevis ei potestas adimitur quidquam sibi in posterum acquirendi. Statuitur quidem, ut certa civium corpora divino cultui exercendo praesideant; verum quae his datur facultas ad accipiendum quidquid in eam causam oblatum sit, mirum quam angustis terminis circumscribitur. Praeterea quibus obligationibus obstricti, cives catholici aliquid vel subsidii vel stipendii suo quisque curioni praestare consueverunt, eas extinguit lex ac perimit, prohibens, ne quid iam eo nomine exigatur. Utique sinit, ut ipsi sumptibus in divinum cultum faciendis catholici homines voluntaria stipis collatione provideant; sed tamen iubet de summa ob eam rem conflata detrahi tertiam partem et in officia beneficentiae civilis insumi. Atque ad haec omnia illud velut cumulus accedit, quod ex hac lege aedificia quae deinceps comparari aut exstrui contingat in usum sacrorum, ea, cum definitus annorum numerus effluxerit, submotis possessoribus legitimis nec iis factis indemnibus, in publicum referentur.

De rebus vero, in quibus sacra Ecclesiae potestas proprie versatur, multo est gravius multoque perniciosius ludibrium *Separationis* huius, quae, uti diximus, ad indignam ipsius Ecclesiae recidit servitutem.—Primum omnium, Hierarchia prorsus, tamquam ignorata, negligitur. Si qua de hominibus sacri ordinis mentio fit, ideo fit, ut interdicatur eis, ne ullo se modo ordinationi religiosi cultus immisceant. Omnis ea cura demandata est consociationibus *laicorum*, quae institutae iam sint, aut futurae sint, beneficentiae causâ, et quidem institutae ad normam disciplinae civilis, ex auctoritate Reipublicae, nulla ut ratione ab Ecclesiae potestate pendeant. Quod si de consociatione, cui sit hoc muneris deferendum, clerici cum laicis dissenserint, aut inter laicos ipsos non convenerit, diiudicanda res relinquitur non Ecclesiae sed arbitrio Reipublicae, quae sola in hisce institutis dominatur. Atque in constituendo divino cultu usque adeo rectores rei Lusitanae non patiuntur locum esse Clero, ut aperte praescriptum et statutum sit, non posse, qui religionis ministeriis sint addicti, aut in decurias parochiarum cooptari aut in partem vocari administrationis vel regiminis consociationum, quas memoravimus : qua quidem praescriptione nihil iniquius aut intolerabilius cogitari potest, cum clericorum ordinem in ea ipsa re, qua praestat, inferiorem, quam ceteros cives, conditione faciat.

Quibus autem vinculis Lusitana lex constringat et implicet Ecclesiae libertatem, vix credibile est : adeo cum institutis horum temporum atque etiam cum publicis libertatum omnium praeconiis pugnat res : adeo est humano quovis civilique populo indigna. Igitur sancitum est gravibus poenis, ne qua sacrorum antistitum acta mandari typis, ullove pacto, ne intra parietes quidem templorum, proponi populo liceat, nisi concessu Reipublicae. Praeterea interdictum, extra sacrarum aedium limina, ne, inconsulta Republica, caerimoniarum quid celebretur, ne qua pompa circumducatur, ne quis ornamenta sacra neve ipsam vestem talarem gerat. Item vetitum, non modo ad monumenta publica, sed etiam ad aedes privatorum quidquam apponi quod catholicam religionem sapiat ; at minime vetitum, quod catholicos offendant. Item societatem coire religionis pietatisque colendae gratiâ, non licet : cuius quidem generis societates eodem plane habentur loco atque illae nefariae, quae scelerum causa conflentur. Ad haec, cum concessum sit omnibus civibus ad suum arbitrium uti posse rebus suis, catholicis tamen, contra ius fasque importune coangustatur potestas huiusmodi, si quid de suo attributum velint solandis piorum manibus aut sumptibus divini cultus suppeditandis : et quae id genus pie statuta iam sunt, impie deformata convertuntur in alios usus, violatis testa-

mentis et voluntatibus auctorum. Denique Respublica—id quod maxime est acerbum et grave—non dubitat regnum invadere auctoritatis Ecclesiae, ac plura de ea re praescribere, qua cum ad ipsam sacri ordinis constitutionem spectet, praecipuas curas Ecclesiae sibi vindicat: de disciplina dicimus et institutione sacrae iuventutis. Neque enim solum cogit alumnos Cleri, ut doctrinae et litterarum studiis, quae theologiam antecedunt, in lyceis publicis dent operam, ubi ipsorum integritas fidei, ob alienum a Deo Ecclesiaeque institutionis genus, praesentissimis sane periculis est obiecta; verum in domesticam etiam Seminariorum vitam temperationemque sese infert Respublica, sibi ius arrogat designandi doctores, probandi libros, sacra Clericorum studia moderandi. Ita vetera in usum revocantur scita *Regalistarum*: quae quidem molestissimam arrogantiam habuerunt, dum Civitatis Ecclesiaeque concordia stetit, nunc vero, quum Civitas sibi cum Ecclesia nihil iam vult esse, nonne pugnantia et plena insaniae videantur?—Quid, quod etiam ad Cleri depravandos mores atque ad incitandam defectionem a praepositis suis hanc apprime factam legem dixeris? Nam et certas pensiones ex aerario assignat iis, qui sint, antistitum auctoritate, a sacris abstinere iussi, et singularibus beneficiis sacerdotes ornat, qui, suorum officiorum misere immemores, ausi fuerint attentare nuptias, et, quod referre piget, eadem beneficia ad participem fructusque, si qui fuerint superstites, sacrilegae coniunctionis extendit.

Postremo parum est quod Ecclesiae Lusitanae, suis despoliatae bonis, servile prope iugum imponit Respublica, nisi etiam nitatur, quantum potest, hinc ipsam e gremio catholicae unitatis deque complexu Ecclesiae Romanae divellere, illinc impedire, quominus religiosis Lusitaniae rebus Apostolica Sedes auctoritatem providentiamque suam adhibeat. Itaque ex hac lege, ne Romani quidem Pontificis iussa pervulgari, nisi concessum sit publice, licet. Pariter sacerdoti, qui apud aliquod athenaeum, Pontificia auctoritate constitutum, academicos in sacris disciplinis gradus consecutus sit, etiam si theologiae spatium domi confecerit, sacris fungi muneribus non licet. In quo planum est, quid velit Respublica: nempe efficere, ut adolescentes clerici, qui perfici sese et perpoliri in studiis optimis cupiunt, ne ob eam causam conveniant in hanc urbem, principem catholici nominis; ubi certe proclivius, quam usquam alibi, factu est, ut et mentes incorrupta christianae doctrinae veritate, et animi sincera in Apostolicam Sedem pietate ac fide conformentur. Haec, praetermissis aliis, quae quidem non minus iniquitatis habent, haec igitur praecipua sunt improbae huius legis capita.

Itaque, admonente Nos Apostolici conscientia officii ut, in tanta importunitate et audacia inimicorum Dei, dignitatem et decus Religionis vigilantissime tueamur, ac sacrosancta Ecclesiae catholicae iura conservemus, Nos legem de Lusitana Republica Ecclesiae separandis, quae Deum contemnit, professionemque catholicam repudiat; quae pacta solemniter conventa inter Lusitaniam et Apostolicam Sedem, ius naturae ac gentium violando, rescindit; quae Ecclesiam de iustissima rerum suarum possessione deturbat; quae ipsam Ecclesiae libertatem opprimit divinamque constitutionem pervertit; quae denique maiestatem Pontificatus Romani, Episcoporum ordinem, Clerum populumque Lusitaniae atque adeo catholicos homines, quotquot sunt orbis terrae, iniuria contumeliaque afficit, pro apostolica auctoritate Nostra improbamus, damnamus, reicimus. Quum autem vehementer conquerimur huiusmodi latam, sanctam, propositam in publicum esse legem, sollemnemque cum omnibus, quicumque rei auctores ac participes fuerunt, expostulationem facimus, tum vero quidquid ibi contra inviolata Ecclesiae iura statutum est, nullum atque inane et esse et habendum esse edicimus ac denuntiamus.

Profecto haec difficillima tempora, quibus Lusitania, post indictum publice Religionis bellum, conflictatur, magnam Nobis sollicitudinem tristitiamque efficiunt. Dolemus nimirum tot malorum spectaculo, quae gentem, Nobis penitus dilectam, premunt; angimur exspectatione acerbiorum rerum, quae certe eidem impendent, nisi qui praesunt, mature se ad officium revocarint.—Sed vestra Nos eximia virtus, Venerabiles Fratres, qui Lusitanam gubernatis Ecclesiam, Clerique istius ardor vestrae virtuti mirabiliter concinens, valde consolatur, bonamque spem affert, fore istic aliquando res, Deo adiuvante, meliores. Vos enim omnes non sane securitatis rationem aut commodi, sed officii et dignitatis habuistis nuper, cum iniquam *discidii* legem palam et libere indignando repudiastis; cum una voce professi estis malle vos vestrorum iactura bonorum sacri muneris redimere libertatem, quam pro mercedula pacisci servitutum; cum denique negastis ullo unquam aut astu aut impetu inimicorum posse vestram cum Romano Pontifice coniunctionem labefactari. Ista quidem, quae in conspectu Ecclesiae universae dedistis, fidei, constantiae magnique animi praeclara documenta, sciatis cum voluptati bonis omnibus, tum vobis honori, tum ipsi laboranti Lusitaniae emolumento fuisse non mediocri. —Quare pergite, ut instituistis, Religionis causam, quacum salus ipsa communis patriae connexa est, agere pro viribus: sed videte in primis, ut et ipsi inter vos, et christianus populus vobiscum, et omnes cum hac Beati Petri Cathedra summam

consensionem et concordiam retineatis diligenter et confirmetis. Hoc enim auctoribus nefariae legis propositum est, quod diximus: non a Republica (ut videri volunt) *separare* Ecclesiam Lusitanam, quam despoliant opprimuntque, sed a Vicario Iesu Christi. Quod si tali hominum consilio ac sceleri occurrere atque obsistere omni vos ope studueritis, iam rebus Lusitaniae catholicae commode per vos consultum fuerit. Nos interea, pro singulari qua vos diligimus caritate, Deo omnipotenti supplices erimus, ut diligentiae studioque vestro bonus faveat.—Vos autem rogamus, reliqui orbis catholici Antistites, ut id ipsum officii tam necessario tempore sollicitis e Lusitania fratribus praestare velitis.

Auspiciem vero divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter imperimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv mensis Maii, in festo Dominae Nostrae Mariae, adiutricis christianorum, anno mcmxi, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.



APOSTOLIC LETTERS.

**Pro Archisodalitate ab "Hora Sancta" in Dioecesi Augustodunensi
Extenditur ad Universum Orbem Terrarum Facultas Aggre-
gandi Eiusdem Tituli atque Instituti Societates iam Eidem
Societati Facta pro Gallia et Belgio.**

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. Pias fidelium sodalitates, quae frugifero religionis pietatisque exemplo alios coetus ad sua opera imitanda excitaverint, privilegio libenti quidem animo donamus, ut has similes Consociationes sibi adiungere queant, et cum eis impetratas indulgentias participare. Inter illiusmodi confraternitates bene de Ecclesia meritas ea procul dubio videtur adnumeranda, qua ab "Hora Sancta" nuncupata atque in sacello Monialium a Visitatione, Paredi in oppido, vulgo "Paray-le-Monial" Dioeceseos Augustodunensis canonice instituta, a rec. me. Leone PP. XIII. Decessore Nostro in Archisodalitatem usque ab anno MDCCCLXXXVI. erecta fuit, et hoc praecipue aucta favore, ut ei alias eiusdem nominis Sodalitates tum in cuncta

Gallia, tum in Belgio existentes sibi aggregare liceret. Cum vero hae devotae Consociationes, postremis praesertim temporibus, in omnes orbis partes sint feliciter prolatae, et cum praedictae Archisodalitatis Moderatores enixas Nobis preces adhibuerint, ut iam ipsi concessam aggregandi facultatem, nunc pro toto terrarum orbe sibi extendere dignaremur, Nos persuasum habentes, id non minus in maiorem Dei gloriam quam in uberius animarum bonum semper esse cessurum, piis hisce votis censuimus obsecundandum. Quare officialibus et sodalibus praesentibus et futuris memoratae Archisodalitatis ab "Hora Sancta" in sacello Monialium a Visitatione Paredi erectae, intra fines Augustodunensis Dioeceseos, praesentium tenore Apostolica Auctoritate Nostra perpetuo concedimus ac largimur, ut, servata forma Constitutionis Clementis Papae VIII. Decessoris Nostri aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, ubicumque gentium sint cognomines et eiusdem instituti Sodalitates, eas sibi aggregare licite queant, atque omnes et singulas indulgentias, quas ab S. Sede iam obtinuerint, et fas sit aliis impertiri, cum ipsis sodalitatibus communicare licite pariter possint ac valeant. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat, seu spectare poterit, plenissime suffragari, sicque in praemissis esse iudicandum, atque irritum fieri, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxvii Martii mcmxi, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

L. ✠ S.

LETTERS FROM THE HOLY FATHER.

**Ad Celsitudinem Suam Luitpoldum Bavariae Regnum Regentem,
Nonagesimum Aetatis Annum Feliciter Expletem.**

Dilectissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. Propediem exoriturus nonagesimus Celsitudinis tuae natalis propensissima Nos voluntate Bavariae adiungit civibus diem auspicatissimum, unis animis multiplicique significatione laetitiae, concelebrantibus; tibi, quem iucundissima studiorum officiorumque consuetudo carissimum Nobis effecit, tota mente gratulamur: sane non eo tantum nomine quod tam uberem vitae usuram Dei munere beneficioque frui tibi contigit, sed potissimum quod annorum numerum recte factorum multitudo super-

averis. Et merito gratulamur, quandoquidem *corona dignitatis, senectus quae in viis iustitiae reperietur* (Prov. xvi, 31). Suppetant tibi uberiora in dies divinae gratiae auxilia, dentque optimi principis vitam non aetatis spatio terminare, sed virtute parta laude, quam praesens aetas celebrabit, quam postera contuebitur et alet, quam denique iustus Iudex gloria exornabit nulla temporis longinquitate peritura.

Haec, dilectissime in Christo fili, habeas pro tua in Nos pietate paternae caritatis Nostrae vota faustitatis, eaque expleta reddat ac cumulata apostolica Benedictio quam caelestium auspicem honorum, tibi totique familiae tuae peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VII Martii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

Ad Augustum Serenissimumque Principem Gulielmum II Regem Wurthembergensem, Vicesimumquintum Matrimonii Sui Anniversarium Celebrantem.

Serenissime et Celssissime Rex, salutem.—Quam Nobis grata acceptaque omnia obvenerint, quibus Maiestati Tuae, opportunitatibus animo Nostro iucundis, Nos prosequi placuit, tunc significare haud omisimus. Pari autem iucunditate occasionem fausti vicesimi quinti anniversarii matrimonii Eiusdem Maiestatis Tuae modo capimus, ut, vice Nostra, gratulationes et omnia Tibi, Serenissime Rex, et Reginae, Augustissimae Uxori Tuae, offeramus, maximam cum subditis Tuis laetitiam ita participantem. Idque eo libentius facimus, cum notum compertumque Nobis sit quantam benevolentiam erga Clerum et catholicos cives istius Regni exhibere non desinas.—Velit igitur Maiestas Tua hoc sincerissimae adfectionis et humanitatis Nostrae testimonium accipere, dum Deo Optimo Maximo preces fundimus, ut Te una cum Serenissima Regina, in bonum et prosperitatem universi Regni Wurthembergensis diu adhuc sospitet, atque perfecta Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud S. Petrum, die 11 Aprilis MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

, PIUS PP. X.

Ad R. P. D. Antonium Mendes Bello, Patriarcham Olyssiponensem Ceterosque Lusitaniae Archiepiscopos et Episcopos, de Comuni Eorum Epistola ad Lusitaniae Populos data Gratulandi Causa.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.—Nostris subiiciendas oculis litteras misistis, quas, pro pastoralis

officii munere, communi consilio ad populum haud ita pridem, dedistis. Sapientes illae Nobis visae sunt ac temporum rerumque adiunctis summopere accommodatae. Vos sane positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam, perspecta optime habetis quae in praesenti rerum publicarum perturbatione, istic premant et impendant mala, quidve ex eis periclitetur religio; atque epistola, quae vestram egregie commendat navitatem, officia complexi estis quae Lusitaniae catholicis (quorum cura Nos iamdiu sollicitat) manent religiosissime obeunda.

Ex iis illud iure eminet quod primo loco attigistis; oportere, scilicet, religionis et Ecclesiae rationes, quae profecto sunt humanis maiores, esse ac perstare a partium studiis et ab eventuum varietate prorsus alienas; et nefas catholicis ab excitata rerum novarum cupidine gradum facere ad avitam fidem exuendam. *Nec enim, praeter Christum, aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV, 12). Abhorreret praeterea a perspicua ingenii morumque suavitate Lusitanorum, insigni iniuria ac animo beneficiorum prorsus immemori, maternum Ecclesiae illius amplexum respuere quae eos, pene editos in lucem, gremio excepit, et, Christo regeneratos, iis sedulo fovit et auxit bonis, ex quibus tanta humanitatis vis in eorum gentem influxit, tanta manavit ad extremas usque Orientis oras eorum gloria nominis, quantam domesticarum testatur memoria rerum.

Plane vero cohaerent sententiae Nostrae quae, orationis decursu, fusiori calamo prosequuti estis doctrinae capita de obedientia iis praestanda qui praesunt, renuenda iniustis legibus. Haec quippe praecepta sunt Evangelii, maiora equidem quam ut hominum voluntate aboleri aut infirmari umquam possint: haec perpetua Ecclesiae disciplina, quocumque tandem regiminis genere civitate tenerentur.

Neque illud minus scite ac provide dictum, quod ultimo loco monuistis: in tanta nempe rerum inclinatione, esse gregibus vestris quam quae maxime necessariam tum arcetissimam animorum coniunctionem, tum Ecclesiae Praesulum auctoritati parem officio verecundiam. Altera enim alterius poscit opem et coniurant amice tam ad augendas catholicas vires, tum ad eas ita instruendas, ut catholicorum multitudo ad certamen prodeat ut castrorum acies ordinata.—Caeterum, alia non suppetit via qua fideles vestri valeant sese ab ingravescentibus quotidie difficultatibus expedire, ac minus infensa Ecclesiae parare tempora.

Haec, Venerabiles Fratres, potiora rerum momenta quae vestra exornavit epistola: plena quidem consilii ac providentiae epistola, et haud obscurum monumentum vestrae cum in reli-

gionem, tum in communem patriam caritatis. Confidimus, divinae gratiae auxilio, non exiguum vos ex navitate vestra fructum capturos. Interim pergitte, hortamur, pari discrimini contentione fungi delato vobis munere sanctissimo gravissimoque; et absit quod, ingruente procella, animos despondeatis. *Fidelis, probe nostis, est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum* (1 Cor. x, 13). Hoc vero velimus in omnium vestrum animos alte descendat, quod experiendo optime novimus: etsi inimica vis quae nulla ferme in Europae parte Ecclesiam iamdiu sinit quiescere, in omne asperitatis genus, etiam penes vos, sit eruptura, multas tamen et Nobis et vobis animi aegritudines, multas Lusitano populo calamitates prohiberi poterunt, si quotquot istic sunt catholici traditam a Clero disciplinam pronis auribus excipiant: si Clerici universi *ad omne opus bonum instructi*, dicto vestro sint audientes: si vos denique, Venerabiles Fratres, mutuum servantes caritatem, Ei constanter adhaereatis qui in Christi Ecclesia columna est ac firmamentum. Constantes igitur estote et, caritatis ac concordiae vinculis abstricti, viriliter agite. Neque enim fas est terreri pugnae periculo, qui victoriae laetatur triumpho. Et *haec sane est victoria quae vincit mundum, fides nostra*.

Auspiciem divinorum munerum Nostraeque testem benevolentiae, Apostolicam Benedictionem, vobis, Venerabiles Fratres, Cleris populisque vestris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xv Martii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

Ad Rr. Dd. Pontificii Instituti Biblici Praesidem ac Doctores, de Studiorum Cursu in Eodem Instituto Confirmando ac Provehendo.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.—Iucunda sane ad recolendum Pontificii Instituti Biblici cum primordia, tum incrementa. Vix enim providentia Nostra conditum, divino munere beneficioque, ita auctu pene quotidiano celerique gressu adolevit, ut opus pene umbratile angustisque circumscriptum finibus, celebritate refertissimum omnique eruditionis ac doctrinae adiumento egregie instructum studiorum biblicorum domicilium brevi effectum sit. Hinc etiam feliciter factum ut frequentiae delectorum undique adolescentium qui Romam conveniunt “divinorum eloquiorum scientia singulares evasuri” impares iam priores aedes effectae, Apostolicae Sedis cura, ampliores commodioresque fuerint attributae. Parem vero celebrantium numero sese probare conspiciamus laetabilium fructuum

copiam, quam omnium vestrum ingenium ac navitas auditorum-que diligentia hucusque peperere. Quae quidem initia atque incrementa, auspicia rerum secunda, et praesentissimo Dei auxilio tribuimus, et vobis omnibus, Dilecti Filii, quorum perspecta Nobis est doctrinae sollertiaeque laus, ex animo gratulamur.

Providentiae vero Nostrae, hunc etiam volumus esse fructum, nova quaedam legum statuta quibus exhibendorum quotannis doctrinae speciminum ratio multo salubrior eveniat. Perspicuum quippe est quantum sollemnibus huiusmodi experimentis insit momenti ad acuendum in magistris, in discipulis, hinc docendi inde addiscendi ardorem, et ad quaesitas utilitates ex optimis praelectionibus proniore alveo derivandas.

Volumus igitur in primis ut Instituti Nostri alumni atque auditores, ad unum omnes, singulis annis ordinaria doctrinae pericula facere teneantur. Vix enim est qui ignoret longe facilius inde exploratum iri moderatoribus quidem quid alumnorum et auditorum quisque ex emenso studiorum cursu perceperit fructus, alumni vero atque auditoribus, cui ferendo oneri eorum valeant humeri, et num edita hactenus diligentia acrioribus in posterum indigeat incitamentis.

Quo vero largiora ex periculis huiusmodi commoda proveniant, ordinarius studiorum cursus in Instituto tria doctrinae specimina, extremo quoque anno edenda, complectetur. Horum primum ad ea sese extendet doctrinae capita quibus scientiae biblicae libamenta ac philologicae institutiones continentur, quaque argumenta fere praebebunt rerum primo anno tradendarum.

Alterum in iis versabitur rerum momentis quibus, secundo anno, auditoribus atque alumni plenior suppetet sacrae doctrinae haustus: tractationem, dicimus, disciplinarum quae in subsidium sunt graviorum studiorum, et praesertim alicuius sacri textus partis interpretationem. Horum ope compertum fiet num alumni atque auditores ii sint qui valeant, cum spe felicitis exitus, integrum absolvere studiorum cursum atque optatam tandem contingere metam.

Exacto demum tertio anno, postremo experimento, quod interpretationem alterius partis sacri textus ac res ultimo hoc anno traditas complectetur, alumnorum atque auditorum doctrina ita periclitabitur, ut liquido appareat eosdem animum biblicis disciplinis satis excoluisse, et pares se probare proposito assequendo quod Instituto in litteris Apostolicis "Vinea electa" praestituimus.

Quo denique omnibus ac praesertim ecclesiasticis superioribus, de studiorum curriculo rite ab alumni atque auditoribus in Instituto peracto, de periclitata cum laude doctrina, authenti-

cum praesto sit documentum, id quoque decernimus, ut, scilicet, Instituti praeses, rite suffragantibus doctoribus singulis disciplinis tradendis, alumniis atque auditoribus de comprobata experimento doctrina testimoniales litteras tradat, in forma diplomatis exarandas, quarum tamen argumentum, seu oratio, erit iudicio Nostro rata habenda.

Auspex divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testis Apostolica sit Benedictio quam vobis, Dilecti Filii, iisque omnibus qui ductu et auspicio vestro ad optima studia nituntur, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxii Martii mcmxi, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

DECREES.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

(Indulgences).

De Matrimoniiis Eorum Qui a Genitoribus A catholicis vel Infidelibus Nati, sed in Ecclesia Catholica Baptizati, ab Infantili Aetate in Haeresi vel Infidelitate aut sine Ulla Religione Adoleverunt.

DECRETUM.

Cum decreti "*Ne temere*" per Sacram Congregationem Concilii die 2 Augusti, 1907, editi articulo XI. § 1 expresse edicatur novis circa formam sponsalium et matrimonii statutis legibus *teneri omnes in Catholica Ecclesia baptizatos et ad eam ex haeresi aut schismate conversos (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant*; quaesitum est: Quid dicendum de matrimoniis eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, postea, ab infantili aetate, in haeresi seu infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica vel infideli contraxerint?

Re in plenario conventu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito feria IV. die 15 labentis mensis mature perpensa, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Recurrendum esse in singulis casibus.*

Die vero sequenti SSmus. D. N. D. Pius divina providentia PP. X., in solita audientia R. P. D. Adessori huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis impertita, relatam Sibi Emorum. Patrum resolutionem adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 31 Martii, 1911.

L. ✠ S.

ALOISIUS CASTELLANO, S. R. et U. I. Notarius.

DECRETUM.

PORTIUNCULAE, quam vocant, INDULGENTIAE lucrandae redeunte iam die, innumerae propemodum Apostolicae Sedi preces undequaque gentium oblatae sunt aliaeque offerendae praevidentur tum ad iam obtentarum hac in re concessionum prorogationem tum ad novarum elargitionem impetrandam. Cum igitur Supremae huius Sacrae Congregationis Sancti Officii, cui Indulgentiarum moderandarum munus incumbit, mens sit certas ac fixas super praestantissimo huiusmodi spirituali favore normas praestituere, ne forte alicubi fideles, dum hae parantur, eo fraudari contingat, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 24 huius mensis generali Decreto, *usque ad novam dispositionem valituro*, statuendum censuerunt :

1.^o Omnes et singulae tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus antea a Sancta Sede factae et iam nunc expiratae vel in posterum expiraturae de Portiunculae Indulgentia concessionibus prorogatae habeantur sine die, firmis, quoad cetera, clausulis et conditionibus praecedentis Indulti habitaque ratione, quoad utile sacris visitationibus peragendis tempus, novissimi huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis Decreti diei 26 Ianuarii anni currentis (*Acta Apostolicae Sedis an. III, vol. III, pag. 64*).

2.^o Quod ad novas concessionibus tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus, providendum pariter sine die committitur respectivis Ordinariis cum facultatibus necessariis et opportunis, salvis tamen clausulis et conditionibus *Motu-Proprio* die 11 Iunii anni elapsi praescriptis (*Acta Apostolicae Sedis, an. II, vol. II, pag. 443*).

3.^o Itidem, demum, respectivis Ordinariis prorogatur sine die facultas, praefato *Motu-Proprio* superiore anno eisdem concessa, statuendi ad supradictam Indulgentiam lucrandam, loco diei secundae Augusti, Dominicam proxime insequentem, servatis clausulis et conditionibus ibidem appositis.

Quae omnia SSmus. D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adessori sequenti die impertita, benigne adprobare ac suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Romae, ex Aedibus S. O., die 26 Maii 1911.

L. ✠ S. ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

CONGREGATION OF THE HOLY OFFICE.

(Index.)

DECRETUM

Feria II, die 8 Maii 1911.

Sacra Congregatio Emorum. ac Rmorum. S.R.E. Cardinalium a SSmo. Domino nostro Pio PP. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in palatio Apostolico Vaticano die 8 Maii 1911, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

GABRIELLE D'ANNUNZIO, *Omnes fabulae amatoriae* (Romanzi e Novelle).

— *Omnia opera dramatica.*

— *Prose scelte.* Milano.

P.A.S. *Catechismo di storia sacra.* Cremona 1910.

ANTONIO FOGAZZARO, *Leila, Romanzo.* Milano 1911.

IOANNES KONRAD ZENNER, *Die Psalmen nach dem Urtext. Ergänzt und herausgegeben von Hermann Wiesmann. I. Teil. Uebersetzung und Erklärung.* Münster 1906.

MALACHIA ORMANIAN, *L'Eglise Arménienne: son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, son présent.* Paris 1910.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

IOSEPH TURMEL et PETRUS BATIFFOL decreto S. Congregationis, edito die 2 Ianuarii 1911, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecerunt. Etiam auctor anonymus libri inscripti *La vraie science des Ecritures*, ab hac S. Congregatione eodem decreto diei 2 Ianuarii 1911 prohibiti, huic decreto laudabiliter se subiecit.

Quibus SSmo. Domino nostro Pio Papae X per me infra scriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 9 Maii 1911.

F. Card. DELLA VOLPE, *Praefectus.*

L. ✠ S.

THOMAS ESSER, O.P., *a secretis.*

DECRETUM

Feria II, die 12 Iunii, 1911.

Sacra Congregatio Emorum. ac Rmorum. S. R. E. Cardinalium a SSmo. Domino nostro Pio PP. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorundemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in palatio Apostolico Vaticano die 5 Iunii 1911, damnavit et damnat proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :

DER MODERNISTENEID. *Ein Appel an deutsche Priester von Clericus Germanicus. Augsburg, 1910.*

DR. W. KOCH UND DR. O. WECKER, *Religions-wissenschaftliche Vorträge Dritte Reihe: Katholizismus und Christentum. I. u. Aufl. Rottenburg, 1910.*

AUGUSTE HUMBERT, *Les origines de la Théologie moderne—I. La Renaissance de l'antiquité chrétienne (1450-1521). Paris, 1910.*

OTTOKAR PROHÁSZKA, *Az intellektualizmus túlhajtásai. Budapest, 1910.—Több békeséget (in Egyházi Közlöny, Dec. 23 1910).—Modern Katholicizmus. Budapest, 1907.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SSmo. Domino Nostro Pio Papae X per me infra-scriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, &c.

Datum Romae, die 6 Iunii 1911.

F. Card. DELLA VOLPE, *Praefectus.*

L. ✠ S.

THOMAS ESSER, O. P., *Secretarius.*

CONGREGATION FOR RELIGIOUS COMMUNITIES.

DECRETUM

De methodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ab ordinibus et institutis religiosis.

Quum singulae praescriptiones ac solemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII, ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis Religiosis, commode servari nequeant, huic Sacrae Congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas.

Quare Emi. Patres Cardinales eiusdem Sacrae Congregationis, in Plenario Coetu die 3 Martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe :

1. Curiam competentem vel Tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt Superior seu Moderator Generalis et Definitores vel Consiliarii seu Adistentes, non minus quatuor ; si qui deficiant, eorum loco totidem Religiosos eligat Praeses Curiae vel Tribunalis, de consensu aliorum Consiliariorum.

In Congregationibus Monachorum Tribunal constituunt Abbas Generalis cum suo Consilio. Si aliqua Abbatia nulli adnexa Congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

2. In qualibet Curia seu Tribunali constituatur a Consilio Generali Promotor Iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit Religiosus eiusdem Ordinis vel Congregationis.

3. Processus dumtaxat Summarius in posterum instituat in expellendis vel dimittendis Religiosis, qui vel vota solemnia in Ordinibus, vel vota perpetua in Congregationibus vel Institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emisierint, tamen in Sacris sunt constituti ; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis Ordo vel Institutum gaudeat.

4. Ad Processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub *num. 17 et 18*.

5. Monitio facienda est a legitimo Superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia Superioris Provincialis seu quasi-Provincialis ; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex Processu constare debet de Conventi reitate, necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis, et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

8. Ut de Conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt, quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata, atque aliis administris roborata et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a

gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet :

(a) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii ;

(b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in Regestis, vel Tabulario, servandum : vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in Regestis vel Tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior Provincialis vel quasi-Provincialis Religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quae de huius Religiosi reitate exstant diligenter colliget et ad Superiorem Generalem transmittet, qui ea tradere debet Procuratori Iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a Procuratore Iustitiae propositae et Processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio Iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem Ordinis vel Instituti Religiosum, exhibere valeat ; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Curia vel Tribunal defensorem alumnum respectivi Ordinis vel Instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu Tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive Promotoris sive Rei, si quidem eas adversari iudicaverit Convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit ; quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, executioni demandari nequit, donec per eandem Sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad saeculum statim remitti a Moderatore supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui Capituli vel Consilii, si ex eius praesentia periculum

vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi Communitati eorumque alumni immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti Communitati immineat, poterit, etiam a Superiore Provinciali vel Abbate, ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de Religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur Processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in Sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt:

(a) publica apostasia a Fide Catholica;

(b) apostasia ab Ordine vel Instituto, nisi intra tres menses Religiosus redierit;

(c) fuga a Monasterio, suscepta secum muliere;

(d) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut Superior Generalis vel Provincialis cum suo respectivo Consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de Religioso in Sacris, illico communicanda erit Ordinario originis et Ordinario loci, ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes Religiosi, de quibus agitur, in Sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente Auctoritate, post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel Clerici, non in Sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur, quominus ad superiores Ordines adscendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium Ordinem vel Congregationem admitti non poterunt, absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

21. Ad expellendas Moniales, vota sive solemnia sive simplicia in Ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas Sorores, quae vota perpetua emiserunt in Institutis Religiosis, exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio Abbatissae vel Superiorissae cum suo Consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damna immineant Monasterio vel Instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas Sorores votorum

simplicium in Ordinibus Religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci et, si Monasterium Regularibus subiectum sit, etiam a Superiore Regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte Ordinis vel Instituti, iuridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, Monialis vel Soror statim ad saeculum remitti possit, ita tamen ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo relatis ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario die octava Martii 1911, Sanctitas Sua Decretum hoc approbare et confirmare dignata est; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 16 Maii 1911.

Fr. I. Card. VIVES, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Donatus Archiep. EPHESINUS, *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE COUNCIL.

DUBIORUM CIRCA ABSTINENTIAE ET IEIUNII LEGEM.

Dubia quae hic enodanda proponuntur versantur circa interpretationem rescripti diei 19 Februarii 1851 a S. C. S. Officii Episcopo Auriensi concessi; ideo praestat illud per extensum referre. Est autem huius tenoris:

“Episcopus Auriensis B. V. filiali veneratione accedens, humiliter deprecatur et supplicat ut cum suae dioecesis habitatoribus pro benignitate dispensare digneris, ut in S. Quadragesimae, quatuor temporum et in reliquis tam de praecepto quam ex devotione ieiunii diebus, servata ieiunii forma, *de omni pinguedine suina, butyro, lacte, caseoque in suis esibus uti possint*. In hac enim mei regiminis dioecesi olea nulla sunt, et ideo oleum magno praetio aestimatur; attentis temporum pecuniae et numerorum paritate penesque generali paupertate maxime ruri degentium, personae quoque non omnino pauperes in olei acquisitione multo incommodo et dispendio laborant; estque haec causa, ut parochi et confessarii saepissime in poenitentiae Sacramenti administratione angustias patiantur, dum a poenitentibus inquiruntur an inopia oppressi, aut in parva quantitate dictis pinguedinibus vesci possint. Ut vero omnis tollatur ambigendi occasio et cum securitate procedant, ad me submissee supplices accessere rogantes, quod a V. B. exposcerem

ut privilegium a Sancta Sede habitantibus dioecesis Lucensis concessum quibus *omnis pinguedinis suinae usus permittitur* aut Mindoniensis, quibus *butyro et caseo vesci licet*, ad fideles huius Auriensis dioecesis extendatur. Finem tunc habebunt anxietates et peccata in quibus illabuntur multi qui ieiunii praeceptum cum solo olei usu esse valde difficile opinantur. His precibus Vestra Benignitas annuens meis monitis intelligerent dioecesani, privilegium ex V. B. liberalitate illis concedi non in abusum et perniciem, sed in animarum utilitatem et ut facilius et exactius ieiunium adimpleamus, quo a vitiis avertimur et de peccatis purgamur. Et ut cessent dubia et scrupuli similiter postulat ut hoc privilegium ad omnes laicos sive clericos cuiuscumque gradus et dignitatis, modo non sint voto adstricti, extendatur.

“ Sanctitati Vestrae obsequens filialiter certum facit de sincera ac perpetua sua obedientia, et exorat ut Apostolicam benedictionem ei impartiaris.”

His precibus acceptis S. C. benigne annuens rescripsit :

“ Feria IV, die 19 Februarii 1851, SSmus. Dominus Noster Pius, Divina Providentia, PP. IX, in solita audientia, R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione Revmorum. DD. S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum suffragiis benigne annuit *pro gratia per modum tamen condimenti*, exceptis Feria IV Cinerum, tribus postremis diebus maioris Hebdomadae, et Vigiliis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. Iesu Christi.”

Porro primum dubium exortum circa suprascripti indulti interpretationem est, num fideles teneantur sumere Bullam *Cruciatam* ut praefato privilegio uti possint. Plures Sacerdotes Auriensis dioecesis sententiam affirmativam sequuntur hisce innixi rationibus: 1.^o quia Commissarius Generalis Bullae *Cruciatæ* in expeditione memorati indulti anno 1851, declaravit necessitatem sumendi Bullam *Cruciatam* ut quis illo uti posset; 2.^o quia huic sententiae suffragatur praxis ab initio introducta et ab Episcopis Auriensibus confirmata in suis instructionibus et responsionibus ad parochos, imo in ipsa Synodo dioecesana, celebrata anno 1908, recognita; 3.^o quia secus *Cruciatæ* reditus notabiliter decrescerent in Auriensi dioecesi quod in detrimentum divini cultus vergeret. Nam pro expensis in divino cultu pro hac dioecesi, quae praeter Cathedralē, constat 680 ecclesiis, requiritus summa 124,161 libellarum, quarum libellas 121,388 a *Cruciatæ* redivitis deduci debent, cum aerarium nationale vix 2773 libellas pro tota dioecesi praebeat.

Secundum dubium versatur circa significationem seu extensionem verborum *pinguedinis suinae* ; *utrum* nempe per allata verba intelligi possit iusculum (*brodo di carne* hispanice *caldo de carne*) omnis carnis suinae, vel tantum iusculum seu succus laridi suini. Praeterea notandum est vigere in hac dioecesi consuetudinem in citata Synodo approbatam, vescendi in caenulis dierum ieiunii omni piscium genere.

His praemissis Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis Auriensis de mandato Episcopi sequentia authentice resolvenda dubia proposuit :

1.^o "An Christifideles dioecesis Auriensis pro usu supradicti privilegii teneantur sumere Bullam *Cruciatae* ? "

2.^o "An tuto sequi possit interpretatio enunciati indulti data a Rmo. Ordinario anno 1851, iuxta quam non solum possunt fideles tam in prandio quam in caenula uti iusculo vel succo laridi suini, sed etiam iusculo aut succo omnis, carnis suinae, miscendo etiam in parva coena cum piscibus in vigiliis aliisque ieiunii diebus, exceptis fer. IV Cinerum, tribus postremis diebus maioris hebdomadae aliisque diebus in indulto expressis ? "

Et quatenus affirmative :

3.^o "An iusculum seu succus omnis animalis terrestris carnis possit aequiparari iusculo seu succu carnis suinae ad effectus secundi quaesiti praecedentis, ita ut possit hac in dioecesi sumi etiam in parva coena iusculum cuiuscumque animalis, etiam si pisces de more edantur ? "

Cum de re gravis momenti ageretur, exquisita est sententia Consultoris, ut, ea quae pollet doctrina, omnia quae sive in iure sive in facto ad solutionem iuvare possent animadverteret, ac purgatissimis EE. VV. oculis subiiceret.

Haec igitur dubia enodanda proponuntur :

1.^o *An fideles dioecesis Auriensis pro usu supradicti privilegii dioecesani teneantur sumere Bullam "Cruciatae" ?*

2.^o *An tuto sequi possit interpretatio privilegii data ab Ordinario Auriensi a. 1851 qua declaravit non solum licere tam in coenula quam in prandio, uti iusculo vel succo laridi suini, sed etiam iusculo vel succo omnis carnis suinae et etiam in parva coenula miscendo cum piscibus, exclusis diebus in privilegio exceptis.*

3.^o Et quatenus affirmative : *An iusculum seu succus omnis animalis terrestris carnis possit aequiparari iusculo seu succo carnis suinae ad effectus quaesiti praecedentis.*

DECISIO. Emi. Patres in Congregatione plenaria, die 29 aprilis 1911, respondendum censuerunt :

Ad. I. *Negative.*

Ad. II. et III. *Iusculum carnis sive suinae sive aliorum animalium*

non comprehendendi in allegato indulto : comprehendendi vero etiam pro coenula condimentum ex adipe sive suino sive aliorum animalium et etiam butyrum.

L. ✠ S.

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
BASILIUS POMPILI, *Secretarius.*

COLLECTIONIS ELEEMOSYNARUM IN PAROECIIS.

Post legem "separationis" in Gallia plerique Episcopi cleri necessitatibus occurrere cupientes, opus instituerunt vulgo nuncupatum "*du denier du clergé*," quo, ex oblationibus fidelium a parochis in proprio districtu colligendis ac Episcopo transmittendis, praedictum finem quadantenus assequi valerent.

Episcopus Carcassonensis, cum quosdam suae dioecesis parochos dispositionibus a se latis renuentes compererit, sequentia dubia S. C. proposuit:

I. An Episcopus valeat parochos vi conscientiae adigere ad munus colligendi fidelium oblationes.

II. An valeat inobedientes poenis prosequi, non exclusa amotione ab ipso officio parochiali, ad normam Decreti: *Maxima cura*, can. 1, nn. 7 et 9.

De iisdem autem ad instantiam Episcopi Cenomanensis actum iam fuit in plenariis comitiis die 22 Maii anno 1907 habitis. Haud tamen tunc EE. PP. rem in se ipsa seu in genere prout nunc proponitur, dirimere placuit, licet ea fuerit eorum mens, ut parochus, de quo agebatur, quique aliter quam ab Episcopo statutum fuerat collectas facere et cultus expensis providere volebat, moneretur, ut Episcopi mandatis, staret, facta etiam Episcopo facultate ad aliam illum paroeciam transferendi, si parere renuisset.

Hac igitur de causa questiones modo a Carcassonensi Episcopo propositae iterum Emis. Patribus subiectae sunt, super iisdem sententia etiam alterius Consultoris exquisita.

DECISIO: Iis igitur quae deducta noviter sunt perpensis, aliisque resumptis quae in praecedenti Congregatione fuerunt disputata, Emi. Patres in comitiis plenariis, die 29 Aprilis 1911, respondendum censuerunt:

Episcopum in casu posse sub gravi parochos adigere ad colligendas, vel per se vel per alium, fidelium oblationes et post monitiones poenis canonicis inobedientes prosequi, eosque, si contumaces fuerint, servatis de iure servandis, etiam a paroecia remove.

L. ✠ S.

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
BASILIUS POMPILI, *Secretarius.*

DECRETUM QUO CONSTITUTIO APOSTOLICA " ROMANOS PONTIFICES " AD UNIVERSAS CANADENSIS DOMINII PROVINCIAS EXTENDITUR.

Inter alia quae in Concilio Quebecensi Primo, quod anno 1909 in Metropolitana ipsa Quebecensi Ecclesia celebratum est, Patribus eiusdem Concilii constituenda visa sunt, id etiam fuit, quod ipsi Apostolicae Sedi preces admovendas duxerunt, ut Constitutio, cuius initium " Romanos Pontifices " pro Anglia et Scotia VIII Idus Maii anno 1881 primum edita et deinde ad plurimas alias regiones extensa, ad omnes quoque Dominii Canadensis provincias, pro universis earum Ecclesiis extenderetur.

Cum autem in Plenariis Comitibus S.H.C. diebus 14 et 21 mensis Ianuarii nuper elapsi pro revisione eorum quae in eodem Concilio Quebecensi primo decreta sunt, habitis, Emi. Patres petitam memoratae Constitutionis extensionem perutilem iudicaverint, ideoque votis hac super re ab eiusdem Concilii Patribus expressis suffragandum esse censuerint, res ab infrascripto S.H.C. Secretario ad SSmum. Dominum Nostrum Pium PP. X delata est.

Sanctitas autem Sua in audientia diei 14 huius mensis, omnibus perpensis mature, oblatis precibus annuendum benigne censuit eandemque Constitutionem " Romanos Pontifices " de Apostolicae potestatis plenitudine ad universas Canadensis Dominii provincias extendit.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Concilii, die 14 Martii anno 1911.

C. Card. GENNARI, *Praefectus*.
B. POMILI, *Secretarius*.

CONGREGATION OF THE CONSISTORY. DUBIA.

DE STUDIORUM CURSU PERFICIENDO ET IURAMENTO PRAESTANDO
ANTE SACRAM ORDINATIONEM.

Propositis dubiis quae sequuntur, scilicet : 1.^o utrum ad effectum sacrae ordinationis studiorum anni expleti dici possint ad festum Pentecostes seu SSmae. Trinitatis ; 2.^o utrum iuramentum praestandum ante susceptionem ss. ordinum, a Motu proprio " Sacrorum Antistitum " 1 Septembris 1910 praescriptum, emittendum sit ante singulos ss. ordines, vel solummodo ante s. subdiaconatum : haec S. Congregatio, die 24 Martii 1911 respondit :

Ad 1^{um} *Negative* ; sed requiri ut expleatur cursus scholasticus novem mensium cum examine finali feliciter emenso.

Ad 2^{um} Sufficere ut praestetur ante ineundum sacrum subdiaconatus ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.
 SCIPIO TECCHI, *Adsector*.

DECLARATIO CIRCA DECRETUM DE SECRETO SERVANDO IN
 DESIGNANDIS AD SEDES EPISCOPALES.

Dubitantibus nonnullis utrum decretum Sacrae Congregationis Consistorialis diei 2 Iulii 1910 *de secreto servando in designandis ad sedes episcopales*, ubi eadem vel similis forma designationis obtinet ac in foederatis Statibus Americae septentrionalis, extendatur dumtaxat ad dioeceses et provincias, quarum Antistites id postulaverint, an ad omnes ubi dicta forma in usu est; haec Sacra Congregatio declaravit ad omnes extendi.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Consistorialis, die 28 mensis Aprilis 1911.

C. PEROSI, *Substitutus*.

CONGREGATION OF THE PROPAGATION OF THE
 FAITH.
 DECRETUM

QUO PRAEFECTURA APOSTOLICA DE UBANGHI BELGICO ERIGITUR.

Ut ad regiones, quae modo Congi Belgici constituunt Apostolicum Vicariatum, aditus pluribus pateret missionariis praesertim apud illas gentes quae inter Ubanghi et Congo flumina in tenebris paganismi miseram ducunt vitam, expediens visum est, territorium quod ab Ubanghi nomen accipit et intra fines praedicti Vicariatus adhuc contentum fuit, ab eodem separare et in Praefecturam Apostolicam erigere. Quapropter, in plenariis comitiis die 3^a vertentis Aprilis habitis, Emi. Patres huius S. Consilii fidei Propagandae, Praefecturam Apostolicam de Ubanghi Belgico erigendam censuerunt sequentibus statutis limitibus, nempe, ad occidentem et septentrionem flumen Ubanghi inde a gradu 1.^o 30' latitudinis borealis usque eo quo Bomu et Uele flumina confluunt; ad orientem vero, recta linea quae exinde ducitur ad ostium amnis Itimbiri in flumen Congo, atque producit usque ad lineam parallelam tangentem meridianos limites oppidi Abu Mombazi; tandem, ad meridiem, haec linea primum, deinde illa quae dividit aquas inter Congo et Ubanghi, posthac ea quae similiter aquas dividit inter Ubanghi et Ngiri, ac demum

gradus 1.º 30' latitudinis borealis usque ad flumen Ubanghi. Porro novam de Ubanghi Belgico praefecturam curis Minorum Capulorum concedendam esse statuerunt.

Hanc vero Emorum. Patrum sententiam ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario in audientia diei 4^{ae} vertentis Aprilis SSmo. Dno. N. Pio div. prov. PP. X relata, eadem Sanctitas Sua in omnibus ratam habuit confirmavitque ac praesens ea super re Decretum confici mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 7 Aprilis anno 1911.

Pro Emo. Card. Praefecto
ALOISIUS VECCHIA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

Pro R.D.P. Secretario
CAMILLUS LAURENTI, *Subsecretarius*.

DECRETUM

QUO LIMES VICARIATUS APOSTOLICI CONGI SUPERIORIS, AD
ORIENTEM ET MERIDIEM VERSUS, INNOVATUR.

Ut congruentius territoria ecclesiastica, quae ad maiores lacus Africae centralis iacent, distribuerentur, Emi. Patres huius S. Congregationis Christiano nomini propagando, in plenario consensu die III^a habito vertentis Aprilis statuerunt ut limes qui, ad orientem et meridiem versus, Vicariatum Apostolicum Congi superioris dividit a Missionibus utriusque Victoriae Nyanzae, de Unianembé, de Tanganika atque Nyassa, prout sequitur, immutaretur: Ad orientem: Limes anglo-belgicus et germano-belgicus, hoc est, linea quae ab ora meridionali lacus Alberti Eduardi ducitur primo ad montem Sabinyo et exinde, per lacum Kivu, cursum sequitur fluminis Rusizi dividitque demum lacum Tanganika. Ad meridiem: Limes anglo-belgicus, nempe, linea decurrens a lacu Tanganika ad lacum Moero. Hanc vero Emorum. Patrum sententiam SSmo. D.N. Pio div. prov. PP. X ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario relata, in audientia diei IV^{ae} vertentis Aprilis, Sanctitas Sua benigne probavit ac ratam habuit, praesensque ea de re Decretum fieri mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 8 Aprilis anno 1911.

Pro Emo. Card. Praefecto
ALOISIUS VECCHIA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

Pro R.D.P. Secretario
CAMILLUS LAURENTI, *Subsecretarius*.

CONGREGATION OF RITES.

Dubia circa organi sonitum ad adiuvandum cantum Gregorianum et formulam benedictionis apostolicae impertiendae in fine concionum.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutio expostulata est ; scilicet :

Quum Caeremoniale Episcoporum numquam supponat cantum gregorianum organum vocibus consociari ; quaeritur :

I. An hodiernus usus praedictum cantum adiuvandi organis sustineri possit ?

II. Et quatenus affirmative ad I., an etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus ?

III. Quibusdam in Brevibus, quibus fit sacerdotibus potestas, in fine concionum, benedictionem, cum Indulgentiae plenariae favore, populo impertiendi, edicitur id fieri debere cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam ; nunc quaeritur quinam sint hi ritus et formula adhibendi ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, ita respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari.

Ad II. Affirmative in casu necessitatis.

Ad III. Unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula : "Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper." R. Amen.

Atque ita rescripsit. Die 11 Maii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

Decretum super editionibus librorum sacram liturgiam spectantium.

Pluries a Sacra Rituum Congregatione normae traditae sunt Typographis pro editione Librorum Liturgicorum, praesertim per decreta dd. 11 Augusti 1905, 14 Februarii 1906 ac 25 Ianuarii vertentis anni, quod postremum respicit editionem vaticanam eiusque reproductiones super Libris cantum gregorianum con-

tinentibus. Quo vero eiusmodi normae latius pleniusque compleantur, Sacra eadem Congregatio, ad praecavendos et impediendos abusus, haec quae sequuntur, accurate discussa et perpensa, statuere voluit, atque servanda decrevit :

I. Editiones Librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus peragendis contineant, sive Sacras Caeremonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive huius Sacrae Congregationis Decreta in unum collecta referant, sunt vel *Typicae*, vel iuxta *Typicas*.

II. Editiones *Typicae* excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicae folia revisioni huius Sacrae Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic Sacrae Rituum Congregationi tradent, in Archivio ipsius Sacrae Congregationis maxima cura et studio conservanda.

VI. Quivis Typographus, accedente concensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta typicas*, quae nempe admissim praedictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. Rmi. locorum Ordinarii, diligentibus rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

VIII. Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuius Dioecesis Propriorum, de quibus editio typica non extat, si in ipsa Dioecesi cudendae sint, Rmi. locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent et *imprimatur* apponant. Quoad vero editiones Propriorum tum alienae Dioecesis, tum Ordinum Regularium seu Congregationum, Rmi. locorum Ordinarii, quorum iurisdictioni Typographi subiacent, *imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius Dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. Inter Libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum praesentis Decreti, sequentes praecipue adnumerandi sunt :

- | | | |
|--|---|--------------------|
| (a) Breviarium Romanum | } | eorumque excerpta. |
| (b) Missale Romanum | | |
| (c) Rituale Romanum | | |
| (d) Pontificale Romanum | | |
| (e) Martyrologium Romanum. | | |
| (f) Caeremoniale Episcoporum. | | |
| (g) Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius Dioecesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosae. | | |
| (h) Memoriale Rituum Benedicti. Papae XIII pro minoribus Ecclesiis. | | |

(i) Instructio Clementina pro expositione Sanctissimi Sacramenti.

(j) Collectio Decretorum Sacrae Rituum Congregationis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 17 Maii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secretarius*.

L. ✠ S.

DUBIA CIRCA EXPOSITIONEM ET BENEDICTIONEM SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Hodiernus Magister Caeremoniarum in Ecclesia Metropolitana Westmonasterien., de consensu sui Revmi. Domini Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda humillime proposuit, nimirum :

I. Defectu ministrorum et cantorum licetne Missam Votivam Sanctissimi Sacramenti, in expositione vel repositione pro Oratione xl Horarum, celebrare sine cantu; et totam functionem sine cantu peragere simili modo quo fit Feria V in Coena Domini, secundum Memoriale Rituum ?

II. Licetne legere aut omittere Missam Votivam celebrandam secunda die in Oratione xl Horarum,

III. Estne necessarium Indultum, ut in Oratione xl Horarum expositio ac adoratio suspendatur horis nocturnis ?

IV. Quum difficile sit habere thronum expositionis inamovibile nisi Crux ponatur in eo : quaeritur : Utrum liceat super tabernaculum erigere inamovibile thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione Sanctissimi Sacramenti; an debeat erigi thronus tantummodo propter expositionem et amoveri post expositionem ?

V. Num liceat thronum expositionis construere in muro paucis metris ab altari seiuncto ?

VI. Utrum alio throno, seu baldachino parvo opus sit ad expositionem Ssmi. Sacramenti, ubi magnum baldachinum, seu ciborium invenitur ?

VII. Licetne laicis tangere Ostensorium sine privilegio Apostolico, quod requiritur ad tangenda vasa sacra ?

VIII. Debetne Ostensorium cooperiri velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem Ssmi. Sacramenti ?

IX. Cuiusnam coloris debet esse stola presbyteri exponentis, quando Benedictio Ssmi. Sacramenti immediate sequitur Vesperas solemnes, nec celebrans cum pluvialistis recedit a choro ?

X. Utrum cuilibet celebranti, an soli Episcopo vel Praelato, liceat genuflexo manere super pulvinari in infimo gradu altaris ?

XI. An Ordinarius, in medio Sanctuario Benedictioni Ssmi. Sacramenti assistens cum cappa debeat adorare utroque genu, quando ad incensandum accedit ad altare, vel ab eo recedit ?

XII. An Decreta, quae prohibent quominus preces liturgicae cantentur in lingua vernacula, extendantur etiam ad Litanias, vel Pater, vel Salve Regina, quae recitantur vel leguntur coram Ssmo. Sacramento exposito ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I, II et III. Ad effectum Indulgentiarum et privilegii Altarium necessarium esse Indultum, a Sacra Congregatione S. Officii expetendum, ut derogetur formae Clementinae Instructionis. Alias Episcopus utatur iure suo, sed circa Missas Votivas serventur Rubricae et Decreta, nisi extet vel obtineatur speciale Indultum.

Ad IV. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

Ad V. Affirmative, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab altari, cum quo debet quid unum efficere.

Ad VI. In casu servari potest consuetudo, quae viget.

Ad VII. Serventur Decreta.

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX. Eiusdem coloris ac paramenta celebrantis.

Ad X. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

Ad XI. Affirmative in casu.

Ad XII. Dentur Decreta n.º 3530, Neapolitana, ad I et II, et n.º 3157, Mechlinien. 5 Septembris 1867, ad VIII.

Atque ita rescripsit, die 27 Maii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystein,
Secretarius.

DUBIA VARIA.

Hodiernus Redactor Kalendarii Dioeceseos Baionensis, in Gallia, de consensu sui Rmi. Episcopi, insequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit; nimirum:

I. Utrum Decreto 8 Maii 1899, Augustodunen. seu Galliarum, extendente Officium et Missam S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, sub ritu duplici minori, ad cunctas Galliarum Ecclesias, obligatio facta fuerit omnibus Galliarum Dioecesibus illud adoptandi, vel simpliciter haec extensio non sit nisi facultas?

II. Utrum dies 7 Iulii sit quasi-natalitia pro SS. Cyrillo et Methodio. Epp. Conf. iuxta Martyrologium Romanum?

III. Utrum in Festo Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. utrisque Vesperis carente, hymnus *Matris sub almae* recitari debeat ad Laudes, iunctis ad Matutinum hymnis *Bella dum late et Sic Patres vitam*?

IV. Si in tertio Nocturno alicuius Sancti vel Mysterii, Lectiones de Homilia excerptae sunt ex operibus eiusdem Sancti, aut sunt historicae circa Mysterium, utrum tres Lectiones debeant in duas redigi, ut fit in Festo S. Hilarii, Ep. Conf. Doct. in casu quo nona Lectio legi debeat de alio Officio eodem die commemorato?

V. Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, utrum secundae eius Vesperae sumendae sint de Communi Confessoris Pontificis, vel usque ad Capitulum dicendae sint de Nativitate Domini, ut in aliis diebus infra Octavam?

VI. Quum nuptiae celebratae fuerint tempore prohibito, et sponsi postea benedictionem nuptialem petierint iuxta Decretum S. C. U. I. diei 31 Augusti 1881, utrum eligendus sit dies in quo Missa votiva pro sponsis dici possit, ut praetendunt aliqui, innixi super Decretum Generale de Missis Votivis diei 30 Ianuarii 1896, vel in casu benedictio nuptialis impertiri possit infra Missam, puta de festo duplici 2 classis cum commemoratione pro Sponsis, iuxta rubricam in capite Missae pro Sponsis positam?

VII. Utrum ad impertiendam benedictionem nuptialem post tempus feriatum coniugibus antea matrimonio iunctis, necessaria sit praesentia amborum, vel sufficiat solius sponsae?

VIII. Utrum in Ecclesiis Parochialibus unam tantum Missam habentibus, Parochi debeant ad normam Decreti n.º 3887 diei 21 Februarii 1896, Missam pro populo applicandam iuxta officium diei celebrare, etiam in Dominicis ad quas iussu Card. Caprara transferuntur solemnitates Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac praecipui Patroni, loci, atque etiam quorundam aliorum festorum ex

peculiaribus Indultis, vel possint per Missam dictarum solemnitatatum oneri suo satisfacere?

IX. Utrum solemnitates iussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatae, ceteraeque ex Indulto particulari similiter faciendae, celebrari debeant an possint etiam in Oratoriis semipublicis ubi singulis Dominicis solet Missa cantari?

X. Si extra Expositionem XL Horarum, et Festum SS. Corporis Christi, fieri contingat expositio SS. Sacramenti immediate post Missam, Hostia debeatne intra hanc Missam consecrari, vel accipi possit Hostia iam prius consecrata?

XI. Quatenus affirmative ad secundam partem; utrum Hostia iam antea consecrata poni possit in Ostensoria ante purificationem et ablutiones, vel expectari debeat usque ad expletum ultimum Evangelium?

XII. Utrum celebrans in Vesperis solemnibus possit stolam induere sub pluviali a principio Officii, quam immediate post Vesperas, quin ipse recedat a Presbyterio, fiat Expositio cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti?

XIII. Utrum Processio cum SSmo. Eucharistiae Sacramento, quae immediate ut supra subsequitur Vesperas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem fieri debeat, vel albi coloris assumi debeant paramenta?

XIV. In benedictione Olei Catechumenorum, feria V Coenae Domini Rubrica Pontificalis statuit: "duodecim Sacerdotes reverenter salutant Oleum ipsum dicentes: Ave Sanctum Oleum." Haec verba: "reverenter salutant" suntne ita interpretanda, ut debeat fieri genuflexio, sicut ad Sanctum Chrisma, vel simplex inclinatio capitis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae voto, propositis dubiis sedulo expensis ita respondendum censuit:

Ad I. Singulis petentibus Sacra Congregatio reservavit sibi concessionem iuxta Decretum citatum.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Provisum in Decreto 8 Aprilis 1908.

Ad IV. Decernendum in casibus particularibus.

Ad V. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad VI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad VII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad IX. Solemnitates enunciatas celebrari posse in Oratoriis

semi-publicis de quibus agitur in Decreto n.º 4007, diei 23 Ianuarii 1899.

Ad X. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XII. Affirmative.

Ad XIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad XIV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 27 Maii 1911.

Fr. SEBASTIANUS Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus*.

L. ✠ S. † PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius*.

SUPER CONSUETUDINE ABSOLUTIONEM PRO DEFUNCTIS AD
TUMULUM PERAGENDI DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS,
FINITA MISSA DE DIE.

Hodiernus Episcopus Dioeceseos Quinque Ecclesiarum, in Hungaria, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

Pluribus abhinc annis, inscio Episcopo, viget in nonnullis Ecclesiis Filialibus Dioeceseos Quinque Ecclesiarum consuetudo Anniversaria fundata, cum *Libera me Domine*, diebus Dominicis et Festis peragendi, prout sequitur. Primo quidem celebratur Missa cantata de Dominica aut Festo in colore. Finita Missa, celebrans accedit Sacristiam, depositaque casula et induto pluviali nigri coloris, illico ingreditur Ecclesiam pro Absolutione facienda ante tumulum seu castrum doloris, quod tantum post finem Missae in Ecclesia construitur. Quaeritur: An in casu consuetudo retineri possit, quum dicta Anniversaria diebus Dominicis et Festis ex fundatione sint affixa et, propter distantiam ab Ecclesia Matre et alia officia Sacerdotum, vel etiam ob defectum competentis dotis, in dies feriales vix transferri possint?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo, perpensis, rescribendum censuit: Pro gratia, attenta consuetudine; exceptis tamen duplicibus primae classis et dummodo Absolutio et Responsorium locum habeant omnino independenter a Missa de die, iuxta Decretum num. 3870, *Romana*, 12 Iulii 1892, ad VIII.

Atque ita rescripsit atque indulsit, die 31 Maii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius*.

DECRETUM.

DE REPOSITIONE ET TRANSLATIONE FESTORUM
IN ECCLESIIS PARTICULARIBUS.

Quo facilius in Ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant, Sacra Rituum Congregatio, enixis precibus tum a Revmis. locorum Ordinariis tum a Superioribus Ordinum seu Congregationum Religiosarum sibi porrectis obsecundans, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis num. 3919 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci*, diei 27 Iunii 1886, ad xvi, tam Kalendarium perpetuum quam Kalendarium annuale cuiusque Ecclesiae particularis respective redigatur super Kalendario Dioecesis, vel Ordinis aut Congregationis; ac proinde, sicuti Officia, quae in propria Ecclesia vel Oratorio quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in Kalendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transferenda in posterum celebranda erunt die, quae prima libera reperitur in Kalendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis: servatis de cetero Rubricis et Decretis, Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 Maii 1911.

FR. SEBASTIANUS Card. MARTINELLI, S.R.C. Praefectus.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., Secretarius.

L. ✠ S.

THE BIBLICAL COMMISSION.

De Auctore, de Tempore Compositionis
et de Historica Veritate Evangelii Secundum Matthaeum.

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio "de re Biblica" ita respondendum decrevit.

I. Utrum, attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et a Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem?

Resp.: Affirmative.

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Iudaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse?

Resp.: Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum redactio huius originalis textus differri possit ultra tempus eversionis Hierusalem, ita ut vaticinia quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (*Advers. haeres.*, lib. III, cap. I, n. 2), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reicere eorum sententiam qui congruentius traditioni censent eandem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam?

Resp.: Negative ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorundam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt?

Resp.: Negative.

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, imo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato?

Resp.: Affirmative.

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudaeis Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et e davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quae enarrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quamdam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes?

Resp.: Negative ad utramque partem.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutae censi iure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenti-

citatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarumdam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae quae respiciunt primatum Petri (Matth., XVI, 17-19), formam baptizandi cum universali missione praedicandi Apostolis traditam (Matth., XXVIII, 19-20), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (Matth., XIV, 33), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrunt?

Resp.: Affirmative.

Die autem 19 Iunii 1911 in audientia utrique infrascripto Rmo. Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus. Dominus Noster Pius Papa X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae die 19 Iunii 1911.

FULCRANUS VIGOUROUX, Pr.S.S.

LAURENTIUS JANSSENS, O.S.B.

Consultores ab Actis.

THE HOLY ROMAN ROTA.

PARISIEN.

Nullitatis Matrimonii (Robine-Berthon).

Pio Papa X. feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno octavo, die 13 Martii, 1911, RR. PP. DD. Seraphinus Many, Ponens, Franciscus Heiner et Ioannes Prior, Auditores de turno in causa Parisien. — Nullitatis Matrimonii — instante pro appellatione defensore Vinculi Parisiensi adversus sententiam Curiae Parisiensis, inter Renatam Robine, repraesentatam per procuratorem Nazarenum Ferrata, Advocatum, et Paulum Berthon, qui declaravit se nolle agere in hoc iudicio, et sese remittere sapientiae tribunalis, interveniente et disceptante in causa Defensore Vinculi ex officio, sequentem ediderunt definitivam sententiam.

Die 13 Iulii anni 1898, Renata Robine et Paulus Berthon matrimonium contraxerunt, Parisiis, in Ecclesia parochiali sic dicta "S. Jacques du Haut Pas." Dicebatur autem puellam non libere contraxisse, sed sub influxu patris; unde nil mirum si mox dissidia et iurgia inter coniuges orta sint. Itaque post non longum tempus, licet exterius vita communis perdurare videretur, separatio thori instituta est, et vir apud parentes suos, relicta uxore, noctes ducere consuevit. Tandem post undecim annos et dimidium, cum haec rerum conditio diutius tolerari non posset, vir petiit sic dictum divortium civile; quod revera pronunciatum est anno 1910. Ex hac ergo parte libera facta mulier institit, libello oblatodie 1 Maii 1910, apud Curiam Ecclesiasticam Parisiensem pro declaratione nullitatis sui cum Paulo Berthon

matrimonii ex capite vis et metus ; quae Curia die 22 Novembris eiusdem anni 1910, sententiam edidit pro nullitate matrimonii. Ab hac ergo sententia cum de iure appellasset Reverendus Vinculi Defensor Parisiensis ad S. Sedem, in H. S. O. dubium de more concordatum est : *An constet de matrimonii nullitate in casu ?*

Ad quod dubium RR. PP. DD. Auditores respondendum censuerunt : *Affirmative.*

Quod ad ius spectat. Extat in corpore Iuris celebre caput *Cum locum*, 14, *De sponsalibus*, in quo haec dicuntur : " Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut, ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur ; et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire." Similia leguntur in capite *Veniens*, 15, eod. titulo : " Mandamus quatenus, si inveneris quod primam, post fidem praestitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere ; alioquin secundae (nisi metu coactus qui possit in virum constantem cadere eam desponsaverit) adhaerere facias ut uxori." Quibus ex capitibus, omissis ceteris, orta est theoria canonica, omnium doctorum consensu recepta, quod, saltem de iure ecclesiastico, metus dirimit matrimonium si sit gravis, etiam tantum relative, iniustus, et in ordine ad extorquendum consensum matrimoniale incussus ; quod iure merito extensum est ad metum reverentialem, id est, ad metum quo reformidamus indignationem eius, in cuius potestate constituti sumus, modo tamen accedat aliquid aliud v. g. preces importunae, et instantissimae, iurgia, vexationes etc., ita ut metus sit revera gravis. Sic ait D'Annibale : " Timor reverentialis dicitur, cum aliquis patris, domini etc. indignationem, quae profecto malum est, metuit, licet absint verbera aut minae. Quae si gravis et diuturna sit, malum grave et ideo metus gravis non immerito existimabitur." (*Summula*, tom. 1, n. 138, nota 16, edit. 3). Quae verba postquam retulit Emus. Gasparri, sic concludit : " Ita quidem, sed in foro externo non praesumitur eiusmodi indignatio esse malum grave neque pro puella, nisi circumstantiae aliud suadeant, aut accesserit aliquid aliud, e.g. iurgia, minae importunae et instantissimae (*De Matrimonio*, n. 942, t. 2, pag. 54, edit. 3). Revera, in his adiunctis S. Congregatio Concilii pluries matrimonium nullum declaravit, notantur in *Parisien., Matrimonii* 16 Maii et 5 Septembris 1903 ; et in altera *Parisien., Matrimonii* 21 Novembris 1903. Pariter in eisdem adiunctis, haec S. Rota matrimonium nullum esse declaravit *Parisien., Nullitatis Matrimonii*, die 26 Februarii 1910.

Quod ad factum spectat.—Ut, in aliquo determinato casu, recte iudicari possit, metum reverentialem ad hunc gravitatis gradum pertingere, ut, iuxta supradicta, matrimonium dirimat, sedulo inspicienda sunt praecipua rerum personarumque adiuncta, quae ad matrimonium referantur, notanter indoles personae quae metum incussit, et illius, quae metum passa est, motiva, quae personam impellebant ad metum incutiendum, modus quo patiens vi morali restitit, personae ad quas recurrit, constantia qua in resistendo perseveravit. Quae si casui praesenti applicentur, facile patebit metum reverentialem gravem fuisse, matrimoniumque nullum declarandum esse.

Dnus. Robine, pater Renatae, matrimonium filiae suae cum Paulo Berthon omnino et absolute volebat. Habibat ille civitatem Cherbourg, ubi omnes fortunas suas habebat, et munere professoris fungebatur in Lycaeum; porro viduus erat, et mulierem quandam, Parisiis habitantem, amabat. Quo ergo liberius cum illa muliere vivere posset, propriam filiam Renatam honeste a se removere voluit, tradendo eam in matrimonium Paulo Berthon, quem ab aliquot annis cognoscebat. Imo, cum hic etiam Parisiis habitaret, Dnus. Robine, dimisso munere professoris, venditisque aut locatis bonis omnibus, quae possidebat in civitate Cherbourg, hanc civitatem dereliquit, Parisiosque cum filia sua Renata perrexit, ut et ipse commodius cum praedicta muliere conversari, et facilius filiae nuptias cum Paulo parare posset; quae nuptiae si conciliarentur, conventum erat ut D. Robine in familia Berthon propriam vitae sustentationem reciperet. Unde pater Renatae praedictum filiae matrimonium cum Paulo spectare, optare et velle coepit uti rem sibi et filiae necessariam; si enim hoc matrimonium non fieret, D. Robine, qui professoris munus dimiserat, in gravissimas difficultates et forte in inopiam, simul cum filia, proxime lapsurus erat.

Itaque D. Robine, qui mense Maio an. 1898 domicilium, ut supra dictum est, Parisiis fixerat, filiam non consentientem, imo fere nesciam Paulo despondit.

Erat autem Renata puella septemdecim annos nata, mitis, timida, quae hucusque patri semper in omnibus consenserat. Simul autem ac ipsi a patre propositae fuerunt praefatae nuptiae, has abhorruit et respuit, tum quia ipsi indoles Pauli maxime displicebat, tum quia ab aliquot annis alio amore preoccupata erat; itaque Renatae pater nihil intentatum reliquit, ut filiae reluctantem voluntatem frangeret.

Proposuit enim puellae infelicem rerum domesticarum statum, necessitatem providendi utrique, patri scilicet et filiae, vitae sustentationem, bona omnis generis ex matrimonio cum Paulo oritura, etc. Quae ratiocinia cum in irritum abirent, alia media

excogitavit : hinc frequentes obiurgationes, graves reprehensiones, continua iurgia et etiam arcta custodia, aut saltem vigilantia ut Renata vix e domo egredi permetteretur, nisi ad adeundam officinam sponsi Pauli, qui pictoris artem colebat. Quae omnia passim referunt testes.

Nec tamen flectebatur puella ; unde, quoties in conspectum Pauli veniebat, austera semper et frigida remanebat ; nec unquam annulum sponsalicium, a Paulo oblatum, gestare voluit ; imo non dubitavit, et quidem pluries, ipsi sponso asserere se nolle illi nubere, patrem quidem exoptare et velle hoc matrimonium, se autem illud prorsus respuere. Quod ita constanter et vehementer asseruit puella, ut ipse Paulus a sponsalibus recedere sibi proposuerit ; quod tamen propositum, communicatis cum patre Renatae consiliis, executioni non mandavit.

Semper enim Dnus. Robine pro matrimonio instabat ; et ideo, quo magis eius filia se matrimonio repugnantem ostendebat, eo magis pater illam premebat et urgebat, ad frangendam eius pertinaciam. Unde supradictis mediis adiecit minas et verbera. Comminabatur scilicet se filiam suam solam Parisiis derelicturum, vel quod ad idem redit, se illam exheredaturum. Ita testis Dna. Montreuil : " C'est pour cela qu'il (Dnus. Robine) a voulu marier sa fille. Il lui a imposé ce mariage par ses raisonnements, par ses prières importunes, par ses menaces de la deshérer." Ita etiam vir, Dnus. Paulus Berthon : " J'estime que Mademoiselle Robine a subi de la part de son père une contrainte à laquelle il lui était impossible de résister. Il a, à ma connaissance, menacé de l'abandonner, et il lui aurait donné même un soufflet pour la faire céder." Quas minas modo prae-cisiori sic exprimit ipsa Renata : " En m'obligeant à épouser M. Berthon, mon père m'a contrainte à faire ce que je ne voulais pas : il m'a mariée, je ne me suis pas mariée. Mon père me menaçait de m'abandonner à Paris, seule et sans ressources. J'avais alors dix-sept ans, et l'on comprend que cette menace pouvait m'effrayer." Has minas ipse pater fatetur : " Je l'ai menacée de ne me plus m'occuper d'elle pour la marier, de l'abandonner à elle-même pour gagner sa vie. On comprend que ma fille, qui n'avait alors que 18 ans, qui arrivait de province, pût se laisser intimider et sérieusement effrayer par la pensée d'être livrée seule à elle-même dans Paris, et acculée, sans savoir comment, à se procurer des moyens d'existence. Il me reste vaguement à l'esprit les termes de mes menaces, mais ce qui me reste bien clairement, c'est l'existence de ces menaces, et de la violence que j'ai faite pour imposer à ma fille et la fiançailles et le mariage." Quod spectat ad verbera, nullus quidem testis oculatus haec refert ; de hoc tamen dubi-

tari nequit, quia, praeter ipsam uxorem actricem, haec verbera referunt plures testes, quibus infelix puella vim ab ipsa passam tempore non suspecto concredadit, v. g. Dna. Berthon mater Pauli, quae ait: "Il me souvient que M. Robine, cependant très bon pour sa fille, s'est laissé aller à la souffleter, afin de la déterminer au mariage. Je crois qu'il se livra à ces actes violents, et en dehors de son caractère, pour obéir aux ordres de sa maîtresse, que la présence de la jeune fille gênait." Ita etiam testis Dna. Menton de Chailly, puellae amicissima, quae dicit: "Quelques jours avant mon départ de Paris, elle (Renata) vint me raconter qu'une scène pénible ou son père s'était oublié jusqu'à la frapper, avait eu lieu. Elle était exaspérée, déclarant qu'elle voulait partir, même se tuer. Je m'efforçai de la calmer et de la ramener à la raison." Imo se vim etiam physicam adhibuisse contra filiam non negat pater: "Sans nul doute, je n'ai pas été jusqu'aux moyens physiques violents, d'une manière continue; cependant il est bien certain que dans des moments d'exaspération, j'ai accompagné mes prières importunes et incessantes de quelques gifles et de quelques bourrades."

Constat igitur Renatam a patre modis omnibus, precibus, obiurgationibus, iurgiis, minis, verberibus, adactam fuisse ad matrimonium cum Paulo; contra quam vim paternam et iniurias recurrit puella ad omnes, ad quos potuit, non quidem ad cognatos, quia nullum habebat Parisiis, sed ad amicas et etiam ad Pauli amicos, quos saepe in officina eiusdem Pauli reperiebat. Sic contra patrem, opem imploravit Dnae. Menton de Chailly, de qua supra dictum est, Mariae Berthon, sororis Pauli, Dni. Aconin, qui amicus erat Pauli, Dni. et Dnae. Montreuil, quorum consiliis, quantum poterat, utebatur, etc. Et hi omnes, a puella rogati, apud patrem Renatae intervenerunt ut rem totam ipsi exponerent, et filiam tandem ab eius iniustis vexationibus liberarent. Sed nihil potuerunt contra pertinacem patris voluntatem, qui, ut dictum est, relicta civitate Cherbourg, et dimisso professoris munere, nullam sibi fortunae spem reliquam superesse putabat nisi in matrimonio filiae cum Paul Berthon; quod ipse Paulus hoc modo exponit: "M. Robine n'a pas un caractère violent, mais il est tenace; je dois bien reconnaître aussi que sa situation était sans autre issue que celle du mariage de sa fille avec moi." Ipso die qui matrimonio praecessit, puella invisit futuram socrum, Dnam. Berthon, eamque rogavit, ne huiusmodi matrimonium fieri sineret, quod sic narrat Dna. Berthon: "La veille du mariage, Mlle. Robine est venue me trouver pour me prier d'intervenir en sa faveur, et de rompre le mariage arrêté par son père. Je lui fis remarquer que c'était bien tard, que des personnes de province étaient arrivées, etc."

Quid igitur puella tantis pressa angustiis? Cum amplius sperare nequiret se patrem flectere posse, et cum, adventante die matrimonii, magis ac magis has nuptias abhorreret, consilium iniit, mirandum quidem, si spectentur indoles et aetas puellae, sed quod in luce meridiana ponit eius contra praedictum matrimonium repugnantiam, consilium, inquam, iniit, aufugiendi e domo paterna, et proficiscendi in Germaniam (linguam enim germanicam colebat), ut ibi arte quadam aut labore victitare posset. Unde, pridie matrimonii, cum iam omnia parata essent ad nuptias, horis vespertinis, clam reliquit domum sponsi, ubi tunc erat, et adiit domum familiae Montreuil, et a Dno. et a Dna. Montreuil mutuam pecuniam efflagitavit ut propositum iter conficere posset. Cum autem huc casu supervenissent mater et soror Pauli Berthon, quaerentes Renatam, vix illam inducere potuerunt ut ad domum paternam rediret, repugnantem et clamantem se nunquam Paulo nupturam. Quod singulare factum narrant quinque testes oculati, scilicet Dnus. et Dna. Montreuil, mater et soror Pauli, et quaedam sarcinatrix, nomine Magdalena Faulard, quae in domo Montreuil coenam sumere solebat. Nec huiusmodi consilium dicendum est foetus repentinus phantasiae iuvenilis, sed potius propositum firmæ voluntatis et maturae deliberationis; iam enim Renata a pluribus aliis pecuniam pariter petierat, ut Germanicum iter arriperet, v. g. a Maria Berthon, sorore Pauli, et a Dna. Menton de Chailly, ut ipsae narrant.

Nec mirum igitur si dies ipse matrimonii, luctus potius quam laetitiae dies fuerit. Haec dicit Dna. Montreuil: "J'ai passé toute la journée du mariage avec les époux et les autres invités: l'attitude de la mariée n'a pas varié. Elle est restée triste, a pleuré, a refusé de se laisser égayer par les invités, qui tous se sont mis en devoir de la faire changer d'attitude. Après le dîner on a dansé, elle s'est refusé à danser avec son mari, et n'a pas voulu prendre part à la danse. Le soir, la mariée a suivi son mari sans faire de scandale; son attitude était toujours la même, en sorte que le cri général a été: voilà un mariage qui n'est vraiment pas gai, et une vie de ménage, qui commence sous de tristes auspices." Addit Dnus. Montreuil: "L'impression générale de tout le monde a été la tristesse. C'était extraordinaire de voir un mariage aussi triste où la jeune femme n'a cessé de pleurer." Et ita etiam alii testes; notorium enim erat in familia praefatum matrimonium non libere, sed coacte a puella fuisse contractum.

Hoc pariter, vix inito matrimonio, luctuose simul et manifeste rei monstravit eventus. Prima enim nocte nuptiarum et per unam aut alteram hebdomadam, Renata debitum coniugale recu-

savit, nec illud postea praestitit, nisi viribus omnibus exhaustis, uti ait Paulus in sua depositione. Mox, ob varias causas, orta sunt inter coniuges dissidia et iurgia; unde, vix elapsis tribus aut quatuor annis (prout dicit Maria Berthon, soror Pauli) separatio thori de facto instituta est, et Paulus in domo parentum suorum noctes ducere consuevit. Tandem mense Februario anni 1910, cum uxor virum sequi recusasset in urbem Carnutum, hic divortium civile petiit, et impetravit, tradita tamen uxori custodia proles.

His autem omnibus inspectis, nullum dubium remanere potest de metu et quidem gravi et iniusto, quem Renatae pater modis omnibus, scilicet precibus, reprehensionibus, iurgiis, minis et verberibus filiae incussit, ad extorquendum eius consensum in matrimonium cum Paulo contrahendum: quae quidem omnia referunt iurati testes, numero novem, plerumque oculati, et aliunde probi et fide digni.

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis,
Christi nomine invocato,

Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, confirmata sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis, decernimus, declaramus et definitive sententiamus: "*Constare de nullitate matrimonii inter Renatam Robine et Paulum Berthon*" et sic proposito dubio respondemus; statuentes praetera eandem Renatam Robine ad omnes iudicii expensas teneri.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et Ministris Tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam ss. Canonum, et praesertim *Cap. 3, Sess. 25. De Reform. Conc. Trid.*, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, die 13 Martii 1911.

L. ✠ S.

SERAPHINUS MANY, *Ponens.*
FRANCISCUS HEINER.
IOANNES PRIOR.

Sac. TANCREDES TANI, *Notarius.*